A. Lat. a 2061
~~1120~~ 1.

Tibullus

ALBII TIBVLLI

CARMINA

TEXTV AD CODD. MSS. ET EDITIONES RECOGNITO INSIGNIORI LECTIONIS VARIETATE

NOTIS INDICIBVSQVE ADIECTIS

EDIDIT

ERNEST. CAR. CHRISTIANVS BACH

AD S. TRINITATIS AEDEM, QVAE ORDRVFII EST, PASTOR, ET SOCIETATIS LAT. IEN. SODALIS.

LIPSIAE

IN LIBRARIA HAHNIA.

MDCCCXIX.

Bayerische Staatsbibliothek München

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRAEFATIO.

De consilio, quod in hac editione Tibulli molienda sequutus sim, breviter exponere licet, quum de instituti, ad quod haec spectat, ratione inter omnes constet. Praeclara duumvirorum, Ruhkopfii et Seebodii, humanitate evocatus modum ac leges, quas illi Viri de re scholastica optime meriti prudenter scripserunt, ita tenendas esse censui, ut non altioribus tantum studiis iuvenum, sed eorum quoque, qui non omni antiquitatis doctrina exculti bonas litteras ament, desideriis opera mea inservirem. Quibus quidem etsi critica notarum pars non admodum arrideat, ab integris tamen et aequis iudicibus veniam facile me impetraturum esse spero. Nam quos magnos conatus, quae fervida studia nuper expertus est Albius, ea id mihi negotii imposuerunt, ut, libris et scriptis et impressis denuo ad partes vocatis, optimas quasque scripturas revocarem, et ea, quae viri celeberrimi de coniectura in textum admisissent, examinarem. Priscas potissimum editiones quod in consilium adhibui, non mirum videbitur iis, qui primariam vulgatae scripturae sedem aperiri textusque historiam brevem exponi velint. Omnibus, quotquot

ubique formas posuisse videntur [1]). His quidem caussis adductus scripturas: *Iupiter*, *quoties*, *assiduus*, *cui* cet. in sedes suas revocavi, servato quoque *tus*, quod alii per *h* exarandum esse censent, propterea quod a v. g. θύειν profectum sit [2]). *Thus* veteres dicebant, ut *Orchus*; recte. At optimorum Codd. et Servii [3]) auctoritate sequens aetas detraxit adspirationem. Non tamen dissimulare possum, iuventuti nonnunquam aliquid a me datum et perspicuitati esse consultum. Ut unum memorem, *quum* ubique exprimendum curavi, si tempus; *cum*, si comitem significat, quamquam a Quintiliano hanc differentiam contemni, et a Prisciano *quu* pro *cu* solis antiquis assignari probe scio [4]).

Ante autem, quam praefationi finem imponam, non possum, quin illustribus, humanissimis viris, qui pro sua rei litterariae iuvandae voluntate sive ex publicis, quibus praefecti essent, bibliothecis, sive ex suis κειμηλίοις subsidiorum copiam mihi fecerunt, gratissimi sensus animi profitear. Quodsi mea qualiscun-

1) Prudenter monuit de hac re Vanderb. ad Horatium, t. I. p. XXIV. „Les Mss., qui suivent quelquefois cette orthographe antique (v. c. Iuppiter, voltus, labsus, conlegisse, quoius, quoi), sont loin de l'observer constamment, et n'écrivent même pas les mêmes mots toujours de la manière. On seroit, ie crois, fort embarrassé d'établir des regles génerales à ce suiet, l'usage ayant varié parmi les Romains comme parmi nous. Quintilien se moque avec raison des scrupules des puristes et des subtilités des grammairiens. Il veut, qu'on s'en tienne à l'usage de son temps cet. Conf. censura Hor. Vand. in Eph. litt. Jen. 1813.

2) Praeter alios vid. Fea ad Hor. I, 19, 14.

3) v. ad Virg. Aen. I, 169. VI, 4.

4) v. Quint. I. Instit. VII, 5. et Priscian. p. 560.

que opera aliquam ad lectionem Tibulli afferet utilitatem atque delectationem, laetabor. Ceterum si quid ad eam normam, quam viri celeberrimi nobis scripserunt, minus exactum sit, vehementer me excusatum velim.

Scrib. Ordrufii Cal. April. MDCCCXIX.

VITA TIBULLI.

Etsi quidem Albius ex iis non esse videtur poëtis, in quorum animum et genium, ut ita dicam, poëticum conditio temporum singularem quandam vim habuerit, non tamen a re alienum mihi visum est, brevibus lineamentis describere Tibulliani aevi historiam. Quo quidem facto ipsius carminibus singulisque eorum sententiis clariorem quandam lucem affusum iri spero.

Floruit igitur T. circa eam aetatem, quae non tantum reipublicae interitum, sed et Principatus initia vidit. Iulio Caesare, M. Bruto et C. Cassio auctoribus, interemto (709 a. u. c.), quum C. Octavius, Caesaris ex sorore Iulia nepos, Romam advenisset, et, simulatis animi virtutibus in Romanorum gratiam ac favorem se insinuasset, omnibus is visus est, per quem respublica bellis civilibus labefactata reparari posset. Hinc Senatus decreta iuvenem, qui vix vigesimum aetatis annum agebat, ad altiores honorum gradus promoverunt. [1]) Pro Praetore una cum Hirtio et Pansa conss. contra Antonium, qui D. Brutum Mutinae obsessum

1) v. Vellei. II, 61. et 62, ubi haec leguntur: „Omnia, ante quam fugaretur Antonius, honorifice a senatu in Caesarem exercitumque eius decreta sunt, maxime auctore Cicerone."

tenebat, missus rem praeclare gessit. Etenim Bruto liberato Antonius turpi fuga Italiam deserere cogitur. Consules autem quum hoc in proelio periissent (711), rumor increbuit, Octavii opera eos esse occisos. Ut ut fuerit, copiis utriusque consulis occupatis, arma, quae in Antonium accepit, contra rempublicam vertit et consulatum invito Senatu extorquet. Interea pace cum Antonio et Lepido facta triumviratus iste constituitur, quo inter se pacti sunt, ut suos quisque inimicos proscriberet sive equites sive senatores. Italicarum urbium, quae opibus, solo, aedificiis inter ceteras erant insignes, octodecim, utpote quae Cassii partes amplexae essent, legionibus pro praemiis assignatae sunt. Militum autem insolentia et avaritia eo processit, ut extra fines sibi praescriptos urbes diriperent et terras vastarent, unde magni per totam fere Italiam tumultus orti sunt (711—713) [2]. Circa idem fere tempus Triumviri gravissimos sibi hostes, M. Brutum et C. Cassium, Caesaris olim interfectores, nunc legionum numero viriumque amplitudine satis auctos petunt et proelio apud Philippos facto (711) vincunt. Duobus illis ultimis reipublicae propugnatoribus morte voluntaria e medio sublatis foedera triumvirorum nunc restaurantur nunc dissolvuntur. Primus eorum, Lepidus, suarum legionum vi superbiens, ab Octaviano triumvirali potestate exuitur; pontificatum tamen ad vitae usque finem retinet. Antonius sive copiis suis in Asia collectis elatus, sive inani Cleopatrae superbia im-

2) De istorum temporum iniuria et calamitatibus vid. Appian. IV, 12—51. Dio XLVII, 3 sqq. Vellei. II, 67. Flor. IV, 6.

pulsus hostem Octaviano se palam profitetur. Hinc debellatum est apud Actium (723); e qua pugna Cleopatrae fugientis Antonius, quam pugnantis militis maluit esse comes [3]). Itaque Octavianus potentiae aemulis liberatus unus rerum dominus factus est. Sub Principis et Augusti nominibus, quae assumsit a. 726., statum publicarum rerum reliquit eum, qui neque civibus neque agrorum incolis displiceret. Civilia quidem bella etsi finita erant, non plena tamen quies dari poterat armis. Nunc seditio legionum in provinciis positarum mitiganda; nunc hostium incursiones a terris in Romanam potestatem redactis arcendae; nunc populorum, quos magistratuum licentia et avaritia male habebat, furores sedandi. In hac quidem rerum conditione militares sive ab ipso Imperatore sive a ducibus expeditiones sunt susceptae. Neque defuerunt bellicis studiis invitamenta. Quicunque enim ad arma tractanda idonei satis essent, et res foras bene gessissent, eos non laudibus modo summis extollere, sed et bona, possessiones, stipendia, honores iis deferre solebant. Igitur non mirum, quod quidam, seu divitias parandi, sive gloriam acquirendi caussa sese expeditionibus adiungere et in militiam sequi, quam honesto indulgere otio maluerunt. Ceterum ut illa aetas imperii amplitudine, rerum extra gestarum splendore, artium bonarum studiis celeberrima, ita morum pravitate et libidinum fu-

3) De hac pugna Actiaca v. Virg. Aen. VIII, 671 sqq. Vellei. II, 84 sqq. Inde Apollinis Actiaci templum in Palatio exstructum perfecit et ampliavit Augustus, et ludos Actiacos instituit. Suet. Aug. 94. De honoribus Augusto Romam reduci immodice decretis v. Vellei. II, 89. Suet. Aug. 26 sq.

tore famosissima habetur. Etenim Caesaris, Pompeii, aliorum, tropaea ex Asiaticis regionibus reportata etsi res Romanas mirum in modum auxerant, ad vera tamen reipublicae commoda et civium salutem parum valebant. Cum divitiarum possessione luxuries, cumque ea pecuniae, deinde imperii cupido crevit. Nam quae dominandi libido Principes olim agitaverat immensa, ab hac prope aberant aevo Augusteo civium ambitiones, vana honorum studia, quibus explendis quaevis inhonesta audebant. Bellica Romanorum virtus hebescit. Fides, probitas, aliae egregiae morum indoles subvertuntur avaritia, dolis, fallaciis. Simplicitas vitae ludibrio habetur. Novissima quaeque intemperate conquiruntur. Non dotes animi, non facultates ingenii, sed largitiones ad munerum dignitatem evehunt. *Neque pudor, neque honestum rerum patriarum studium*, sed praedandi libido et habendi cupiditas animum ad res magnas suscipiendas incendit. Perditissimis, ut breviter moneamus, laborabat moribus Augusteum seculum. In hoc ipsum incidit Tibulli vita [4]). Quo anno, quibus parentibus natus sit, ad liquidum non potest demonstrari. Proxime autem vero natales circa annum 695 a. u. c. ponuntur [5]). Ortum e

4) Conf. Alb. Tibulli Vita, auctore Chr. Fr. Ayrmanno, Viteb. 1719. 8.

5) Fuerunt olim, qui loco Tib. III, 5, 17 sq. adducti a. 711. natalibus poëtae assignarent. Quo iure, iam alii docuerunt. Non multo maiorem habent fidem, qui cum Heynio a. 705 statuendum censent. Decem certe annis maiorem fuisse Tibullum non dubitare sinit 1) familiaritas, quae inter nostrum, Horatium et Messalam intercessit, v. Hor. I, od. 33. Epist. I, 4. 2) Ovidii testimonium, ex quo Tibullum non maiorem modo natu ipso,

gente Romana, Albia nominata, duxit. Equestris fuit ordinis ac dignitatis. Praenomen eius nusquam comparet. Ingenuis se parentibus natum esse ipse testatur [6]). Hi quidem amplas neque procul ab Urbe sitas possessiones, villam cum agris, hortis, vineis, silvis, gregibus habuerunt, et alieni ab urbano strepitu publicisque negotiis illic vixerunt. Filius etiam primam pueritiam ruri exegisse videtur [7]), quamquam urbanitas et elegantia morum liberaliter eum nec sine diligenti parentum cura educatum fuisse luculenter arguit. Ad artes bonas, quibus et equitum et aliorum nobiliorum filii institui solebant [8]), discendas Romam missus est, neque deinde commercium sustulit cum Urbe. Amisso iam patre proscriptionis sub triumviris factae iniuriam experitur, et potiori paternorum avitorumque bonorum parte spoliatur. Tantum autem abest, ut ad inopiam redactus sit, ut in honesta potius viveret mediocritate [9]). Nam Principis gratiâ recuperavit agellum, quem eo in loco, ubi Latinorum olim oppidum,

sed et carminibus iam tunc, quum Octavianus Principis et Augusti nomina assumserit, notum fuisse clare apparet, vid. Ovid. Trist. IV, 20, 51—54. II, 463 sq. Aliis, ut Dousae, Broukhusio, Vulpio, Vossio, a. 690 Tibulli natalibus tribui placuit. Huic autem opinioni repugnare mihi videtur auctoritas Ovidii et Domitii Marsi, qui Tibullum eodem fere tempore cum Virgilio mortuum esse et quidem iuvenem queruntur. Virgilius autem 735 d. obiit.

6) v. II, 4, 2. „Iam mihi libertas illa paterna vale."

7) vid. I, 10, 15 sq. „Sed patrii servate Lares! aluistis et idem, Cursarem vestros quum tener ante pedes."

8) Qualis eorum institutio fuerit in ludis Romanorum publicis, patet ex Horat. Sat. I, 6, 71 sqq.

9) v. Hor. Ep. I, 4, 7. „Di tibi divitias dederunt" cl. vs. 11. „Et mundus victus, non deficiente crumena."

Pedum nomine, extitit, medium inter Tibur et Praeneste situm fuisse suspicari licet [10]). Hic potissimum, aerumnis belli exantlatis, provectiorem vitae aetatem egisse videtur. Qualiacunque sibi relicta fuerunt bona, iis ex liberalium more usus est. Hilariter enim vivendi facultas ei non defuit [11]). Nullam reipublicae partem unquam attigit, sed ab iis, qui gubernacula illius tenebant, abalienatus sibi Musisque, a quibus unice solatium quaerere ac percipere solitus erat, vixit. Messalae [12]) favorem ac familiaritatem consequutus est animi candore ceterisque dotibus ingenii praeclaris. Nam se hoc consilio, ut ad publicos honores quosdam attolleretur, in illius fidem atque clientelam unquam voluisse

10) v. Hor. l. l. „Quid nunc te dicam facere in regione Pedana."

11) id quod ex Horatii verbis: „artem fruendi" colligere licet, modo ne cum Scaligero de luxuria cogites, qua patrimonium ipse prodegerit.

12) M. Valerius Messala Corvinus ex nobilissima apud Romanos gente prognatus a. 695. postquam optimis in pueritia litteris institutus fuit, cum eloquentia exquisitum civilis doctrinae studium coniunxit, ut reipublicae administrandae sese redderet idoneum. Sublata Iul. Caesaris dominatione partes Bruti et Cassii sequutus est. His autem in pugna Philipp. caesis primo ad Antonium confugit, quoniam per illum pristinam reipublicae salutem restitutum iri maior quam in Octavio spes erat. Quum vero, fide illius et industria suspecta, omnia ad Octavii partes inclinarent, ipse ad hunc se contulit Messala, omnemque ei operam adiunxit adeo, ut gratiam eius et amicitiam promereret summisque honoribus decoraretur, Vellei. II. 71. Ceterum ut virtute bellica prudentiaque civili clarissimus erat, ita multiplicis doctrinae, eloquentiae, poëseos laude florebat eximia. De eo consulas Cic. ad Brut. XV. Quinctil. X, 1. Auctorem Dialogi de caussis cet. 12. 18. aliosque a Wagnero in ed. Elegiae ad Messal. p. 5 sqq. laudatos.

commendare, vix mihi persuadeo [13]). Messala autem rebus sui Albii consulturus eum sive de rebus familiaribus reparandis, sive, quod vero similius, de tuenda equestri dignitate admonuisse et, ut suis ipsius expeditionibus sese adiungeret comitem, aliquoties evocasse videtur. Corporis etiam bonis Albium non caruisse, testantur et Horatius et antiqui vitae auctores [14]). Eodem fere anno, quo Virgilius fato decessit, i. e. a. 735., morte absumtus est, postquam circiter 40 annos vitae complevit [15]).

13) Romulus arctissimo Patricios et Plebeios vinculo inter se iuncturus cuique ex humilioribus id optionis dederat, ut, quem vellet, patronum sibi legeret. Hunc oportebat clienti respondere de iure, absentis aeque ac praesentis curam agere, accusatoris impetum sustinere et al. Hunc quidem morem, si unquam, mutata certe regni forma, diligenter servarunt. Maxime enim eorum, qui humili loco nati essent, interfuit, unum ex nobilibus sibi adiunctum habere, qui praecipuum gratiae locum apud Principem obtineret. Talia inter Maecenatem et Horatium Virgiliumque intercessisse constat.

14) v. Hor. Epist. I, 4, 6. „Non tu corpus eras sine pectore; Di tibi formam — dederunt.“ Conf. auctor vitae T. „insignis forma, cultuque corporis observabilis.“

15) Mortem eius immaturam deflet Ovidius, Am. III, 19. cl. Trist. IV, 10, 51. et Domitius Marsus in epigr. Tib. carminibus annexo.

DE
TIBULLI MORUM ATQUE INGENII INDOLE.

Moribus homine ingenuo dignis, probis et pro temporum ratione pudicis praeditus erat Albius. Aliter quidem sentient ii, qui, ut cum Nepote [1]) loquamur, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putent. Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, non mirabuntur, Tibullum id saepius sibi sumsisse, quod nostris moribus nisi nefas, minus certe pudicum et moderatum habetur. Amoribus non puellarum modo libertinarum, sed puerorum *quoque tenerorum liberius indulsit.* Quos quidem quum ad severam nostrae aetatis disciplinam exegerimus, magnum est periculum, ne foedae libidinis Noster accusari posse videatur. At pro istius saeculi conditione nulli erat turpe, puellas libertinas puerosque teneros amare. [2]) Ceterum animo

1) v. Praef. 2 sq.

2) cf. Tib. I, 4. I, 9. Castus quidam et vere honestus olim fuit mos Graecorum, quo viri annorum gravitate et vitae probitate conspicui sensuque venusti acuto praediti pueros, quoscunque animi corporisque dotibus excellere vidissent, in amicitiam recipere et ductu suo atque auctoritate ad vitam bene recteque instituendam erudire et ad praeclaras res gerendas excitare solebant. Huc Socratis, Dionysii, aliorum spectant amores, v. intpp. ad Nep. Alcib. II, 2. Cic. Tusc. V, 20. Non tamen dissimulare licet, mox coeptum fuisse, his amicitiis non nisi propter mollitiem ac voluptates indulgere inprimis apud Romanos, v. Hor. IV, 1.

fuit candido, sincero, continenti, ab adulatione et omni divitiarum gloriaeque cupiditate alieno. Subita etsi dulciorum et tristiorum affectuum commutatio, qualis amantium esse solet, haud raro deprehenditur, propria tamen animi Tibulliani haec est indoles, ut perditorum saeculi morum taedio affectus semper fere desiderio melioris fortunae percutiatur. Mollium et delicatorum sensuum ut est plenissimus, ita perturbationibus vehementissime agitatur et aegritudine gravissime cruciatur, ubi res male cesserunt et ipse amicarum vel fastidia vel avaritiam expertus fuit. [3]) His accedunt pietas erga deos, superstitio circa religiones, studium libertatis, patriarum omniumque domesticarum rerum singularis amor.

3) Hinc enatae sunt querelae de vitiis hominum, et artium, quibus ad cupiditates explendas utebantur, detestationes, I, 4. I, 9. I, 10. II, 3. II, 4. al. Hinc suavissimae priscorum temporum felicitatis picturae, I, 3. I, 10. Hinc denique Elysiorum camporum, I, 3. vel funebrium rerum adumbratio, III, 2. Ad animi morumque T. indolem recte iudicandam compares, quae notarunt vv. dd. R. van Ommeren: „Es fehlt nicht an Menschen, die in ihrer ruhigen Einsamkeit mehrentheils sehr glücklich sind, nicht durch den verständigen und zufriedenen Genuss ihres gegenwärtigen Glücks, sondern blos durch die stete Vorstellung einer neuen idealischen Welt, der diese einförmige und mangelhafte Erde in nichts gleicht. Zu dieser Art Menschen gehört unter den Alten vorzüglich der Dichter Tibull;" Wieland ad Hor. Epist. I, 4. „Tibulls eigner Character ist, mehr — oder fast ganz allein — verfeinerte Sensualität;" vir doctus in Supplementis ad Sulzeri theoriam cet. vol. II, p. 1. „Die Hauptzüge Tibulls sind Hang zu ruhigen und feierlichen Empfindungen, zum Schwärmerischen und Zärtlichen, zuweilen plötzlich lebhafte Aufwallungen, die sich aber immer in Ergebung und Duldsamkeit auflösen" cet. Ramdohr in libro: Venus Urania, vol. III. p. I. „Tibull besass nicht blos ein Herz; er besass ein Herz für wahre Liebe geschaffen" cet.

Iam de ingenio Tibulli dicas, celeritatem, ubertatem, acumen magis quam culturam et studium e carminibus elucere. Rectum plerumque de rebus fert iudicium, nisi quum forte superstitiones saeculi et pravae opiniones mentem tenent occupatam. Sagacitate animi et facultate ex rebus praesentibus de futuris coniiciendi instructus ad tractanda publica negotia idoneus erat, si ad civilis vitae laudem gloriamque adspirare voluisset. Neque minus placet ea ingenii solertia, quae mores et affectus tam egregie exprimat, ut interiorum humanae mentis animique sensuum vivam quasi picturam intueri videamur. Vix autem quisquam eorum, quos Augusteum aevum tulit, poëtarum suo ingenio tam fideliter obsequutus est, sive suam sentiendi cogitandique rationem tam constanter servavit quam Tibullus. 4) Argumenta sive res, quas tractaret, ex animo suo expromsit, easdemque suo more, suo sermonis habitu atque colore exposuit; non alieni sequax; nihil curiosius aliunde conquisivit, nihil eruditionis alieno loco et tempore iactatae prodidit. Est quidem duplex species et character Elegiarum Romanarum, alterum dico externum peregrinumque, domesticum alterum patriumque. Et hoc sane servavit Albius, si quidem suam linguam

4) Scalig. Poët. VI, 7. de Tibullo: „Uniformis ille paene totus est, vixque decedens a se ipso, eodem paene gyro concluditur. Audis enim casas, focos, rura, nemora, praela, spicas, sacra tum saepe, tum multum.“ Cf. Turneb. XIV. Advers. 19. „Tibullus ille politus et suavis poëta et quidam Phoebeus olor, in quo sincerus esse videtur et ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo.“

minime ad Graecae poëseos genium inflexit et informavit. [5]) Itaque iure eos reprehendas, qui, opinione quadam praeiudicata decepti, a Graecis totum pependisse Tibullum contendant.

Iam ceteras virtutes poëticas quod attinet, principatum in Elegia scribenda iure quodam veteres aeque ac iuniores critici Tibullo concesserunt adiudicaruntque. [6]) Et sane sincerus cultissimi sermonis

5) R. van Ommeren: „Tib. hatte die Theorie der Dichtkunst nicht studirt. Wenn seine Einbildungskraft mit angenehmen Phantasieen erfüllt war, wenn seines Herzens sich einige Empfindungen bemeistert hatten, schüttete er es in den Schoos der Musengöttin aus, und es ergoss sich in Elegieen. Dieses ist der Grund, warum seine Gesänge wegen ihrer einfachen Grazie in allen Jahrhunderten, bei allen Völkern, von wahren Kennern so bewundert worden sind, und so lange der menschliche Geist sich gleich bleibt, immer Bewunderung erhalten werden; und deswegen auch, weil sein Character so sichtbar aus seinen Gedichten hervorleuchtet, können wir auf ihn anwenden, was Horaz Sat. II, 1, 30. vom Lucilius sagt." Conf. Conzii (in Haaffs Zeitschrift: Philologie, Stuttg. 1803.) verba: „Bei Tib. ist alles mehr Gefühl, als bei Properz, und seine Einbildungskraft dient mehr seiner Empfindung. Physische und geistige Stimmung, eine natürliche süfsmelancholische Laune, die durch den Einfluss minder günstiger Umstände genährt und erhalten wurde, gaben ihm einen Character gefälliger Weichheit, der durch alle seine Gedichte durchschimmert."

6) Ad mollia studia natus videbatur Ovidio, qui „come ingenium" ei tribuit, Trist. V, 1, 18. et „cultum" appellat Tibullum, Am. I, 15, 28. III, 9, 66. Quinctil. X. Inst. 1. „Elegia Graecos quoque provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus." Cf. Vellei. II, 36. „Livius Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui." Joach. Camerarius: „Ego vero quoties Tibulli carmina lego, nihil amplius requiro; neque venustatis, neque elegantiae, doctrinam autem et eruditionem admiror. Omnia arte studioque summo elimata mihi videntur; itaque in maxima facilitate illa tamen cura elaborationis conspicitur. Verba optima, sententiae exquisitae, compo-

nitor, verborum delectus et copia mollis ac delicata aequabilisque vocum compositio et consequutio, nativus neque anxie quaesitus dispositusque cogitationum et sententiarum ordo lectoris animum mirifice tenet, quamvis plerumque tenuissimo filo series orationis annexa videatur. Immodico translationum usu abstinet, neque incalescit neque assurgit oratio, nisi quum res ipsa singularem prae se ferat gravitatem et concitato spiritu digna censeatur. Singula quaedam loca si iusto humilius tractata negligentiusque, quam par erat, culta et composita vulgarem loquendi morem referre videantur, ea, si quid video, vel ab elegiae tenuitate vel ab auctoris iuventute excusationem habent.

Versus compositio mire exacta, rotunda, legitima;[7]) numeri perpetua fere dulcedine, concinnitate, lenitate procedunt.

sitio omnibus, ut aiunt, numeris perfecta. Ex quo necesse est hoc consequatur, carmina ut sint et canora, et splendida, et concinna."

7) In priori, ut pauca afferamus, pentametri hemistichio collocare solet bina epitheta, quae aut nulla voce media, ut I, 7, 16. 22. 36., aut una vocula interposita, cuiuscunque sit classis, dispescuntur: in posteriori versus parte bina exstant subiecta cum uno verbo regente, quod medium interpositum, v. I, 10, 4. I, 7. 26. I, 9, 4. I, 10, 14. cf. Broukh. ad II, 3, 62. (II, 6, 22. Br.) et Burm. ad Lotich. praef. p. IX.

Pentametros in voces quatuor sive plurium syllabarum, ex quibus ultima brevis est, exeuntes parcius admisit, v. I, 4, 84. cf. Wagner. ad Eleg. in Messal. p. 34. In hunc autem censum non veniunt versus polysyllabi, quorum ultima clauditur consonante, v. I, 1. 38. I, 5, 32. I, 7, 32. I, 7, 32. II, 1, 18. III, 4, 30. III, 6, 8. Natura enim consonantis fert, ut versus plenius exeat, brevisque syllaba longam aequet, v. Wund. ad I, 4, 4.

Hae quidem virtutes [8]) non multos tantum, qui aequales Tibullo erant, ad studiosam carminum eius lectionem invitarunt, v. Ovid. Trist. II, 463 sq., sed et recentiorum poëtarum ingenia ita allexerunt, ut e quavis fere natione existerent, qui colorem suum ex Tibullo ducere, nativamque eius simplicitatem imitando exprimere studerent. Ad hanc potissimum laudem adspirarunt ex Italis: Hercules Strozza, P. Bembus, Iac. Sannazarus, Bas. Zanchius; e Germanis Petr. Lotichius Secundus, Chr. Ew. de Kleist, alii, qui sese in Tibulli familiaritatem dediderunt suumque ingenium ad Tibullianum conformarunt.

Religiosus quoque fuit T. in componendis iis pentametris, quorum hemistichia inter se possint commutari, quamquam non prorsus hac vituperatione liberari potest, v. II, 3, 14. III, 6, 4. Quam ob caussam partes Vossii, qui, ut huic rei caveatur, I, 4, 4. *est* delendum censet, non amplector. Wunderlich. istius generis versibus patrocinatur.

8) Muretus, instituta Tibulli et Prop. comparatione, varias utriusque genii dotes egregie depingit, his verbis: ,,Summa in Tibullo elocutionis elegantia et proprietas; summa in Propertio eruditionis poëticae copia et varietas; in illo Romana prope omnia; in hoc pleraque transmarina. Illum nativa quaedam et incorrupta Romani sermonis integritas in media urbe natum et altum esse perspicue ostendit; hunc praeter cetera forma et character ipse dicendi in Graecorum poëtarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat. — Mollior ille et delicatior; nervosior hic et acutior. Illo magis oblectere; hunc magis, ut opinor, admirere; illum iudices simplicius scripsisse, quae cogitaret; hunc diligentius cogitasse, quid scriberet; in illo plus naturae; in hoc plus curae atque industriae fuisse perspicias."

ELENCHUS

LIBRORUM ET MANU SCRIPTORUM ET EDITORUM, QUOS IN CONSILIUM ADHIBUIMUS.

Quotquot Tibulli codices mss. hodie extant, eos fere omnes saeculo XV. vel XIV. exeunti assignandos esse, iam alii viderunt ac pronuntiarunt. Iam vero quod ad conditionem, qua pervenit ad nos Tibullus, attinet, eam ex uno codice fluxisse praeter Heynium alii statuerunt. In qua re neque Vossium, nec me assentientem habent. Nam quod in locis mutilis vel manifeste corruptis omnes libri conspirant in corruptelam, id pro argumento satis ponderoso vix haberi potest, quum vel in singulis lectionibus, vel in quibusdam carminum partibus disponendis tanta appareat discrepantia, ut, quomodo haec ex uno eodemque libro enata fuerit, vix ac ne vix quidem intelligatur. Hoc autem certissimum, Tibulli carmina veteribus obsessa ulceribus ad nostram pervenisse aetatem. Fuerunt enim non veterum modo in deliciis, verum tunc etiam, quum codices iique male forsitan habiti et truncati ex bibliothecarum latebris protracti erant, lectione frequentata, imitando expressa, corrigendo tentata sunt. Huc certe spectant studia, quae viri quidam in Italia docti in operibus cum aliorum poëtarum, tum triumvirorum, Catulli, Tibulli, Propertii, collocarunt. [1])

1) In hac re laudandi sunt a) Franciscus Philelphus, Tolentinensis, nat. 1398. † 1481. Vir suae aetatis multo doctissimus, et Epistolis, Orationibus, aliis operibus editis, celeberrimus.

Praeter illos non defuerunt fraterculi, quibus pro sua ipsorum severitate sive superstitione poëta nunc nimis lascivire, nunc pietatem in deos laedere videretur. His contra exstiterunt alii, qui liberius indulgerent libidinibus, et suos impuros sensus in Tibullum translaturi nova admoverent commenta. Itaque non mirum, foedissimis passim interpolationibus contaminatas esse Tibulli reliquias. Ab istis ut poëta liberari et omnino rectum de lectionis veritate atque auctoritate iudicium ferri posset, eos, qui ad emendandum textum studia sua conferrent, oportuit, codicum origine ac fonte indagato et certis illorum classibus familiisque constitutis, diligenter investigare, quae librorum sit conditio, quae fides. Haec quidem provincia quanta incuria vel iis, qui codices mss. inspexerunt et tractarunt, administrata fuerit, non est, quod operosius demonstremus. Iam satis habuerunt, certis aut nu-

b) I. Iov. Pontanus, Cerretensis, nat. 1426. dec. 1503. Praeter philosophica opera scripsit historiam belli Neapol. libb. VII. Latini sermonis bonitate satis celebratus. c) Io. Aurispa, natione Siculorum oriundus, non multum ab initiis seculi XV floruit, versu et prosa oratione plurimum valere creditus. Fuit ab epistolis Latinis Eugenio quarto, qui factus est pontifex a. 1431 et obiit 1446. Cf. Broukh. ad I, 2, 24. d) Seneca quidam, de quo non exploratum est. Nomen eius in quibusdam codd. Tib., Cat., Virgilii, adscriptum exstat.

Ab his quidem viris malam saepe manum in emendandis, supplendis, immutandis singulis veterum scriptorum locis adhibitam esse etsi non negaverim, cf. Hand. in Obss. ad Catull. p. 20. non tamen, ubicunque nomina eorum margini codd. adscripta sunt, ab iis interpolatum esse mihi persuadeam. Etenim aliquot interpolationes, quae illorum nomine feruntur, in iis etiam comparent libris, qui aetatem illorum excedunt et inter vetustissimos optimosque censentur.

meris aut nominibus distinguere libros in usum collatos. Ex hac ipsa re intelligi poterit, cur criticorum subsidiorum usus tam vagus atque incertus, et commoda ad restituendum textum adhuc fuerint tam exigua. Eo vero molestius tuli, mihi non datum fuisse, eos codices, qui ab antiquioribus criticis adhibiti sunt, inspicere et usurpare. In his rerum angustiis id potissimum egi, ut lectionis varietatem, quam editiones criticae suppeditant, sedulo excuterem, et ubi vulgaris textus mutandus erat, spectatissimos, i. e. de quorum vetustate, fide et pretio probabiliter satis exploratum est, codices in usum adhiberem. Ceterum vix huius loci esse quum existimarem, omnium, quorum auctoritate Tibulli lectio stabilita est, librorum scriptorum et editorum recensum dare, eos tantum, quibus ego instructus ad hanc editionem parandam accessi, breviter describere volui. In hunc igitur censum veniunt.

A) *Codices quatuor Berolinensium nomine insigniti.*

Dominum habuerunt H. Fr. de Dietzium, qui, postquam Regi Borussorum potentissimo a consiliis intimis et legationibus olim fuerat, extremam fere vitam otio litterato in villa proxime Berolinum sita peregit. Hic vir, insigni, dum vivebat, de Musarum cultoribus bene merendi studio incitatus, prolixa humanitate, quae in exemplum proponatur digna est, non hos tantum libros scriptos, sed plurimas etiam editiones mihi subministravit. Post cuius mortem cum reliqua illius supellectile libraria in publicam Reg. bibliothecam

transierunt. Iam quod ad codd. hos mss. attinet, quamvis ipsi vix ultra typographiae incunabula assurgant, multis tamen in locis minime contemnendi sunt, id quod syllabus variantium calci subiectus docebit.

1) Codex chartaceus, formae, quam vocant, octavae maioris, charactere litterarum minori non admodum diverso ab hodie consueto, satis accurate et eleganter exaratus. Initiales versuum litterae sunt maiores, rubris lineamentis distinctae, a ceteris paullum separatae. Pentametri aequali cum hexametris spatio a margine distant. Pauca vocum habet compendia. Signum *u* et vocali et consonanti inservit. *Que* a suo verbo separatum. Perpaucas var. lecct. et correctiones eadem, qua contextus, manu in margine scriptas continet. Tibullo subiectum habet Ovidii Ibin cum scholiis. Totus liber 67 foliis constat. Apographo eius levi et, ut videtur, tumultuaria cura facto I. H. Vossium usum esse, nostra collatio diligenter instituta docet. Signif. sub nr. 1.

2) Codex chartaceus, eiusdem cum superiori formae, curate et eleganter scriptus, litterarum charactere paulo minori. Pentametri longius distant a margine quam hexametri, quorum initiales paulum separatae ornamentis carent et picturis. Diphthongos non habet. *Que* arctius annexum. *U* vocalem aeque ac consonantem designat. Correctiones margini ab eadem manu adscriptae. Folia 41 complet. Nr. 2. insign.

3) Codex chartaceus, a Car. Dato pervenit ad Petr. Rendorpium, deinde ad Laur. Santenium 1760. E cuius bibliotheca una cum ceteris hunc emit de Dietz. 1800. Forma oct., minutiori litterarum cha-

ractere scriptus. Initiales separatae exstant sine picturis, excepta prima omnium littera, *D*. Non caret mendis, quorum multa, nisi inscitiae, certe negligentiae certissima videntur indicia. Pluribus quam duo priores utitur compendiis. Semper *ʃ*, non *s*, in fine. *Que* arctius adhaeret. Diphthongi exulant. *H*. frequentatur, v. c. *his*, *thorus*, pro: *is*, *torus*. In margine variantes ex vulg. recensione depromtas adscripsit, nisi me omnia fallunt, Santenius, qui eundem librum in nota marg. ad bibl. crit. laudavit. Complet hic cod. 48 fol. In nostra editione nr. 3. notatur. Librorum *FF* in Broukh. ed. tanta cum nostris 2. 3. similitudo invenitur, ut pro iisdem habendos esse vix dubitem. Parum autem diligenter et accurate illis usum fuisse Broukhusium, in promtu est videre.

4) Codex membraneus, olim fuit Ducis de la Valliere, quod *mihi* per litteras nuntiavit de Dietzius. Forma oct. minutissima. In fronte libri littera *D*. nitore auri et variorum colorum splendet. Character est minutior, similis fere uncialibus litteris. Vocum compendia creberrima. Diphthongis caret. *ʃ* in fine longum, non *s*. Correctiones partim in ipso contextu a manu secunda partim margini appositae haud indoctum produnt scribam. Nonnulla sibi propria habet. Frequentatur scribendi ratio: *iubsit*, *obscula*, pro *iussit*, *oscula*. Carmen ad Messalam ex eo plane exulat. Subiectos continet fastos Romanos cum expositione. Hanc Vita T. excipit, rubro colore tincta. Fol. 49. constat. Sign. nr. 4. Nusquam in his libris distinctionum signa comparent.

B) *Collationes et Excerpta manu scripta.*

1) Libellus variarum e codd. Angll. lectionum ab N. Heinsio scriptus. In quo collati sunt *a*) codex Ms. bibl. Bodlei. ex dono Archiep. Cantuar. cet Script. 1460.

b) Cod. eiusd. bibl. Forma octava. Idem hic videtur esse cum G. Laudi libro, quem Broukh. p. 409. sub littera L notavit.

c) Cod. Archiep. Eboracensis, circa initia, ut videbatur; artis typograph. scriptus, circ. 1450.

d) Eiusdem cod. eodem fere tempore scriptus. Dedicatio intus habetur: „Lilius Castellanus suo Antonio Iacobo Racinatensi S. P. D."

e) Eiusd. cod. omnium, quos vidi, vetustissimus, quippe qui anno 1425. scriptus erat, ut in fine legebatur.

His quidem codd., in nostra ed. litteris A. B. C. D. E. insignitis, maiorem prae aliis fidem habendam duxi, utpote qui parcius, quam Italici, manus experti fuerint emendatrices. Broukhusius collatione Heinsiana non semper accurate usus esse videtur.

2) Variarum lectionum libellus, inscriptus: „Ad Catullum, Tibullum et Propertium emendationes ex variis vett. codd. mss. Holm. Suecor. 1662. Ex libro Heinsii ed. Ald. 1515, quam cum Mss. contulerat Anton. Perreius, descripta haec manu Tollii." Hoc volumine continentur:

a) Excerpta Scaligeri, quae passim vocat vetustissima. Quo cod. quanquam ipse non videtur usus, magnam tamen auctoritatem ei tribuit.

b) cod. recens Scaligeri, ut ipse passim fatetur.

c) cod. Cuiacii, qui libr. III, 4, 65. incipit. Non contemnendus, neque ab aetate, neque a lectionibus, quas suppeditat.

5) Collat. liber, inscriptus: „Variae lectt. in Tibullum, quas ex vetustissimo, ut apparet, cod. ad marg. ed. Brix. 1486. sedulo adnotarat Anonymus. Nos addidimus quoque discrepantes lecct. edd. Brix. et alterius, quae Reg. Lep. prodiit, 1481.

4) Lucae Langermanni annotationes marginales in Cat. Tib. Prop. Plerumque varr. ex libris Palat. continent, additis paucis coniecturis.

C) *Editiones variis lectionibus e libris scriptis excerptis vel etiam coniecturis ad marginem notatae.*

1) Tib. Cat. Prop., cum eorum vita, opera, Reg. Lep. 1481. fol. Annotationes marginales auctorem habent Alexandrum Syncliticum, initio saeculi decimi sexti, Iuris in Patavina Acad. interpretem summum, celeb. Iac. Cuiacii discipulum atque aemulum. Plerumque in explicando sermone et sententiarum nexu continentur. Rarius varr. lectt. exhibent.

2) Cat. Tib. Prop. Ed. I. Dousae, Lugd. B. 1592. continet marg. notas, ni fallor, ab Heinsio scriptas.

5) Cat. Tib. Prop. ed. Scalig. 1582. cum notis marginalibus a Broukh. scriptis.

4) Tib. ed. Broukh. 1708. cum marginalibus a Santenio appositis.

5) Bibliotheca critica, Amst. vol. I. p. III. complectitur ad censuram Tib. Heyn. notas a Santenio conscriptas.

D) *Editiones Tibulli.*

1) Cat. Tib. Prop. Carmina. P. Pap. Statii Sylv. liber. 1472. fol. min. Haec est princeps editio, e bibl. Ien. paratissima Viri cel. Handii voluntate mihi subministrata. Vulpius in ed. 1749. selectas ex illa

lectiones attulit. Textus, quem haec ed. exhibet, cum nullo librorum adhuc collatorum ea est conspiratio, ut appareat, ex quo codice sit descriptus: Palatinos autem libros ad usum fuisse vocatos, vestigia quaedam mihi deprehendisse videor. In paucis ab ea discedit Venet. 1475., quam Broukh. pro principe habuit.

2) Tib. Cat. Prop. opera, Reg. Lepid. accuratiss. impressa, auctoribus Prosp. Odoardo et Alberto Mazali Regiensibus, 1481. fol. Maximam certe partem ad ed. pr. expressa.

3) — — — Impressi Venet. 1487. fol. Repetita ex ed. Brixiensi 1486. cum Cyllen. Ver. commentariis.

4) — — — cum comment. Bernard. Ver. in Tib., Anton. Parthenii in Cat. et Phil. Beroaldi in Prop. Venet. 1493. fol. Cum proxime anteced. ad verbum fere conspirat, iis locis demtis, ubi menda typograph. sublata sunt. Commentarii praeter multas nimis argutas explicationes nonnulla bonae frugis habent.

5) — — — cum comment. Cyllenii, Parth. cet. Venet. 1500. fol.

6) — — — Ven. 1520. fol. Utraque ad meliores libb. passim correcta. In textum receptae sunt lectiones, quas in prioribus edd. Cyllenius non nisi in comment. laudaverat.

7) — — — in aedibus Aldi, Ven. 1502. 8. Fundum habet in Ven. 1500. Accesserunt autem correctiones, ut videtur, ex aliquo codice enatae, quanquam aliquot iam Reg. 1481. suppeditat.

8) — — — in aed. Aldi et Andreae soceri, Ven. 1515. 8. Fuerunt, qui Heynium sequuti hanc ed. prorsus novam esse recensionem contenderent. Falso. Textum prioris Ald. praestat saepius mutatum, rarius emendatum.

9) Tib. Cat. Prop. Access. Corn. Galli fragmenta. Basil. per Nic. Brylingerum, 1546. 12. In Heyn. elencho deest.

10) — — — cum indice Horatii Tuscanellae, Bas. 1569. 8. Utraque ad Aldin. secundam satis fideliter excusa. Eadem fere

11) — — — Bas. per Seb. Henricop. 1592. 8. textum hic illic emendatum exhibet non vero ex Scalig. ed., quod Heynius existimavit. A prioribus in eo diversa, quod a margine selectas var. lectiones easque meliores subministrat, quam contextus habet.

12) Catullus et in eum Commentarius M. Ant. Mureti. Ab eodem correcti et scholiis illustrati Tibullus et Prop. Ven. ap. P. Manut. 1558. 8. Recusa quidem ad Ald. 2., sed veterum librorum, quorum nullum tamen diserte nominat, ope passim emendata.

13) Cat. Tib. Prop. nova editio. Ios. Scaliger recensuit. *Accedit eiusdem in eosdem castigationes.* Antwerp. 1582. 8. Non mera est edit. 1577. repetitio, sed passim mutata et correcta. Ab utraque interdum abeunt

14) Editiones a. 1600. 1607. 1622. cum castigationibus. Scaliger, ut doctrinae laude ingeniique acumine maxime conspicuus erat, ita plurimum proficere poterat, nisi festinatione usus nimia ingenii sui inventa quam codicum fidem exhibere maluisset. Etenim quot quantaque vulnera Tibullo temeritas illius inflixerit transmovendo, dilacerando, corrigendo, non est, quod exemplis confirmemus. Taedet autem, quod Scaligeri auctoritas multorum meliorumque interpretum iudicia occupavit et pervertit. Ipse in constituendo textu Mureti obtrectatione adductus Aldinam priorem sequutus est. Non tamen dissimulare licet, meliorem e libris, inprimis cod. Cuiac., lectionem a Scaligero interdum esse revocatam.

15) Cat. Tib. Prop. Antwerp. ex off. Ch. Plant. 1569. 12. Ad Ald. 2. excusa, passim e Muret. et Statii edd. correcta. Varietatem lectionis in margine exarandam curavit Pulmannus.

16) — — — denuo recogniti ac variis lectt. et notis illustrati a Ian. Dousa, fil. Lugd. B. ex off. Rapheleng. 1592. 12. Fundus est editio proxime superior. Ab Aldina autem sec. frequenter discessit, libris scriptis, potissimum Lipsii Excerptis in usum adhibitis. In marg. Scaligeri et Fruterii coniecturae.

17) — — — serio castigati. Antwerp. Raphel. 1603. 24. Satis fideliter ad proxime superiorem concinnata.

18) — — — cum var. doct. commentariis, notis et obss. in unum congestis. Lutet. 1604. fol. Textum Plant. sequuta. Ad calcem Scalig. recensio repetita.

19) Io. Passeratii Commentarii in Cat. Tib. et Prop. Paris. 1608. fol. Textum e Scalig. recens. exhibitum sequuntur praelectiones seu notae, in Tib. breves, in carmen ad Messalam copiosiores.

20) Cat. Tib. Prop. cum I. Livineii notis nec non uberioribus Ian. Gebhardi animadv. Francof. ex off. Wechel. 1621. 8. Ad Basileenses, potissimum a. 1569. expressa, multisque mendis typograph. inquinata. Suas tamen dotes haec ed. habet a Liv. et Gebh. notis, quae plerumque critici sunt generis.

21) — — — e rec. I. G. Graevii cum notis integris Ios. Scalig., Mureti, Ach. Statii, aliorum. Trai. ad Rh. 1680. 8. Paucis a Scalig. receptis lectt. Plantin. a. 1592 sequitur.

22) — — — interpret. et notis illustr. a Ph. Silvio in usum Delphini, Paris. 1685. 4. Scaligerana recensio subiectis periphrasi et notis parum fructuosis.

23) — — — ad opt. exemplar. fidem recensita. Acced. var. lect. e Mss. Cantabr. 1702. 4. Splendida

haec editio ad Plant. 1592. potissimum curata meliores ex aliis quoque edd. et libris collatis offert.

24) Albii Tibulli Equ. Rom. quae extant, ad fid. vett. membr. sedulo castigata. Acced. notae cum var. lect. libello cet. (studio Ian. Broukhusii) Amst. 1708. 4. Scaligerum religiose in carminibus disponendis sequutus est, minus in constituendo textu, quem hic illic ad codd. fidem emendavit. Interpretatio absonis interdum opinationibus molesta, et iusto uberior in formis loquendi explicandis et confirmandis, parcior in sententiis illustrandis earumque nexu expediendo, et in difficultatibus rerum profligandis. Maiores huic ed. accesserunt dotes a subsidiorum criticorum copiis.

25) Cat. Tib. Prop. ex rec. I. A. Vulpii Bergom., cum eiusd. obss. Patav. 1710. 4. Ad Scalig. recens. curata. Notae textui subiectae exegetici sunt generis, parum autem utiles.

26) — — — ad fid. optt. exempl. recens. cum Mss. var. lect. marg. appositis, Paris. 1723. 4. Scalig. recensio, a qua hic illic discessum est.

27) Alb. Tibullus, Equ. Rom., et in eum I. A. Vulpii novus commentarius diligentissimus. Patav. 1749. 4. Prudentius hic rem Vulpius administravit. Desertis enim Scaligeri partibus ex libb. et scriptorum et impressorum auctoritate textum emendavit, neque Broukhusium neque alios pressius sequutus est. Commentario satis prolixo illustravit poëtam, variasque lectiones interdum attulit e cod. Guarneriano, ed. pr. aliisque.

28) Alb. Tibulli Carmina cet. novis curis castigavit Chr. G. Heyne. Ed. tertia emend. et auctior. Lips. 1798. Prioribus, quae cura Heynii prodierunt, editionibus, a. 1755. 1773., novae accesserunt copiae ac dotes e codd. 3. Guelf. et edd. recens collatis. Si verum

est, immortalem Heynium, nimia quadam Scaligeri, Broukhusii, Vulpii admiratione ductum, ab eo, quod unice rectum et verum esset, abiisse passim ad deteriora et, si suorum sensuum veritatem ac iudicii elegantiam sequi maluisset, poëtam probabilius restituisse, non tamen scio, cuius animi is fuerit, qui meritis Viri in aeternum colendi obtrectando detrahere sustineat. Nam ut vix quisquam ante eum in Tibulli ingenium, mores, rationem, altius se insinuavit, neque venustatis et candoris Albiani intelligentior fuit, ita, qui subsidia laboriosius conquisiverit, conquisitisque ad poëtae lectionem adiuvandam diligentius atque elegantius usus fuerit, neminem scio. De studiis Heyn. in Tibulli carmina collatis verissime iudicavit Santenius in bibliotheca crit. vol. I, p. III. Textum Heynii curis restitutum proximi deinde editores exarari iusserunt. Inter quos habentur

29) Götting. 1762. 12. quamquam singulae quaedam ex antiquioribus edd. lectiones revocatae sunt.

30) Bipontini, 1783. 8.

31) Rotterdam. 1805. 12. nitide satis et accurate expressa.

32) Tib. Elegieen lat. und deutsch von Fr. K. Strombeck. Gött. 1799. 8.

33) Tib. Carmina cet. ed. E. C. Fr. Wunderlich. Gött. 1818. 8. Duae posteriores edd. minus presse vulg. textum sequutae sunt.

34) Alb. Tibullus und Lygdamus nach Handschriften berichtigt von I. H. Voss. Heidelb. 1811. 8. Etsi editor illustris ope XI codd. mss. et vett. edd. textum permultis locis emendatiorem reddidit, tamen ingenii sui calorem sequi quam criticam accurationem adhibere maluisse videtur. Tot enim tantisque commentis textum novavit, ut saepe Tibullum vix

agnoscas. Dicat aliquis, Heynium scrupulosius, quam par erat, Vossium nimis pro imperio egisse. Cf. cens. Eph. litt. Lips. 1813. Nr. 98. Ad intelligentiam poëtae aptissimae sunt observationes, quas versioni germanicae subiecit Vossius. Vid. Alb. Tibullus und Lygdamus. Uebersetzt und erklärt von I. H. Voss. Tüb. 1810. 8. In his notis solertia et acumen ingenii Vossiani multas vel dispellit vel minuit tenebras.

Sequuti sunt editores, qui religiosius in edendis veterum scriptis versandum esse persuasi a textu Vossiano recedebant.

55) Tib. Cat Prop. ad opt. libb. fid. accurate editi. Lipsiae ap. Tauchn. 1812. 12. Textu a coniecturis purgato lectiones e vet. libris meliores passim revocatae sunt.

56) *A. Tibulli Elegiae tres. Diversitatem lectionis* Vossianae suasque animadversiones adiecit Em. G. Huschke. Rost. 1814. 4. Continet libri primi I. III. VII. Vulgarem textum vindicavit et e solidioris doctrinae subsidiis, quibus amplissimis est instructus praeclarus Auctor, et interpretationem et crisin adiuvit. Vid. doct. censuram in Eph. Litt. Ien. 1815. p. 185 sqq.

57) Alb. Tibullus; mit deutscher Uebersetzung und einer Auswahl der vorzüglichsten prüfenden und erläut. Anmerk. verschied. Gelehrten. Lips. 1816. 4. Auctor huius ed., Conr. Al. Bauer, vulg. recens. ita tenuit, ut, quaecunque ab Heynio in obss. probata essent, reciperet. Animadversiones plerumque in diiudicandis lectt. Voss., et explanandis obscurioribus locis continentur.

58) A. Tib. Carmina. Heynii ed. 4ta nunc aucta notis et obss. E. C. Fr. Wunderlichii. Lips. 1817. 8. In

vestigiis Heyn. non fideliter constitit auctor, utpote qui ad codd. fidem vel Heyn. observationes textum refingeret. Non modo exegeticas notas, sed et crit. obss. auxit. Adiumenta emendandae lectionis praeter superiorum editorum copias apographa duorum codd. Zwicc. in partes vocavit. Ubique accurata linguae cognitio et laudanda sane religio in constituendis poëtae verbis spectatur.

His quidem subsidiis instructus atque praeparatus ad meam provinciam administrandam accessi. Praeter ea si qui libelli singula poëtae nostri loca vel interpretando adiuvarent vel corrigendo emendarent, in consilium a me adhibiti sunt. Plura autem ad editionem rite absolvendam opera in tanta paucitate salariorum, quibus nos quidem sustentamur, non potui comparare.

COMMENTATIO CRITICA

DE

TIB. CARMINUM AUTHENTIA.

De librorum, qui duo priores obtinent locos, authentia etsi nemo, quantum ego quidem scio, dubia movit ac proposuit, pauca tamen de aetate, qua carmina, quae his libris continentur, scripta sint, exponere mihi visum est, ut disquisitio de duobus posterioribus rectius possit institui.

Quod igitur ad primi libri attinet elegias, intra annos 723 — 727 eas esse compositas, argumenta ex ipsis petita nobis persuadent. Dicavit illas Deliae. Libertinae haec fuit conditionis, [1]) liberaliter autem educata Romae, et bonis ingenii morumque elegantia insignis. Hanc Tibullus amavit iam virginem et innuptam, ante quam in bellum proficisceretur, v. I, 1, 10, et futuram sibi familiae matrem destinavit, v. I, 5, 19 — 34. Per Albii absentiam in alius amorem se

1) v. I, 6, 67 sq. Vittis enim et stolis solae utebantur matronae ac virgines ingenuae. Ayrm. in Vit. Tib. §. 65. contra dicit, ingenuam fuisse Deliam. Adstipulari videtur Bauerus ad Tib. l. l. quem ita expedire conatur: *Quamvis non ex Vestalium numero sit.* Nimis argute. Praeferenda vulgaris interpretatio: quamvis non ingenuae, sed libertinae sit conditionis.

insinuavit, eique nupta est. At vel nova uxor amico Tibullo non reluctata est, cuius rei maritum ipse admonet, I, 6.

Secundi libri carmina versantur circa Nemesis amorem, et annis 730—734. tribuenda sunt. Ut haec puella formae pulchritudine conspicua, ita bonarum artium contemtu et avaritia fertur famosa. Ipsa quoque libertina fuit. Turpius eam amasse, atque ex amore suo non tam delectationem quam quaestum quaesivisse, constat. Romae vixit, et alios Albio ditiores liberalioresque benignius fovit. Hunc autem amorem in extremam Albianae vitae partem incidisse, cum ex ipsorum carminum indole, tum ex Ovidii testimonio [2]) probatur. Et in carmine ad Messalinum dato v. 109. Tibullus testatur, iam annum in amore Nemesis exactum esse. Quum igitur a 735 T. obiisse, illud autem carmen vix ante 734 compositum esse constet, amor Nemesis ad postremos annos referatur necesse est.

In secundo et tertio huius libri carmine cuiusdam Cerinthi mentionem fecit Albius. Quamquam de genere et aetate illius non exploratum habetur, id certe ex Tib. reliquiis colligere licet, Cerinthum fuisse ado-

2) v. Amor. III, 9, 31 sq.

„Sic Nemesis longum, sic Delia, nomen habebunt;
Altera, cura recens, altera, primus amor."

Conf. ibid. 35 sqq.

„Delia discedens, Felicius, inquit amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis; Quid ais? tibi sint mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu."

lescentem Graeca natione ortum, [3]) nisi nobilem, divitem certe ac culto ingenio, politis moribus, formae pulchritudine conspicuum. Pater eius domi illustri loco natus esse poterat; Romae tamen civitatis ius non habebat. Ex quo enim, monente Heynio pag. 203., omnis terrarum orbis Romam confluere coeperat, multi ex opulentioribus Graeciae Asiaeque splendide satis ibi vivebant, litteris quoque et vitae elegantia conspicui. Ad horum genus iure Cerinthus refertur. Tibullo inde a prioribus aetatis temporibus erat coniunctissimus. Nomen eius an ab oppido Cerintho insulae Euboeae appellatum fuerit, non certis adstrui potest argumentis. [4])

Ad tertium Elegiarum librum transimus. Inscriptus est Neaerae. Quae quo ortu, qua conditione fuerit, non *magis compertum habemus* quam de ceterarum T. amicarum rationibus. [5]) Origine graeca, quod suspi-

3) Non autem servili fuisse conditione Cerinthum, quod Broukh. perperam contendit ad II, 2, 9., e pluribus caussis apparet. Neque verius iudicarunt, qui nostrum Cerinthum in Horat. I Serm. 2, 81. deprehendisse sibi videntur. Schol. Cruquii ad illum locum notavit: „Cerinthus dicitur illis temporibus fuisse pulcherrimum scortum, insigni specie et candore."

4) Cerinthos plures ab oppido Cerintho appellatas esse monuerunt Bentl. ad Hor. I Serm. 2, 81. Koen. in praef. ad Gregor. Cor. p. VI. Schaef.

5) Neaerae nomen apud Graecos iam antiquitus in usu fuisse, vel ex Hom. Od. XX. patet, cl. Plaut. Truc. II, 6. Gell. XIII, 22. A Romanis idem ad puellas proprie translatum, quae levitatis ac perfidiae nomine suspectae habebantur, v. Hor. Epod. XV. Virg. Ecl. III, 3. Val. Fl. II, 141. Hinc facile colligas, Neaerae nomen non verum sed fictum fuisse. Non tamen absurdum credere, Tibullum ad suae aetatis usum se composuisse, quo amicarum nomina fingi solebant graeca apud poëtas. Id quod de plerisque

cari licet, parentibus nata nobilibus, divitiis morumque elegantia conspicuis fuisse videtur. Amavit eam Tibullus, eiusque coniugium votis expetivit. Cui quidem rei mater obnisa est, quippe quae cum filia discessit Roma. Plura in Neaeram a Tibullo carmina fuisse scripta, ex eleg. 4, 57. suspiceris.

Ceterum huius libri carmina Tibullo ab antiquioribus fere criticis unanimiter adiudicata sunt. Primus omnium, quotquot vidi, I. H. Vossius ea Tibulli esse negavit. [6]) In qua re assentientem nactus est Eichstadium V. Ill. [7]) Et parum abfuit, quin ipse ego ad virorum illorum sententiam accederem. [8]) Postquam vero, poëtae ingenio moribusque curatius perspectis, in temporum, quibus illae elegiae scriptae sint, conditionem diligentius inquisiveram, non potui, quin mutarem consilium.

Iam breviter examinemus caussas, quibus Vossius adductus librum tertium abiudicaverit Tibullo.

Primum quidem argumentum suae opinionis a silentio ducit, quo Neaerae nomen ab Ovidio praetermissum fuerit. At quis, quaeso, plenum aliorum

in Horatio memoratis puellarum nominibus statuendum. Et ipse Albius verum Deliae nomen occultasse videtur, si verum est, quod Apuleius in Apologia tradit: „Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominavit — et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu."

6) v. Musenalmanach 1786. Uberius omnia exposita sunt in praefatione Tibullo germ. reddito praefixa, p. XV sqq.

7) v. lib. acad. inscriptum: Disputantur nonnulla de iis, quae novo Tibulli editori vel cavenda vel faciunda sint." Ien. 1806.

8) v. Geist der röm. Elegie, p. 33—36.

amorum recensum in poëta quaerat? Satis Ovidio visum est, eas memorare amicas, in quarum amore totum sese, ac proprium verumque Tibullus exhibuit i. e. eas animi indoles ac virtutes expromsit; quae Ovidio prae ceteris placerent laudeque inprimis dignae viderentur. Deinde amores Deliae et Nemesis, quibus Noster annis provectioribus sese dederat, aetatem Ovidii propius attingebant, quam Neaerae ignes. Denique quo iure Ovidius Glyceram, Sulpiciam, et si quae aliae fuerunt Albii amicae, silentio omisit, eodem, puto, Neaeram potuit tacere. Dicendum igitur, a poëtica ratione et consilio plurium, quibus Noster faverit, amicarum alienam fuisse mentionem. 9)

Alterum νοθείας argumentum Vossius in carminum indole et ratione deprehendisse sibi videtur. Auctorem enim lentum in dicendo et frigidum, in declarandis *affectibus* ieiunum *dicit*. Nihil ardentius concupisci, nihil furtive componi, nihil callide inveniri, queritur. Porro vitae rusticae studia, rerum agrestium laudes, festorum rusticorum Larumque patriorum celebrationem desiderari, monet. Recte. Per-

9) Omnino cavendum, ne testimoniis poëtarum ad historicas res probandas abutamur. Illi enim suis tantum rationibus atque commodis, ubi scriptorum antiquiorum mentionem faciunt, consulere solent. Accedit, quod ne fideliter quidem nomina in partes vocant, sed ea commiscent, et ad quasdam transferunt personas ea, quae prorsus aliis conveniunt. Sic, ut unum e multis afferam exemplis, Martial. XIV, 193. in verbis: „Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum. In tota iuvit quem nihil esse domo" Nemesi tribuit, quod ad Deliam spectat. Magis etiam fidem testimoniorum poëticorum imminuunt corruptelae, quibus monachorum et grammaticorum inscitia propria nomina saepe contaminavit.

multa in his carminibus occurrunt, quae vel parum subtili iudicio vix satis se probent. At hoc ipsum argumentum non ita magni ponderis mihi esse videtur. Etenim alia vitae aetas et conditio, aliud domicilium alia gignit desideria et magnam in animi, morum, orationis indolem vim habet. Tibullus, quantum ex quoque carmine manifesto apparet, admodum iuvenis Neaeram amavit eique libri tertii elegias dicavit. Igitur, quum fortunis a parentibus relictis adhuc utatur, neque eas calamitates, quae vitae solitariae desiderium animo iniicere solent, expertus sit, non studio vitae agrestis agitatur, neque bonorum gaudiorumque, quae percipi solent e secessu rurali, sensu afficitur. Felicitatem autem domesticam cur non commemoraverit, vix admiretur, si quis continentiam et sapientiam Nostri recte perspectam habebit. Deinde Romae, non ruri, degit Neaera, et omnia in urbe aguntur. Hinc intelligatur, quibus ex caussis laudibus otii rustici aeque ac querelis de bonis accisis abstinere potuerit poëta. In amoribus ipsis talem se exhibuit, qualiter iuvenem vix decimum octavum annum agentem decet. Nihil occulti, nihil dissimulati, nihil per calliditatem agitur. Iuvenilis sive levitas sive aestus in apertas amorum professiones facile erumpit. Expetitur, speratur coniugium. Et quando res male evenerunt, mortem sibi precantur vel ipsi consciscere sibi gestiunt. In his ipsis animi perturbationibus verum agnoscimus Tibullum. Compositio in universum spectata non magis recedit a Tibulliana, quam imaginum indoles ac delectus. Praeter alia comparentur III, 2, 1—4 et I, 10, 1. III, 3, 35 seq. et I, 7, 1. Si tamen negari nequit, loca occurrere singula, quae

iudicium non satis subactum manifestent, quae a meris ingenii lusibus, ab otiosis sententiarum repetitionibus, a duris eloquutionibus, a contortis verborum iuncturis, et a numerorum parum suavi decursu displiceant, a iuvenili quidem impetu facile excusantur.

Vossius inscriptione sepulchrali III, 2, 29 seq. adductus Lygdamum tertii libri auctorem esse statuit. Quaeritur autem, an libertinus Graeca natione ortus, qualem sibi Lygdamum finxit Vossius, carmina scribere potuerit, quae Romanam antiquitatem, urbanitatem, Romana instituta cet. tam clare prae se ferunt, ut auctor Romae natus, intra Urbem informatus et longo linguae Romanae usu edoctus et cultus fuerit necesse sit, cf. Wagner. obss. ad Eleg. in Messal. pag. 55 seq. Deinde Lygdami nomen dari solitum erat iis, qui loco admodum humili nati et ad angustam rei familiaris conditionem delapsi essent, [10]) quod idem Vossius concedit. Quis autem humilitati et tenuitati convenire dicat ea, quae auctor illorum carminum profitetur, votis exoptat, de suis moribus declarat! Nonne potius agnoscas hominem, qui libera usus conditione in ipsa Urbe commodis vitae lautioris fruitur, et delicias e prosperrimo rerum statu enatas non novit modo, sed ipse etiam habet? [11]) Inde sequitur, ut, quaecunque in istis carminibus proferantur, ad iuvenilem Tibulli aetatem referamus eumque illorum esse auctorem credamus.

10) Lygdamus quidam militis sustinet partes in Lucano, III, 710. Nec alio nomine appellatur Cynthiae servus, v. Prop. III, 6.

11) Quomodo III, 2, 9 sqq. III, 3. III, 4, 60. et al. ad servilem conditionem referenda sint, nemo facile expediet.

Iam quod ad inscriptionem, III, 2, 29 sq., attinet, omnes adhuc interpretes, sub Lygdamo Albii nomen significari, existimarunt. Et recte. Nisi peculiaris quaedam caussa, ut nomen suum occultaret, impulit, inter lusus iuveniles hanc appellationem haberi puto. Ad originem vocis Lygdami indagandam verumque significatum eius intelligendum non profundioribus doctrinae recessibus opus erant, si quidem Romani, illius potissimum aetatis, vocem λυγδος i. e. albus, sive Lygdinum onygem indeque mutuatas ad candorem denotandum translationes bene perspectas habebant.

Lygdamo carmina libri tertii vindicaturus Vossius ad III, 5, 17 sq. provocavit. Hic enim auctorem se natum esse 711. diserte satis nuntiat. Quantumcunque autem operae huic disticho cum seqq. coniungendo impenderit Vir sagacissimus, v. p. XIII., verius, si quid video, alii iudicarunt, hoc distichon, minorem certe versum a mala manu insertum esse ex Ovid. Trist. IV, 10, 6. Hic enim pentameter prorsus immutatus legitur, quamquam Ovidius, quotcunque versus Tibullianos fecerit suos, aliqua ex parte eos mutavit adque suam rationem et ingenium accommodavit. Praeterea vss. 15. 16. et 18 sq. ista aetatis descriptione male disiunguntur. Si qui defendere malunt hoc distichon, ii librum tertium ad provectiores Tibulli annos referant et ab auctore Lygdami aetatem denotari dicant necesse est. Quae quidem sententia parum probabilis.

Ad vindicandum Tibullo tertium librum haud spernenda est Ovidii imitatio. Singuli enim versus occurrunt, quos ab illo usurpatos atque expressos nemo un-

quam negabit [12]). Si vero ad Lygdamum hunc honorem referre vellent, ut ante oculos Ovidio versatus sit, nec mihi neque aliis hoc persuadebunt. Nam vix cogitari potest Ovidius vestigia cuiuspiam scriptoris pressisse, qui, vel opportuna occasione data [13]), nusquam memoratur, neque nomine quidem occurrit.

Ex his igitur, quae adhuc monita sunt, apparebit, argumenta, quibus ad haec Tibullo carmina abiudicanda et Lygdamo tribuenda usus fuerit Vossius, non idonea satis esse et ponderosa. Mea quidem sententia per temporum rationes hic liber Tibullo commodissime tribuitur et asservatur. Scripsit eum admodum iuvenis circa a. 711, ante quam proscriptionis iniuriam experiretur [14]). Aeque persuasissimum mihi habeo, Tibullum e sua ipsius persona loqui suasque res agere. Quod quidem ut credam, affectuum veritas et vivida phantasmatum descriptio me impellit [15]). A qua sententia

12) Conf. Tib. III, 2, 11—13 cum Ovid. Am. III, 9, 51 sq. Nostr. III, 5, 16. cum Ov. Art. II, 670. et III, 5, 19 sq. cum Am. II, 14, 23 sq.

13) v. c. Ov. ex Pont. IV, 16, ubi poëtas sibi aequales recenset. At argumento, dicunt, quod a silentio ducatur, non multum tribui, et plures aestimatissimos scriptores, v. c. Q. Curtium Rufum, a nullo antiquitatis auctore praedicari! Recte! Tamen res aliter hic se habet. Nam vix credas, ab Ovidio poëtam, cui multa debebat, silentio praetermissum fuisse.

14) Non assentior Bauero, qui annis 727—732. Neaerae amorem et carmina illi inscripta tribuenda censet.

15) Idem nobiscum sensisse videntur Ramdohr in libro: Venus Urania, vol. III, p. 317. „Ich setze nicht den mindesten Zweifel darein, daſs T. diese Neaera wirklich geliebt habe, obgleich Ovid nur von der Delia und Nemesis redet;" et Bauer. in praef. ad Tib. p. X sqq. Synclit. in scriptis notavit: „Alii dicunt, Tibullum sub persona Lygdami pro se ipso loqui, quod

prope absunt ii, qui Lygdamum non pro ipso Tibullo habent, sed contendunt, quibus ipse affectibus sensibusque agitatus fuerit, eos ad certam, seu veram seu fictam, personam, Lygdami nomine insignitam, a se traductos, et nunc suas ipsius partes, nunc illius actas esse [16]).

magis placet. Nam coniugem fuisse Neaerae semper ostendit, quamvis Lygdami nomen inferat et sub hoc nomine loquatur."

16) Conf. quae doctiss. Censor in Eph. Lips. 1813. Nr. 98. disputavit; „Wir mögen von der Person des Lygdamus, den einer nur im Traum für wirklich halten kann, nichts wissen. — Der Liebende heifst Lygdamus, und war jung, weil er so nach des Dichters Willen erscheinen sollte, und weil dieser in ihm wohl manches seiner eigenen Gefühle aussprach."

Ad librum quartum iam perventum est. Carmen ad Messalam ut sua sede reliquimus, ita sententia olim de eo proposita [1]) nobis stat immutata. Quibus igitur caussis Tibullo hoc carmen abiudicaverim, paucis declarabo. Petendae sunt illae non tam ab auctoritate codicum mss., quam ab interiori carminis indole, compositione, dictione. Quod codd. attinet, unanimiter, Tibullo excepto cod. Ber. 4., hoc exhibent, diversis quamquam

1) v. Geist der röm. Elegie, 1809. p. 44. et Epist. crit. 1812. p. 26 sqq. Praeter alios, quos in partes ibi vocavi, idem mecum sentiunt I. C. Th. Ernesti in commentatione de elocutionis cet. luxurie, p. 53. Lachmannus ad Prop. p. 8. et alii peritissimi iudices, qui per litteras de hac re certiorem me fecerunt. I. H. Vossius, olim accusator, in nupera Vers. germ. p. XXII sq. vindicatoris partes egit, suffragante Censore in Eph. litt. Lips. 1813. Nr. 98.

inscriptionibus, quibus parum confidere possumus. Potiora autem argumenta ex ipsius habitu ac forma ducuntur. Haec enim ita sunt comparata, ut vix ac ne vix quidem pro Tibulliani ingenii foetu haberi possit. Primum igitur prorsus se alium quam in ceteris hominem declaravit. Animum scilicet avaritiae et ambitioni deditissimum, in vanam ostentationem et turpem adulationem prolapsum, de rebus familiaribus reparandis anxie sollicitum ostendit. Totum deinde carmen nondum plane subactum poëtae iudicium manifestat. Ut enim huius pravitas, ita omnino ingenii imbecillitas vel paupertas, ex qua inopportuna et ad consilium ineptissima episodia sunt enata, quemque lectione Tibulli satis imbutum offendit. Dictio apparet tam frigida, verborum structura tam inconcinna et contorta, versuum decursus tam molestus et plumbeus, ut auctoris studium ac virium contentionem, qua sudaverit, sentire videamur. Nec tamen, ubi oratio interdum ad gravitatem epicam assurgit, v. I, 7. II, 5., carminibus ex hoc genere pangendis prorsus imparem se prodit Tibullus. Dicunt quidem, hunc foetum ad iuvenilia Tibulli meletemata poëtica referendum esse, et alios quoque diversis temporibus diversa scribendi ratione usos fuisse. Hoc autem argumentum hic parum valet, si quidem certissimis rationibus evinci potest, hoc carmen, si Tibulli esset, cum elegia omnium prima ad unum eundemque annum 723. spectare et referri debere.

Quem pro auctore huius poëmatis habemus, adolescens fuit, isque unus ex iis, qui cum Tibullo multisque Romanorum nobilibus publicis calamitatibus afflicti et patriis bonis exuti erant. Augusto Imperatore a.

723. bellum in Antonium instaurante quum nova ex quocunque rerum eventu pericula immínerent, versificator Messalam, auctoritate pollentem doctrinaeque laude florentem carmine, quod Panegyricum vulgo vocant, celebrare, et in eius fidem atque clientelam sese commendare voluit. Tanto autem conatui se vix parem sentiens duce, ut videtur, Valgio, inter subsellia versificatorum expromsit foetum. Igitur non absimilis est iis encomiis, quae ex certis componi solebant praeceptis, de quibus v. Quintil. Inst. II, 4, 20. III, 7. Hinc autem varia Graecorum eruditione opus est refertum. Ad Homericae potissimum poëseos genium se inflectere et informare annisus est auctor, et non mythicas tantum narrationes in suum transtulit poëma, sed singulas etiam voces formasque dicendi, quamquam parum feliciter et ingeniose imitando adumbravit.

De minoribus libri quarti carminibus ut breviter moneamus, inscripta haec sunt Cerintho et Sulpiciae. Haec Servium habuit Sulpicium patrem, v. IV, 10, 4., qui cum M. Claudio Marcello consulatum gessit, 702, et, eloquentiae laude insignis, v. Cic. Brut. 41 sq. ad Div. IV. Ovid. II. Trist. 441., Cicerone et Q. Hortensio amicis usus est. Obiit circ. 710. Etsi igitur Cerintho superior erat Sulpicia gentis nobilitate, uterque tamen a corporis venustate, morum elegantia, ingenii cultura, parem fere commendationem habebat. Cerinthus admodum iuvenis verecundia quadam in favorem puellae se insinuare studet. Ipsa ei propitior matre fuisse videtur. Postea tamen uterque legitimo coniugio vinctus, v. II, 2. Amores Cerinthi et Sulpiciae a Tibullo celebratos in iuvenilem ipsius aetatem incidisse,

ex his statuendum caussis puto. Primum Sulpiciae aetas, qualis amoribus favet, non ad seriores Tibulli annos referri potest, quantum ex computatione rerum, ad Sulpicium spectantium, colligitur. Deinde carmina ipsa iuventutem auctoris prae se ferunt. Etsi enim ut animi Tibulliani mollities, ita ceterae virtutes et tota sentiendi cogitandique ratio, quae Nostro propria est, ex iis elucent, et eximia dictionis numerorumque similitudo cum Tibullianis convenit, tamen sententiarum copia et ubertas, aeque ac cura et diligentia in poliendo carmine desideratur. Huius autem modi defectus minime ad ipsa carmina Tibullo abiudicanda valet. Recte igitur ea post Broukhusium, qui Tibulli non esse existimabat, Vulpius nostro asseruit, quem deinde Ayrmannus [2]), I. H. Vossius [3]), alii [4]) sequuti sunt. Non

2) „Carmina libri IVti aetatem suam Augustea neutiquam inferiorem satis manifeste produnt, mihique neque ovum ovo similius, quam horum reliquorumque Tibulli carminum dictio videtur esse."

3) v. praef. p. XXX: „Bei näherer Untersuchung erhellt deutlich, daſs Tib. die geistreiche Geliebte seines Freundes ganz nach dem Leben gemalt, und ihre in abwechselnden Verhältnissen des kleinen Romans geäuſserten Empfindungen aus eigenhändigen Liebesbriefchen entlehnt habe."

4) v. Ramdohr in Venus Urania, III, 1, p. 526 sq. „Ich kann es nicht bezweifeln, daſs die kleinen Gedichte vom T. herrühren. Die nämliche Empfindungsart, die ich am T. characterisirt habe. Dieſs ist für mich wichtiger, als der Umstand, daſs sich eine Verschiedenheit im Styl des Ausdrucks zwischen diesen und den vorigen Gedichten findet cet." In re ficta versatum fuisse Tibullum, opinatur Mundius (im T. Mercur Jahr 1794). „Es ist höchst wahrscheinlich, daſs jene Gedichte nichts weiter als bloſse Spiele der Einbildungskraft waren, die durch irgend einen Vorfall jener Zeiten veranlaſst wurden, vielleicht aber auch ganz ihr Daseyn der Phantasie des Dichters verdanken.".

dubitandum, quin ipse T. scripserit haec carmina ante reliqua, quae primo et secundo libro continentur. Ceterum vulgarem Carminum inscriptionem servavi obnitente Vossio, qui epistolas in Vita a Dom. Marso confecta laudatas cum nostris easdem esse censet. Quae quidem opinio satis idoneis caussis ut adstrui possit, admodum vereor. Primum inscriptionibus carminum nihil fere fidei potest haberi, utpote quae plerumque a grammaticis et librariis profectae sint. Deinde in alia T. Vita epistolae ad familiares, et poëticae et prosaicae, memorantur, ita ut vel eo epistolarum appellatio incerta sit parumque explorata.

ALBII TIBULLI
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Vix dubitandum videtur, quin Messalae invitatio, ut Tibullus rei familiaris reparandae caussa cum ipso in bellum proficisceretur, proximam huius carminis scribendi dederit occasionem. Noster enim recusaturus, ne, quod optet amicus, faciat, animum ab omni laudum ac divitiarum cupiditate alienum declarat, et, sese mediocri sorte sua contentum otio rustico atque Deliae amore, quo irretitus sit, unice delectari — 54, nihilque amplius in optatis sibi esse, quam ut Deliae adspectu moriens adhuc fruatur, affirmat — 68. Denique amicam, quam difficiliorem tunc fuisse

oportet, hortatur, ut lusibus, dum per aetatem liceat, amatoriis secum indulgeat.

Carmen ineunte anno 723 a. u. c. et quidem Romae esse compositum, argumenta ex ipso illo petita luculenter docent. Is enim erat annus, quo M. Valerius Messala consul cum C. Caesare Octaviano factus ad pugnam Actiacam proficiscebatur.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:

2. *magna* iugera, i. e. magnum regionis spatium, in multa iugera describendum. Hanc lectionem omnibus fere mss., etiam Angll., Beroll., novem H. Vossii, Zwicc., Goth. libris confirmatam et viro d. in Eph. litt. Jen. 1815. p. 185. vindicatam ex ed. pr. ceterisque vetustissimis cum Vulpio, H. Voss. et Lips. ed. 1812. auctore revocavi. Vulg. *multa* ex libb. Statii, excerptis Fris., collatt. Ang. Colot. et Scalig., accedente Voss. 2., debetur Statio, quem Scal., Broukh., Heyn. et nuperrimi edtt. sequuti sunt, adspirante v. d. in Eph. litt. Lips. 1813. p. 777. sqq. Dicunt, iugeri semper esse certam magnitudinem, cf. Catull. 114, 1. Horat. II, od. 15, 1. Propert. IV, 10, 26. Recte! At concitatiore animo agitatus poëta non modum agri curat; quapropter ad nostram convellendam facit neque Tibullus ipse, III, 3, 5. neque Ovidii imitatio in Fast. III, 192. *Jugeraque inculti pauca tenere soli.* Alia est istorum locorum indoles et ratio. Accedit, quod *magnus* in iis rebus, quae partibus, numero, mensura constant, pro *multus* usurpatur scriptoribus et ligatae et solutae orationis. *Magnae legiones*, Lucret. II, 323. et Hor. Sat. I, 6, 4, si vera est lectio; *magna talenta* Virg. IX. Aen. 265. *magnae pecuniae* Nep. Cim. I. cl. Phoc. I. ibi Brem. *magno sanguine* Justin. XXII, 7. *iugera immetata* ex Hor. III, od. 24, 12. non debebat H. Vossius huc afferre; eadem enim ista sunt, quae *indivisa* apud Justin. XLIII, 1. vocantur. Servetur nunc poëtae *magna*, et habeant *multa* rei rusticae scrutatores, a quibus profectum est. Hier. Wolf. ad Cic. Caton. Bas. 1584. p. 66. affert: *mille.*

3. *Labor* h. l. pro periculo ponitur, quod ex propinquo hoste imminet, et *terrere* apte dicitur, ut Sil. IV, 421. *terret labor;* nisi pro malis aerumnisque belli in genere dictum malueris. Qualia ista sint, docet Sil. XV, 48. sqq. Nostrum imitatus Ovid. IV. ex Ponto, 9, 82. *Et, quam vicino terrear hoste, roga.*

4. Expressit Lotich. I, 1, 32. *Nec rumpunt somnos classica pulsa tuos.*

Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat, et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis;

5—6. Quamvis pauper sum, non tamen vitam laboribus vexatam quaero, dummodo res domestica servetur mihi integra. Insolentius videtur dictum: *paupertas traducit me vitae inerti* i. e. ad vitam inertem, desidiosam; quam ob caussam nonnulli intpp. malebant: *vita-inerti*, quod recens cod. Scal. Corvin. Guelf. 2. Ber. 4. a m. s. exhibent. Neque hac lectione, neque conjectura, quam proposuit Slothouwer. in Actis Soc. Traj. vol. III. p. 146. *Mi mea paupertas vitam traducat inertem*, opus est, si v. *traducit* eodem sensu accipitur, quo dixit Terentius, a Vulpio et Huschkio jam laudatus, in prol. Phorm. 1. sq. *transdere hominem in otium.* Add. Senec. Herc. f. 192. sqq.

6. *assiduo;* longe plurimi libri scripti, etiam Angll., Beroll., H. Vossii, testantur hanc lectionem, quae grammaticorum vett. auctoritate munita, edtt. ante Scaligerum asservata, et nuperrime ab Huschkio v. cel. et censore in Eph. litt. Jen. 1815. p. 185. sqq. vindicata est. Vir doct. modo laudatus bene apposuit Epigr. ex Anthol. Lat. t. II. p. 23. *Tunc meus assidue luxit amice focus.* Quid sibi velit Noster, facile ex superioribus patebit. Memoratis bellicis aerumnis, quae nullam sedem concedunt certam, optat, ut sibi certus Lar unaque cum eo felicitas domestica conservetur. Ad laudes vitae beatioris alias quoque *focus assidue lucens* refertur. Ob oculos Statio Noster versatus in Silv. I, 2, 255. *Divesque foco lucente Tibullus*, ubi v. cel. Hand. Comp. eundem IV, Silv. 5, 13. *pervigil focus;* et Martial. X, 47, 4. *focus perennis*, ibid. X, 61, 5. *perpetuo Lare.* E suis Excerpt. dedit Scalig. *exiguo;* acced. Ber. 4. a m. s. quod, quamquam ab ipso in ed. 1622. desertum, Heynio atque illustr. Eichstadio faventibus, H. Vossius et Wunderl. revocarunt, quoniam paupertatis notio magis accommodata sit continentiae, et repetitio vo-

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis, agri
Custodes, fertis munera vestra Lares.

cis *assiduus* vitetur. Ad prius argumentum quod attinet, leve isti ne pondus insit, vereor. Animum mediocri sorte contentum ostendit vel sententia in vs. priori enuntiata, cui sub conditionis specie subiungit hoc dictum: dummodo perennis sit sua sors, sibique securo illa frui liceat. Ne quem offendat repetitio vocis *assiduo*, cf. 14—16. 39. 42. I, 2, 35. 38. 49. 53. I, 3, 63 sq. I, 5, 54. 58. Egregie *assid.* respondet vs. 3. ad quem respexisse poeta cogitandus. His jam observatis ea refutari puto, quae ipse de lect. *exiguo* disserui, v. Epist. crit. p. 12 sq. Hier. Wolf. loco supra laud. affert: *splendeat* pro *luceat.*

8. *Rusticus* subint. ut, tamquam, cf. 56. Sic Gr. ὡς interdum supplent, v. intpp. ad Aristoph. Aves 169.

9. *Spem* h. l. non Deam esse, sed rem ipsam, quae sperando expetatur, sc. largus frugum proventus, bene monuit v. d. in Eph. litt. Jen. Spes Dea non largitur, sed spondet, promittit, v. II, 6, 20 sqq. Ovid. Art. I, 445 sq. Atqui cuius continentiae esset, si nihil optasset poëta, nisi ut sperare sibi liceat! Praeter Persium II, 35. Propert. II, 1, 73. a v. d. laudatos cf. Ovid. Met. IV, 794. XV, 217. Aliter statuendum erit, si *Spes* pro Eventu accipi potest. Ad verb. *destituat* suppl. me, ut alias, v. ad I, 2, 58.

14. *agricolae Deo* sc. Silvano. *Deum*, quod miro consensu libri exhibent, etiam Ber. 1., a librariis profectum, quos usus absolute ponendi *ante* Tibullo familiaris, latebat. cf. II, 1, 24. II, 5, 98. III, 1, 10. Quid quoque loco subaudiatur, e nexu colligendum. Nostro int. aram. I, 2, 69. expl. Santen. in bibl. crit. III, p. 68. *ante se*, laud. Seneca Ep. 94. et ad marg. Ov. Trist. IV, 82. De loquendi ratione: *agr.* — *Deo* cf. I, 5, 27. II, 1, 36.

Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos,
Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io messes et bona vina date!

21. *Tunc* servant Codices, non *tum*, quod H. Vossio ut nostro loco, ita per totum Tibullum reponere placuit, censenti, ante consonantem vel plures *tum; tunc* tantum cum vi ponendum esse. Priscianus p. 556. docet: *Hanc autem mutationem litterarum sciendum est, quadam naturali fieri vocis ratione propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus.* Errare autem mihi videntur, qui unum eundemque istarum vocum usum opinentur, sive Prisciano unice obtemperent, uti Huschk. ad nostr. l., sive id statuant, quod H. Vossius ad h. l. unaque cum eo Lachm. ad Prop. p. 35. maluerunt. Quorum quidem canoni iam obloquuti sunt Weichert. v. d. in Ep. crit. ad Val. Fl. II, 257., Hand. ad Stat. t. I, p. 363 sq. et Wund. ad nostr. locum. De proprietate istarum vocum, collatis inter se poëtarum locis et libb. scrptt. adhibitis, statui mihi haec posse videntur: *Tunc* plerumque praeteritum, rarius aliud tempus singulari quadam vi notat, ita ut vel *nunc*, ut nostro loco, et I, 6, 10 sqq., vel *quum* respondeat, v. I, 10, 19. etiamsi una vel altera istarum vocum subintelligi debet, I, 4, 53. 5, 41. Primam plerumque sedem versus habet *tunc*, aut certe in arseos ictu ponitur. *Tum* inservit singulis sententiis continuandis, vel ordine quodam efferendis sine graviori temporis notatione, quapropter saepius praesenti tempori aptatur., v. I, 2, 79. 3, 71. 4, 7. 8, 43 sqq. 10, 53. Eadem vero particula iis quoque locis reddenda, ubi *tunc* per se quidem bonum, sed propter asperitatem consonae sequentis adversatur linguae; igitur I, 10, 3 sq. legendum erit: *tum proelia, Tum brevior*, uti aliquot libri mss. testantur. cl. I, 9, 79. cf. Virg. Georg. I, 137 sqq. Eadem fere caussa in Hor. I, od. 13, 5. cum Fea restituas: *Tum* nec mens. Bene se habet *Tum* in Prop. I, 9, 19. 7, 21. III, 25, 13. Prolixius de hac re ideo egi, ut in promtu esset intelligere caussas, cur hic illic a vulgari scriptura discesserim.

25. *Jam modo nunc* ita Guelf. 3. Scalig. cod. recens, et Berol. 1. approbante v. d. in Eph. litt. Lips. 1813. p. 777. Vulg. *Jam modo non.* E compendiaria scriptura *nc* et *no* saepius factum est, ut *nunc* in *non* corramperetur; vid. in Tib. III, 1, 3. ubi *non* exhibet Berol. 3. cf. Heusing. ad Cic. Off. III, 31, 2. Beck.

Jam modo nunc possum contentus vivere parvo,
 Nec semper longae deditus esse viae;
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
 Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

de intp. p. LVI. Varie hunc locum tentarunt et exposuerunt. Cyllen. et Synclit. *modo non* parenthesi inclus. ita explicant: Jam possum vivere contentus parvo, modo non poteram, cum Deliam non arderem. Alii *modo non* idem esse quod *fere*, *propemodum*. Neque haec, neque illa ratio habet, quo se commendet. Scalig. e suis Exc. in edit. 1622. dedit: *Quippe ego iam*, quod corruptum olim putabam ex: *Nam modo iam.* Audacius alii alia tentarunt. V. d. in Eph. litt. Jen. 1815. *Jam modulo p.* Frenzel. in nov. bibl. paed. 1813. *Jugere nunc possum* cet. Huschk. *Jam volo*, *nam p.* H. Vossius et Wunderl. Guyeti emendationem Heynio probatam recepit: *Jam modo*, *iam p.*, quod vero cum censore Jen. verius interpungitur: *Jam*, *modo iam p.* Omnibus ceteris conaminibus praeplacet Waardenb. in opusc. p. 178. *Jam modo non possum*, *cont. v. p.*, *Heu semper l.* In hac tentaminum farragine consultius mihi visum est recipere, quod libb. mss. auctoritate non prorsus destitutum et a sensu haud contemnendum est. Laribus scilicet agnam in posterum etiam se mactaturum esse promittens, nec vero maiorem hostiam, dicit, nunc, scil. exantlatis aerumnis bellicis, parvo se contentum et in summa animi securitate otio indulgere posse. Ad v. *cont. viv. p.* cf. Cic. ad Att. XII. 19. *equidem iam nihil egeo vectigalibus*, *et parvo contentus esse possum.* cl. Hor. II, 16, 13.

27. Bentl. ad Hor. I, Sat. 6, 126. *ictus* corrigere maluit. Citra necessitatem. *Canis aestivi ortus* e. aestus, qui Canis orientis tempore saevit. Laudavit Huschkius Homer. Il. ε, 4. Apoll. Rh. III, 1228. Quibus adde Theogn. 1040. Bekk. *ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτινες οἶνον μὴ πίνουσ᾽ ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου;* et Alcaeum: – – *λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου Καύματ᾽ ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός.*

28. Plurali *rivos* offensus H. Voss. Burmanni iun. coniecturam: *rivum* recepit. Vulg. autem ex usu poëtarum bene vindicari, docent loca, a v. d. in Eph. litt. Jen. apposita, Virg. Aen. XI, 668. Juven. VI, 430. Hor. III, od. 13, 7. In his quidem locutionibus numerus pluralis celerem motum, eoque saepius mutatas alvei figuras designat. Hac vero occasione data adolescentes semel monemus, ne opinentur, pluralem simpliciter pro singu-

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
 Aut stimulo tardos increpuisse boves;
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
 Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
 Parcite; de magno praeda petenda grege est.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
 Et placidam soleo spargere lacte Palem.

lari poëtis usurpari, quod praeter alios Wakef. ad Lucret. IV, 591. contendit. Pluralis scil. non semper ipsam rem vel conditionem, sed momenta, quibus aliquid efficiatur, vel caussas, unde aliquid oriatur, declarat, v. c. *reditus*, I, 3, 13. *moras* ibid. 16. cl. Ovid. Met. XI, 461. *mortes*, *metus* i. e. res mortem afferentes, metum injicientes. Alias inest notio iterandi, I, 6, 23. II, 4, 19. vel interrumpendi, v. c. somnos, I, 1, 4. cll. Hor. Epod. II, 28. Ad rem cf. Theocr. VIII, 78. *'Αδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν*, cll. Virg. Ecl. V, 47.

34. *Est* in finem reposui auctoritate codd. duorum Voss., Berol. 3., unius Heins., Scal. vet., Zwic. 2. Et sic ed. princeps, Broukh., Vulp. 1749, comprobantibus Goerenz. in Tent. crit. p. 6 sq. et censore in Eph. litt. Lips. 1813. Vulg. *de magno est.* Amat autem Noster in finem reiicere verbum substant., quum, sententia absoluta, pentametri ultima syllaba brevis est, v. I, 4, 4. 10, 4. II, 6, 10. Copiosius de hac re disputavit Wund. ad I, 4, 4. Mirum sane, quod H. Vossius, ubicunque per metrum fieri potuit, illud verbum eiecit, censens orationi maiorem vim poëticam addi.

34 sqq. Sententiae superioribus bene cohaerent. Ne fures lupive gregem exiguum imminuatis, opto, et hoc quidem fore sperare licet ex mea in deos pietate; nam Palilia celebrare soleo.

37. *neu vos de* Broukh. e libris. Alii: *nec vos e. Neu* confirmant Beroll. 2. 4. ed. pr. Venett. Ald. 1., *de* Ber. 3. Plena oratio sic ferebat: Neu vos spernite dona sc. accipere de paupere mensa, nec dona e puris fictilibus. Bene igitur positum *nec*, quum non ad verbum sed nomen spectet.

40. *Composuitque.* Sufficit semel de usu et collocatione part. *que* Tibullo propria monuisse. Hanc quidem voculam Noster penultimo pedi et quidem verbo annectere amat, quapropter plerumque in tertiam demum sedem transfertur, ut hic et I, 10,

Adsitis, divi, neu vos de paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
Si licet, et solito membra levare toro.

54. II, 6, 16. quod etiam alias fieri solet, docente Burmanno ad Ov. Met. XIV, 30. Saepius voci subiungitur, ad quam non proxime spectat, v. I, 1, 51. 4, 2. 10, 54. III, 6, 47 sq. cl. Hor. I. Sat. 6, 43. ibi Heind. Insolentius pro *et* positum duo membra iungit, quamquam postremum fere locum obtinet, ut II, 5, 72. Alias absolute, copula neque praecedente neque sequente, positum, v. I, 5, 11. 10, 51. II, 5, 29. Saepius quoque sibi respondent *que-et*, *et-que*, aut in locum part. *et-et* succedit, ut I, 1, 35. 2, 47 sq. cf. Drack. ad Liv. XXIX, 12, 5.

41. Succurrit Pindaricum illud, Nem. I, 44 sq. *Οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν.*

43. sq. Parvo ruris proventu, quem nullis maiorum opibus coacervatis vult augeri, contentus optat, ut otium, laboribus bellicis non interruptum, agere et quiete in sua domo frui sibi contingat. Hoc quidem per duo momenta declarat: *requiescere lecto*, id quod stipendia merentibus haud semper concessum, et *solito membra lev. toro* oppos. insueto, saepius mutato et fortuito, qualis militibus obvenire solet. Vim sententiae quaeras in v. *si licet*, quod primum tenet locum, quia ad utrumque spectat membrum, cf. I, 3, 26. Quapropter non mihi arridet coniectura quamquam admodum speciosa in Eph. litt. Jen. 1815. proposita: *Satis est, requiescere lecto Si libet, et solito m. referre toro.* Jam quod lect. *referre* attinet, hanc non nisi ex duobus Pall., uno Stat., Goth. receperunt H. Voss. et Wund., approbante Frenzel. in nov. bibl. paed. 1813. Significantius et gravius hoc esse censent quam *levare.* Non assentior. Quamcunque explicandi viam inieris, nil nisi notionem habes conandi et movendi, quae, quam longe h. l. absit verbo *levare*, e v. *requiescere* facile colligitur. *Membra lev.* e. recreare, reficere corpus *toro* sive discubitorio, in quo epulis accumbebant, sive alius generis lecto, quo se ab opere aut ab ambulatione relaxandi caussa conferre solebant. Id certe mihi persuasissimum habeo, *lectum* differre a *toro*, neque

Quam iuvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu,
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre iuvante, sequi!
Hoc mihi contingat! Sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias!
O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias!

cum Huschkio de eiusdem sententiae amplificatione esse cogitandum. Vulg. etiam defendit Hand. ad Gron. Diatr. t. I. p. 36. cll. Eph. litt. Lips. 1813.

45. *cubantem* sc. aliquem. Observent iuvenes accusativi pronominis omissionem, quae fieri solet in sententiis generatim declarandis, cf. IV, 3, 7. neque infrequens apud Graecos. v. Aesch. Pers. 164. Sch. ubi ad verb. *σέβειν* subint. *τινα*.

46. *detinuisse*, opt. Palat., Colot. Exc., Corv., Monac., Voss. 2. 4. idque iam Cyllenio in Comment. notatum Broukh. primus recepit, quem ceteri omnes, demtis Vulpio et ed. Lips., sequuti sunt. Librorum mss. et edtt. vett. scriptura: *continuisse* (eadem Berol. 1.) vix commodum habet sensum, quum aliter dicatur: *aliquem continere*, aliter: *sinu detinere aliquem*. cf. Aen. IV, 84. *Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta, Detinet.* Staveren ad Nep. Att. IX. notavit: *Detinere* e. *aliquem longius solito tenere apud se, sed volentem et illecebris demulsum.* Ceterum *det.* praeteritum ad modum aoristi positum, quod Tibullus frequentat, v. 74. I, 2, 30. 4, 56. III, 6, 13 sqq. IV, 6, 6. 2, 7.

48. *imbre* Scalig. libri mss. et Voss. 1. 4. cum aliquot aliis ap. Broukh. Ante Scal. legebatur: *igne;* sic Palat., Com., alii cum Beroll. At non calore foci membra fovente delectari, sed pluviis tempestuosis somnum adduci vult. Sophocles ap. Cic. ad Att. II, 7. *Καὶ ὑπὸ στέγῃ Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί.* *Ignis* et *imber* alias quoque in libb. mss. confundi, v. Prop. III, 5, 36. K.

50. Non erat, cur Heinsii coni. *Hyadas* (i. e. stellas in fronte Tauri, quae et orientes et occidentes tempestatem excitare credebantur) in textum inferrent Broukh. Vulp. 1749., H. Vos-

Te bellare decet terra, Messala, marique,
 Ut domus hostiles praeferat exuvias;
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
 Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
 Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
 Te teneam moriens deficiente manu.

sius. Nam v. *furorem maris* vel ipsa inest notio tempestatis, quam H. Voss. quaerebat. Melius illa convenit lyricae dictioni, v. Hor. I, 3, 14, quam eleg. simplicitati. Sensus: Sit dives, qui in maritimis itineribus tempestates, naufragia excitantes, et in terrestribus saevos imbres sustinet.

51. Quod Burm. ad Lotich. p. 209. maluit: *pereat pereatque*, non permittit *quam* in vs. seq., quod pendet a *potius*. *smaragdi* non *Zmar.* scribendum, ut cum Broukh. ad Prop. II, 16, 43. Schwab. ad Phaedr. II, 18, 7. et H. Voss. volebant, docent praeter Priscianum p. 564. *(S quoque sequente m, ut Smyrna, smaragdus. Nam vitium faciunt qui Z ante m scribunt cet.)* codd. mss. testimonia, cf. Seyffert. Gram. lat. vol. I. p. 91.

55. Fuerunt, quos *vinctum-vincla* locutio antiquis scriptoribus frequentissima offenderet adeo ut textum corrigendum esse censerent. Berol. 2. *Me retinet vinctum formosae cura puellae.* Wakef. ad Lucret. I, 33: *victum* malebat, quod iam Angl. D Goth. Voss. 3. et edtt. Venet. 1487. 1491. 93. 1500. exhibent. Vulg. autem bene defenditur Hom. Il. ε, 386. δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ. Ad sensum comp. Hor. IV, 11, 24. *tenetque grata Compede vinctum.*

56. Ne quis credat Heinsio corrigenti: *sedeo ut*, impediet nota ad vs. 8. cll. Beck. de intp. vett. p. 81.

57. *curo* testantur Beroll. 1. 3. 4. Angll. A. C. D. E cum aliis; et sic ed. pr. Reg. 1481. Ceterae fere omnes edtt. vett. *cupio*; cui merito Broukh. nostram praetulit. Notio enim singularis studii huic inest verbo. Virg. Georg. I, 39. *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.*

60. cf. Anthol. gr. t. II. p. 42. -- ὡς ὄφελόν γε χειρὶ φίλην τὴν σὴν χεῖρα λαβοῦσα θανεῖν.

Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis; non tua sunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non juvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores;
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.
Jam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, et rixas inseruisse iuvat.

61. *lecto arsuro* sc. funebri, quem simul cum corpore comburi solitum fuisse constat. Ov. Met. XIV, 747. *Luridaque arsuro portabat membra feretro.* Beck. coni. *mea*, H. Voss. recepit, *me* languidum esse censens. Quod quidem si verum est, pronomina sic posita multis optimorum poëtarum locis expellenda erunt. Vel propterea *me* servandum putavi, quod vers. 63. *flebis* absolute positum, et paulo ante, vs. 57. *mea Del.* praecessit.

63. sq. Non pectus tam durum tibi est atque immite, quin me mortuum lacrimis prosequaris. Transtulit poëta ad animum, quae corpori tribui solent, hinc epith. *vincta*, *stat.* Simplicius eadem usus est metaph. Ovid. Met. IX, 612—14. Pro *vincta* Angll. B. C. D. Guelf. 3. Guarn. Ber. et Voss. 3. habent: *iuncta*, solenni fere varietate, v. Burm. ad Anth. t. II, p. 533. Drack. ad Sil. VIII, 487.

70. Imit. Janus Sec. I, 5. *Mors venit aeterna cincta caput nebula.*

74. *Conseruisse*, quod Heyn. malebat, addicentibus libb. Scheff. et Bern., recepit H. Vossius. Est tamen, quo vulg. defendas. Nisi enim ad v. *inseruisse* suppl. volumus, *Veneri;* dicendum erit, metaph. poni pro: immiscuisse. Wund. bene contulit Virg. Aen. IV, 51. *Caussasque innecte morandi.* Proprie

Hic ego dux milesque bonus; vos, signa tubaeque,
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris!
Ferte et opes! Ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

fere dictum *rixam iniiciens* in Vellej. I, 2, 2. videmus, ubi alii: *r. ciens* praetulerunt.

78. Scripturam libris scrptt. fere communem: *Dites desp., desp. f.* ob oculos Lotich. habuit, I, 3, 44. *Ventos despicerem, despiceremque gelu.* Nostram vero vel ante Broukh. in ed. Basil. 1592. receptam tuentur praeter Stat. libb. Vind. aliosque ap. Br. ipse Tib. I, 4, 82. II, 5, 100. et Ovid. Her. IV, 112. XV, 54.

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Tibullus, postquam aliquod temporis spatium absens fuerat, Romam reversus Deliam coniugi nuptam esse cognoscebat. Quod quidem infortunium primaria huius carminis scribendi caussa fuisse videtur. Dum scilicet exclusus id agit, ut dolorem fidei ab amica violatae vino obruat, ianuae modo imprecatur, modo supplicat — 14, et Deliae, ut sibi aditum patefaciat, favorem Veneris atque auxilium spondet — 34. Securam redditurus amicam dicit, non a quoquam furta animadversum iri; neque coniugem, si quis animadversa illi evulgasset, crediturum esse; magnam enim artibus magicis, quibus ipse in hac re usurus sit, inesse vim et efficaciam — 60. Deinde animum ad quosvis labores ferendos, dummodo Delia potiretur, paratissimum se habere fatetur — 76, infelici enim amore nihil esse acerbius — 88. Monet denique iuvenes, ut de sua fortuna risum teneant, et Veneris favorem sibi precatur.

Huic quidem carmini annum 725. tribuendum esse, facile suspiceris e vs. 67 sqq. Etsi enim iste locus non ad ipsum referri potest Tibullum, non tamen sine veri specie est, poëtam illius expeditionis, cui a Messala in populos Asiaticos susceptae ipse se adiunxerat, memorem fuisse. V. argumentum seq. elegiae.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor;
Neu quisquam multo percussum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.

1. sq. Large vinum, puer, affunde, ut somnus mihi adducatur et dolores adhuc mihi incognitos opprimat. Ad lectionem *novos*, quam Beroll. etiam confirmant, vindicandam contulit Santen. in bibl. crit. Lucceii frgm. in Anth. t. II. p. 8. *Versaretque novus viscera tota dolor.*

2. *victa*, non *vincta*, ut nonnulli libri exhibent; nam vere dormiens nondum cogitari potest. Solvas: ut sopor lumina vincat, victaque occupet i. e. in potestate sua teneat. Oculi tamquam obnitentes somno finguntur, cf. Sil. VII, 204. *Donec composuit luctantia lumina Somnus.* cl. Prop. III, 17, 42. Quid differat *victus* et *vinctus somno*, docuit Hand. ad Stat. t. I. p. 326 sq.

3. *percussum* e codd. fere omnibus Statii, Guelf. 2. Guarn., quatuor Heins., Exc. Lipsii, Angl. A., compluribus H. Vossii et Beroll. revocavi, prob. Heinsio, Guyet. et Heynio. Vulg. *perfusum*. Illud, dicunt, nimiam ebrietatem notat. Recte, et hoc ipsum voluit poëta, ut scil. vino largiter hausto tamquam attonitus et mentis impos fieret, ne quid curarum amplius sentiret. Succurrit illud Ov. Rem. 809. *Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas Eripiat.* Apprime huc faciunt Amphis ap. Athen. IV, 66. *διασειόμενοι τοὺς κροτάφους ὑπὸ τοῦ ἀκράτου*, et Theognis 469 sq. *Μηδ' εὕδοντ' ἐπέγειρε, Σιμωνίδη, ὅντινα ἡμῶν Θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἕλοι.* Proxime his accedunt Plaut. Casin. III, 5, 16. „*nisi haec meraco Se uspiam percussit flore Libyco*, v. ibi Taubm. Sil. VII, 201. *patrique Lyaeo Tempora quassatus.* Broukh. in notis anecd. *perc.* vetustissimam dicit lectionem, laud. Val. Fl. VIII, 81. III, 573. *Perfusum*, i. e. cui vinum per venas diffusum etiam in caput altius se insinuat et tempora tamquam perfundit, alias bene

Nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
Clauditur et dura ianua fulta sera.
Janua difficilis dominae, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant!
Janua, iam pateas uni mihi, victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones;

dicitur, v. Tib. I, 7, 50. Hor. I, 7, 22. Ov. Am. I, 6, 37. At vero alius generis et indolis ista sunt loca. Accedit, quod in libris vv. *percussus* et *perfus.* saepius commutata sunt. v. Ov. Fast. I, 720. ubi cum Burm. *percussa* legas. Heins. ad Ovid. Met. V, 389. *multo Baccho* ex poëtarum usu, rem cuidam Deo propriam et sacram cum hoc ipso commutandi eaque Deo epitheta tribuendi, quae non nisi rei conveniunt. Sic h. l. *multo* de vino dicendum erat. cf. II, 5, 87. Hor. I, od. 7, 12. ubi *domus* ad *Nympham* et *resonans* ad *fons* pertinet, cl. Virg. Aen. VII, 83 sq.

6. *fulta* Broukh. ex optt. libris, quibus assentiuntur Statii et Mureti, restituit. Plerique: *firma*, quod interpretamentum saepius in locum illius v. irrepsit. v. Ov. Met. XIV, 780. ubi duce Prisciano legendum erit: *quas obice fultas* pro: *firma*. cl. Art. II, 244.

7. *dominae* testantur praeter alios Angll. A. B. D. E. Guarn. quatuor H. Voss., Beroll. (4 a m. sec.) omnesque, demtis ed. pr. et Reg. 1481, editiones ante Scal., qui *domini* revocavit, quem Broukh., Vulp., Heyn. non debebant sequi. Deliae ianuam custodes clausam tenebant, ita ut ianua non aditum concederet, hinc poët. *difficilis*, et quidem Tibullo, non, ut Santen. volebat, dominae. Hoc in secundo casu accipias. Nostram, a Goerenz. aliisque probatam, receperunt H. Voss. et Wund.

8. *Jovis imperio* i. q. alias regno i. e. coelo. H. Voss. expl. Jove iubente; tamquam aliorum quoque Deorum jussu fulmen possit mitti. Aliter dicunt: *Imperio Jovis huc venio*, Aen. V, 726. De constructione verbi *mittere* et aliorum, quae aliquid ex aliqua re prodire significant, cum casu sexto sine praepositione, cf. I, 3, 90. III, 5, 1. Wund. ad I, 6, 53.

12. in me recidant ipsum, quae tibi mala precatus sum. v. ind.

14. Liber Sfort. ap. Stat. *dabam;* recepit H. Vossius, monens, impf. conjunctivi rem certo temporis spatio transigendam, at indicativo impf. rem s. actionem non certo temporis spatio durantem, sive saepius repetendam significari, laud. I, 10, 8. 20.

Et, mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas; capiti sint, precor, illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle;
Audendum est! fortes adiuvat ipsa Venus.

Quam vere hoc pronuntiatum sit, docebunt exempla. Quibus quidem diligentius excussis, quum veram vim et indolem modorum perpenderimus, haec statui poterunt certiora: *Imperf. ind.* rem sive actionem significat, quae certum temporis spatium durat neque intermissa cogitatur, ita ut part. *quum* interpretari possimus: so lange als. *Impf. coni.* rem sive actionem declarat, quae incertum temporis momentum durans hancque ob caussam nunc intermitti nunc iterari cogitatur; *quum* germ. vertas: so oft als; etiam circumscribi potest per *solere.* Bene igitur coni. h. l. positus. Indicativus enim Tibullum semel coronantem faceret. Aeque integer est locus I, 10, 16. cf. Aen. I, 651. IV, 409. De indicat. vid. I, 10, 7. ubi v. *adstabat* morem, fagino poculo utendi, per certum temporis spatium durantem neque intermissum notat, cl. ibid. 20. Aen. IV, 596. *Tum decuit, quum sceptra dabas.* Ov. Her. I, 5 sq. *O utinam tunc, quum Lacedaemona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis.* Cic. de Off. III, 40. *Cum Collatino Tarquinio collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri id facere iniuste.* Quis, quaeso, in his locis de re incertum tempus durante sive repetita cogitet?

15. *Quoque* cavendum, ne verbo *falle* iungas. Neminem ad fallendum hortatus erat. E superioribus subint. *Te quoque obtestor, ne - falle.* Eandem fere ellipsin observes II, 1, 11. ubi expl. Ad vos quoque rogando me converto. cf. Wund.

17. *iuvenum*, ut dissonantia syll. *quis - is* vitaretur, H. Voss. recepit credens Statio, in multis libb. hoc esse nuntianti. Negat Santenius. Et quum difficillimum sit iudicare, quid veterum auribus elegans vel elegantius fuerit, vagas atque incertas emendationes esse eas puto, quae studio auribus placendi debeantur. cf. I, 3, 21. ibi Wund. et Huschk. I, 6, 39. II, 3, 35. Ov. Fast. VI, 731. Her. XIII, 65. Accedit alia insuper caussa, cur vulg. *iuvenis* veriorem habeamus lectionem. *Quis* s. *aliquis* secundum casum adsciscit, quum illis pron. notio dividendi numero sive partibus distinguendi inest; uno autem eodemque casu

Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli descendere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono,
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes; sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego quum tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum tenebris me facit ipsa Venus.

pronomini additur substantivum, quum generis diversitas notatur, ut hic *juvenis* et *puella* opponuntur. In Berol. 2. *iuvenis seu quis.*

19. *descendere.* Non sollicitandum. Gradibus enim attollebantur Romanorum lecti, ita ut *ascendere illos* et *descendere illis* proprie dicatur, cf. I, 5, 41. Eodem spectat *delabi* Ov. Am. III, 1, 51. Plaut. Curcul. II, 3. *deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat.* Vulg. primus e conj. Douzae P. recepit Broukh., nunc Firm. Mon. et Voss. 3. In libris variantur: *decedere*, *discedere*, quae cum *descendere* saepius confusa sunt, v. c. Hor. Epist. I, 16, 7. H. Voss. *derepere* e cod. Fris., probante Heins., in textum intulit, ut esset: clam descendere.

22. *abdere* iam Mureto, Pulm. Scalig. revocatum sequentes edtt. tenuerunt. Tuentur idem sex H. Voss. Berol. 1. superscr. et 4. a m. s. In Statii nonnullis: *reddere*, glossema lectionis *addere*, quam cum multis Berol. 2. 3. exhibet. In Hor. III, od. 4, 38. ex *abdidit*, quod non mutandum, alii finxerunt *addidit*, a Vanderb. perperam revocatum, alii *reddidit*, quod non recipere debebat Fea.

23. *Nec* i. q. non tamen; cf. Val. Fl. IV, 300. Liv. IV, 30.

25. *sq.* Hoc distichon deest in libb. Vindob. et Bern. His nondum collatis iam Scalig. illud tamquam spurium proscripserat, quem Br. Vulp. Heyn. sequebantur. Non satis idonea caussa, quod quidem ad vs. priorem attinet. Hunc omnes fere libb. scrpti et edtt. agnoscunt, tuentur Goerenz. nec non Heyn. in obss. et edunt H. Voss., Bauer., Wund. Bene! Nam ut taceamus audaciam, qua versus auctoritate libb. satis vindicatus eiicitur, ipse sententiarum nexus eum postulat. Verbis: *Nec sinit* cet. praece-

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet; insidias nec timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
Obvia; celari vult sua furta Venus.

dere debebat mentio tutelae, qua Venus amantes fovere soleat. Secus res se habet in vs. min. Muretus quidem exhibens: *Securum in tenebris me f. esse V.* dicit, in nonnullis libb. vetustis sic legi; sed in aliis lacunam esse; in quibusdam etiam legi: *Praesidio noctis sentio adesse Deam*, at in aliis: *Ille deus certae dat mihi signa viae.* Versum, qualis primo loco positus est, efferunt praeter alios Pall. sex, Comel. Guelf. 1. 3. 4. Angll. Beroll. 2. 3. 4. Voss. 1. 2. 3. 4. Mon. et sic ed. pr. Ven. Aldd. et ceterae vetustae. Ach. Statio, ab Aurispa h. v. esse suppositum, nuntianti parum fidei tribuam, propterea quod vetustissimus Angll., a. 1425. descriptus eundem exhibet, et Aurispa demum circa 1430. vixit. Facio igitur cum Gebhardo dicente: *Nos tot adducti auctoritatibus si non genuinum, saltem proximum genuino cognoscimus.* Cum Fruter. et Broukh. in notis script. delevi *in*, cf. Tib. I, 6, 59. II, 1, 76. Ov. Am. I, 6, 10. *Ipsa* tuentur Guelf. 4. alii ap. Stat. vet. Sc. Ven. Ald. 1. H. Voss. Bauer., quocum signa suspicionis apposui. *Anxius* sc. curarum *quas amor habet*, Hor. Epod. II, 37. *securum facit ipsa V.* i. e. curis et sollicitudinibus me liberat. *tenebris* repetitum tantum abest, ut frigeat, ut potius vim sententiae conciliet singularem.

30. *nec* pro vulg. *non* ex Angll. D. E. Sfort. Beroll. 1. 3. Voss. 3. probantibus Heynio et Wund. cum H. Vossio recepi. Ita oratione variata arctius haec verba vs. priori iunguntur: *Eat neu timeat;* nisi malueris cum H. Vossio *nec* pro: *ne-quidem* dictum, ut Liv. XXI, 36. v. Bauer. ad Sanct. Min. t. II. p. 291. more Graec. οὐδὲ, Viger. p. 466. H. pr.

32. *Non mihi* sc. nocet imber magnus. Variata autem structura: *quum* decid. imber m. aqua.

Ne strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis et imprudens asspexerit, occulat ille,
Perque deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rabido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniux tuus, ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.

37. *Ne* pro vulg. *neu* testantur libri mss. Stat. Pall. quatuor. Angll. A. C. Berol. 4. Zwicc. 1. edt. pr. Reg. Lips. Ald. 1. Hoc revocavi, prob. V. d. in Eph. litt. Lips. 1813., propterea quod sententia superioribus non connexa est. Probum erat *neu*, si praecessisset *ut* vel *ne* vel certe coniunct. modus, ut vs. 10. Ad nostr. vindicandam faciunt Tib. IV, 4, 5. Virg. Georg. II, 251. Propert. I, 10, 21. sq. Accurate hac de re disseruit Schelle in notis ad Hor. art. poët. p. 138. sqq. H. Voss. *nec;* dummodo id cum seq. *neu* iungi possit.

40. Verbo *neget per* d. sensus: iuret per d. o. se non meminisse.

41. sq. Sensui: Quicunque meos amores evulgarit, is crudelitatem Veneris cum dolore experiatur, nihil aptius lectione: *rabido*, quam e Pocch. varr. et nonnullis Heins. cum H. Vossio, Bauero, Wund. recepi. Eandem laud. Lips. ad Perv. Ven. 9. De confus. vv. *rapidus* et *rabidus* cl. IV, 1, 72. et ad marg. bibl. crit. Santen. notavit: Prop. III, 17, 10. Aen. VII. 493. Lucan. in Pis. 258. H. Voss. *e* cum nonnull. libris omittit. Parum apte, quum non eadem procedat structura in *natam* et *e rab. m. esse*, neque notio, quae simplici abl. convenit, hic locum habeat.

43. Voluit dicere: Ne conjux, si vel aliquis loquax fuerit eique furta nostra indicaverit, crediturus sit, id effecturum me dixit saga adhibitis artibus magicis, quas ab ipsa acceperim. De originibus artis magicae eiusque singulis momentis perite disput. cel. Wachsmuth. in Athenaeo, v. II, part. 2. p. 209—258.

46. Ita Pulm. Broukh. Voss. Wund. *fulminis* unus Broukh., Beroll. 1. 3. 4. quatuor Voss. Guelf. 2. pro v. l, etiam Aldd. 1. 2. *sistit* Berol. 2. Hamb. Ad nostram confirmandam faciunt Claudian. in Ruf. I, 158. *Ire vagas quercus et fulmen stare coegi.* et Seneca, H. Voss. laud., Herc. Oet. 469. *et cantu fugax Stet deprehensum fulmen.* *Rapidus* bene designat celeritatem ruentis

Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi;
Fulminis haec rapidi carmine sistit iter.
Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
Elicit et tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico stridore catervas;
Jam iubet asspersas lacte referre pedem.
Quum libet, haec tristi depellit nubila coelo;
Quum libet, aestivo convocat orbe nives.

fulminis, et oppos. *sistit.* Si cui displicuerit, quod ipsa Jovis, fulminum praesidis, potestas magica vi infringi fingatur, is adeat Lucan. VI, 461. sqq. Vulg. *Fluminis h. r. c. vertit iter* iis debetur, quibus sagarum ars, fluminum cursus vel vertendi vel retinendi, notior erat, cll. Apoll. Rhod. III, 532 sqq. Virg. Aen. IV, 488. Ov. Met. VII, 199. sqq. Amor. I, 8, 6. Prop. I, 1, 24.

47. sq. Mortuorum animas, responsa ab illis petiturae sagae e sepulcris evocare, etiam ossa tepida, vix cremata, utpote ad praestigias magicas tanto efficaciora cupide de rogis expetere finguntur. Hor. I, sat. 8, 28 sq. — *Cruor in fossam confusus; ut inde Manes elicerent animas, responsa daturas.*

49. Numina magica ex inferis evocata, quae sagarum sacra juvarent, cogites. Officiis deinde praestitis lacte illa asspergi et in inferos dimitti credebantur. Praeter Hor. I, Sat. 8, 33. sq. *Hecaten vocat altera, saevam Altera Tisiphonen* cf. Claud. in Ruf. I, 154. *Saepius horrendos Manes sacrisque citavi Nocturnis Hecaten.* His quidem aliisque locis inter se comparatis vix dubitandum, quin *catervae inf.* de numinibus, quaecunque ad sacra magica juvanda vocari essent solita, accipiendum sit, quamquam hoc nove dictum, ipsa numina *lacte asspergi.* Nostram lect. *ciet*, quinque libris ap. H. Voss., Angll. B. C. D. Zwicc. 1. 2. aliisque ap. Heyn. munitam ex edd. pr. omnibusque fere vetustis, praeeunte H. Voss., revocavimus. Vulg. *tenet* Broukh., paucis codd. addic., primus dedit. Inveteratum scribendi vitium mihi videtur, quum litt. *c* et *t* in codd., minusculis litteris exaratis tanta sit similitudo, ut oculis vix possint discerni. Nisi hanc erroris caussam in promtu esset videre, *tenet* ab iis scriptum putarem, qui *Manes* et *infernas cat.* nihil differre opinarentur.

51. sq. Vim magicam duobus novis designat momentis, gravius Ovidio, Met. VII, 201. — *nubila pello; Nubilaque induco.*

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Haec mihi composuit cantus, quîs fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus;
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis; nam cetera cernet
Omnia; de me uno sentiet ille nihil.

Si cui vis magica nives per aestatem concitandi nimis monstrosa fuerit visa, is accipiat *nives* pro nubibus nivosis coelum obscurantibus. Hoc scil. sensu *nix, nives* tempestati describendae saepius inserviunt. v. Weich. Epist. crit. p. 19. sq. Parum a nostra differt Broukhusii: *aestivas convocat ore nives*, ex aliquot libris mss. receptum; modo ne vitium *ore* illud tulerit. H. Vossius: *aestivo fugit ab orbe dies*, cujus quidem scripturae vestigia cerni censet in var. ad marg. Brix. — *aestivo fulgerat orbe deos*, quam non nisi corruptam Ovid. Am. I, 8, 9. interpolationem habemus. Vossiana nihil contortius et ad structuram durius. *Aestivo orbe* i. e. coelo, quale per aestatem esse solet, sereno.

54. Graecam form. *es* in *Hecates*, de qua diss. Bentl. ad Hor. Epod. 17, 17., e plur. codd. Beroll. 2. 4. Zw. 1. 2. Corv. Angl. E. cum editt. pr. et vetust., H. Voss. et Wund. vulgari: *Hecatae* praetuli, non tamquam cum nuperrimo Propertii editore p. 23. censerem, litt. *e* in *canes* aliud, aliud sonare in *Hecates* nomine, sed propterea quod iterationem litterae *s*, sive sigmatismum amant poëtae in nominibus abominandis et rebus horrendis. cf. Ov. Met. VII, 74. *Ibat ad antiquas Hecates*, Fast. I, 141. *Ora vides Hecates in tres vergentia partes.* Voss. ad Georg. III, 514.

55. *quîs* pro *quibus* e plur. Broukh. Beroll. 1. 2. 3. Goth. edt. pr. Broukh. Wund. et sic per totum Tib. scribendum curavi, librorum optt. et Grammat. testimonia sequutus. v. Seyff. Gr. lat. t. II. p. 127. Alii *queis* v. Bauer. ad Sanct. t. I. p. 700.

56. Formulas a saga mihi communicatas *(cantus)* ter recita et in sinum ter despue; quo facto averrunces mala ab interventu mariti timenda et veniam a diis impetres. Cf. Theocrit. VII, 126. sq. ad quem loc. notavit schol. *εἰώϑασι δὲ αἱ γραῖαι, ὅταν ἐπᾴδωσιν ἐπιπτύειν.*

Quid? credam? Nempe haec eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos.
Et me lustravit taedis, et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi.

58. *viderit* sc. nos. Pronominis loco obiecti positi omissio Tibullo frequens, cf. I, 1, 9. 3, 27. 8, 5. *in* ducibus aliquot libris H. Voss. eiecit, cl. I, 2, 77. I, 3, 26. Bene omittitur *in* in illis aliisque a Wund. collatis locis, ubi verbo inest notio jacendi, quiescendi, morandi et sim. At vero alius significatus verbum si accessit, praepos. non tollenda erit, ut hic *viderit*. Ad argumentum quod attinet, maritum dicit T. reddi posse arte magica coecum ad furta coniugis suae, cf. Prop. IV, 5, 15. *Possit ut intentos astu coecare maritos.*

59. *cetera*, non *caetera* scribendum docet Fea ad Hor. I, od. 9, 9.

60. *ille*, pro vulg. *ipse*, ex aliquot libris vel Heynio probatum cum H. Voss. Bauero Wund. dedi, quum pron. *ipse* nullam hic habeat gravitatem, quae in v. *uno* incidit, neque repetitio e vs. 58. iucunda sit.

61. Animum Deliae sibi conciliaturus minatur, eiusdem sagae arte amores solvi atque ad alios traduci posse. Quod quidem abominans mente tamquam percussa exclamat: *Quid?* novum aliquid et horrendum innuit. Quapropter a vulg. distinctione: *Quid credam?* recessi, probante id Goerenz.

67. sqq. Sui in Deliam amoris constantiam testaturus se id optare declarat, ut ne velit quidem unquam sine Delia vivere posse; neque tam duro se esse animo ac feroce, ut gloriae vel divitiarum sibi parandarum caussa militatum abire possit.
Hoc quidem sententiarum ordine constituto versus inde a 67 prioribus bene annectuntur, ut in omnibus libris mss. et edtt. vett. factum videmus. Secus Heynio visum est, quippe qui inde a vs. 67. ad v. 80. usque fragmentum haberi statuebat. H. Vossio,

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
　　Ponat et in capto Martia castra solo;
Totus et argento contextus, totus et auro,
　　Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boves, tecum modo sim, mea Delia, possim
　　Jungere, et in solo pascere monte pecus;

approbante Frenzel. in nov. bibl. paed., placuit novam a priore diversam constituere elegiam, in qua se castra (a. 724.) secutum esse poeniteat, atque militiae laboribus defatigatus amicae et otii rustici fructum desideret.

Argumenta autem, quibus Vir ill. usus est, neque Wund. neque mihi ipsi persuaserunt, ut ad illius partes accederemus. Neque, puto, quisquam, ratione grammat. satis perspecta, verba *ille fuit* cet. ad ipsum Tibullum referre voluerit. Tota sententiae eloquutio flagitat, ut quidam homo cogitetur, quem a gloriae cupiditate notet et castiget Tibullus. Accedit, quod ipse T. se opponit fero et perfido homini, vs. 73. et saepius commemorat, quae suae conditioni, de qua in superioribus loquutus erat, unice conveniunt, cf. 77. sq. 89. 91. 100.

67. *Posset* ne cum nonnullis libb. Stat., Goth. Hamb. Beroll. 2. 4. Angl. A. et Ald. 1. Vulp. 1710. in *possit* mutetur, impedit perf. *fuit.*

69. Broukh. e paucis codd. *vinctas.* Quod bonum esset, si de triumpho ageretur. Ad v. *agat ante* Santen. ad marg. ed. Br. contulit Virg. Georg. III, 552.

69. Speciosum H. Voss. argumentum pro sua ratione petit a mentione Cilicum, ad quos debellandos Messala cum Tibullo profectus fuerit. At poterant, ut Heynius observavit, Cilices vel sine respectu ad Messalae acta nominari, quoniam is populus semper bellicosus et domitu difficilis habitus fuit. v. Ov. Am. II, 16, 39. Mihi certe consultius esse videtur, totum carmen nostrum anno 725. attribuere, quo quidem statuto propius Tibullo quidam ante oculos versari poterat, in quem vituperationes, quales hic habemus, caderent.

71. Audacius ad hominem transtulit T., quod propr. de veste dicendum erat. Ornatus veste ex auro et argento contexta. Cavendum igitur, ne *contectus* legatur ex uno Stat. aliisque. Idem Ovid. Met. XIV, 345. ex uno libro restituendum censeo, ubi

Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis et inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere posset aquae.

vulg. *Poeniceam fulvo chlamydem comprensus ab auro* corruptam esse docent varr. *contactus, concinctus, contortus, contectus.* Ceterum nostro loco iung. *totus et auro sc. contextus*, quod iam alii monuerunt contra Scalig., qui *t. et aur. consp.* malebat.

72. Pro *celeri* maluit Bauerus: *celebri*, sc. forma et pulchritudine, quae, ut opinatur, rectius h. l. praedicetur quam celeritas. Nihil autem mutandum puto, quoniam alias quoque epitheta, quae vocant perpetua, frequentantur nullo cum respectu ad id, quod rerum nexus postulare videtur.

73. Collocationem, qualem cum H. Vossio institui, flagitat cum gravitas, quae in *tecum* cadit, tum usus Tib., v. I, 1, 57. Vulg. *mea, sim tecum modo, D.*, parum placet a positura verborum. Uno Statii libro adiuti Broukh. et Bauer. ordinarunt: *Modo sim tecum, mea D.* In multis: *si;* quod propter *modo* ferri nequit. Ad rem cf. Ov. Am. II, 16, 19. sqq.

75. Scaligero praeeunte H. Voss. novam statuit sententiam eamque ex animo precantis incipi, quapropter in textum intulit: *O te dum teneris liceat*, fav. Frenzelio. Equidem vero non intelligo, quomodo partt. *modo-dum* hanc rationem admittant. Nam si membra interposita votum quoddam continent, non fieri potest, ut in protasi item sit precantis sive optantis oratio. Vulg. igitur distinctione servata *Et* (vs. 75.) in sensu copulandi, alterum (v. 76.) in sensu augendi et amplificandi *ia auch, sogar* accipimus.

80. *posset* cum pluribus ap. Broukh. et H. Voss. testantur Corvin. Guelff. Zwicc. 1. 2. Beroll. 1. 3. 4. Sic. edd. pr. et ceterae omnes vett. Vulg. *possit* Scalig., Broukh., Heyn., Wund., qui coniunctiv. imperf. h. l. bene poni negat. Equidem non ita. Quum sententia conditionaliter sit pronuntiata, atque futuri temp. notio subcogitari possit, cum H. Voss. et Bauero script. communem non deserendam censui.

Num Veneris magnae violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum,
Sertaque de sanctis diripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus;
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi; non uni saeviet usque Deus.

81—88. Infelicis amoris miserias postquam in genere questus fuit ad suos redit dolores, quos a Diis poenae instar sibi incussos opinatur, quamquam nullius criminis sit conscius.

82. Ach. Stat. in vett. libb. legi monet: *Ut - - luat.* Bauer. et H. Voss. receperunt. Equidem vero pedestri orationi hoc potius convenire puto. Saepius poëtae copulativam ponunt, ubi alii scriptt. eam habent particulam, quae nexu sententiarum postuletur. cf. Tib. I, 3, 70. II, 4, 4.

84. *diripuisse* cum H. Vossio et Bauer. revocavi. Sic plurimi libb. scrpti, quibus Beroll. Zwicc. accedunt. Idem ed. pr. Reg. Aldd. Cyll. in comment. *Deripuisse* paucis codd. addic. primus Dousa recepit et in edtt. seriores propagavit. *Eripuisse* cum nonnullis libb. edunt Venet. *Diripi* dicuntur res, quae non tantum ab aliis separantur, sed etiam in partes distrahi et dissipari possunt, v. Ov. Met. XV, 304. *direpta bicorni Terga capro,* unde Virg. Aen. I, 211. revocandum erit: *direpta.* Ovid. in Ib. 553. cum libro Askew. leg. *Nudave direpta petant tua viscera pelle,* cl. 601. Curt. VII, 5, 24. *direpto ex capite regni insigni.* Verb. *deripere* notat, de loco alto sive deorsum movere, festinanter vel cum vi rapere, v. Hor. IV, 15, 7. ubi *derepta* non mutare in *dir.* debebat Vanderb. cf. I, 9, 29. Ov. Met. III, 52. In Plaut. Rud. III, 3, 5. *de ara deripere;* nihil tamen ad nostrum valet, quum res, quae deripiatur, diversa sit a *sertis* in nostro loco. De permut. vv. *der.* et *dir.* v. Broukh. ad nostr., Heins. ad Ov. Met. III, 52. Fea ad Hor. IV, od. 15, 7. et omnino de syllabis *de* et *di* in compositis saepe permixtis v. Drack. ad Liv. VII, 23.

89. *At tu qui* ad Messalam hoc spectare putat Voss. Cavendum vero, ne ad certum quendam pertinere hanc admonitionem

Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
 Post Veneris vinclis subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce,
 Et manibus canas fingere velle comas;
Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
 Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta,
 Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus! Semper tibi dedita servit
 Mens mea; quid messes uris acerba tuas?

credas. Interpr. *quisquis - ridet*, *caveat.* cf. II, 3, 55. Distinctionem: *nostra*, *cav. Mox tibi;* flagitat sensus et usus Tibulli, praeponendi negationem omissa part. *nam;* cf. I, 8, 47. 1, 63. 3, 5. 8, 67. Lect. *uni s. usque* D. i. e. in te quoque saeviet Amor, Perreii excerpt. firm. H. Voss., Bauer. Wund., prob. Santen., receperunt. Vulg. *non unus* vix dicas, quomodo explicetur. Qui cum Vulpio: *Mox tibi non — Deus* iungunt, *non unum sed omnes deos infestos habiturus es*, interpretantur. Inepte. Alia ratio est, *non unus Deus* accipiendi pro: non eodem modo, non constanter in me saeviet Deus. At tunc Deus mutatus animo et voluntate cogitari debet. cf. Terent. Andr. III, 3, 13. *Alium esse censes nunc me, atque olim, quum dabam*, i. e. alio erga te animo esse; cl. Hor. II, od. 11, 10. *neque* (sive *nec*, cum uno Dorvill.) *uno Luna rubens nitet vultu* i. e. variat vultum crescendo atque decrescendo. Huic autem rationi vel *saeviet* adversatur. Pal. 2. Angl. A. Berol. 2. Hamb. Goth. *vanus*, ita Aldd. *non vanus* i. e. potens, gravis, cl. Ov. Met. III, 559. Alii alia. Goerenz maluit: *uni is.* Haud opus. Amor saepius simpl. Deus vocatur.

91. *amores juvenum* e. quibus ipsi iuvenes flagrant in puellas, cf. Lennep. ad Ov. Her. XVI, 240. *miseros* cum respectu ad amorem Tibulli a Delia contemtum. Ad vs. 92. cf. Silent. ep. 32. *αὔχενά σοι κλίνω, Κύπρι, μεσαιπόλιος.*

97. *circumterit* Angll. omnes, Pall. 1. 3. 4. 5. Berol. 4. alii ap. Stat. gravius quam *circumstetit*, vel *circumvenit* in aliis. *Arta* non *arcta* ducibus optt. membranis scribendum, v. Broukh. et Drack. ad Sil. VII, 280. ad Liv. II, 50.

100. *quid* cet. Sensus: cur, Venus, in tuum clientem iram exerces? cf. Hor. II. Ep. 1, 220. *Vineta sua caedere.*

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Rebus in Gallia bene gestis Messala contra populos Asiaticos ab Augusto mittitur. Huic quidem itineri ex Gallia suscepto socium habet Tibullum. Hic vero, quum ad insulam Corcyram perventum esset, in gravem morbum incidit, ibique a Messala relictus est. Quantopere doloris et desiderii affectu fuerit percussus, haec elegia docet. In peregrinam quum delatus terram suorum amplexibus privatus sit, mortem sibi vel maxime abhorreri declarat — 10 et omina, quibus Roma profectus fuerit, enarrat — 22. Nunc Isidis, quam Delia colat, auxilio implorato nihil ardentius nisi ut domum reditus sibi contingat, optat — 34. Instantis periculi metu constratus peregrinationes, tamquam primariam praesentis infortunii caussam detestatur et potiora aetatis aureae commoda recenset — 48. A brevi deterioris seculi mentione ad Jovem exorandum convertitur — 52. Si tamen naturae et fato sit concedendum, a Venere ad campos Elysios se ductum iri sperat — 66, modo rivales sui in Tartarum demittantur! — 82. Ab his denique digressionibus reversus ut fide amoris Deliae inviolata sibi reduci liceat frui, precatur.

Carmen a. 725 scriptum Corcyrae, ubi Messala in Ciliciam navigaturus Nostrum morbo implicitum reliquisse cogitetur.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas;
O utinam memores ipse cohorsque mei!
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris;
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus!
Abstineas, Mors atra, precor! non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus;

1. *Ibitis* observes graecam elegantiam, qua futurum indicat. vim optativi sive imperativi adsciscit, v. Matth. Gr. §. 511. Viger. p. 199. E Latin. cf. Virg. Aen. II, 547. *Referes ergo haec, et nuntius ibis Pelidae genitori.* Periz. ad Sanct. t. I. p. 116. B. Animadvertant quoque tirones pluralem, quem vocativo singulari addere solent, quando, oratione ad plures directa, unus tantum compellatur, qui comitatu circumdatus potentior sive aliqua parte insignior cogitandus est. Praeivit Hom. Od. III, 43. sq. ὦ ξεῖνε — ἠντήσατε. Brunck. ad Arist. Ran. 1479. Fisch. ad Well. Gr. spec. III, p. 302. Virg. Aen. IX, 525. *Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti.* Vulp. laud. Sil. XVI, 212. Val. Fl. VIII, 178.

2. Suppl. *eatis* vel *sitis*, docet Tib. III, 5, 31. *Vivite felices, memores et vivite nostri.* Pro *ipse* ex uno Pass. libro H. Voss. et Bauer. *tuque.* Ovidio, a Voss. laud. Her. VI, 142. *Intrasses portus, tuque comesque, meos* add. Virg. Aen. IV, 93. *Tuque puerque tuus.* Significantius autem usus est T. *ipse*, quod de eo frequentatur, qui sive dux et dominus, sive coniux, sive praeceptor primum tenet locum, v. Wund. in obss. et Mitsch. lectt. in Catull. p. 16. Liv. XXI, 28. *mox et ipse aderat.* Eadem fere vi αὐτὸς occurrit. Nostrum imit. Lotich. I, 10, 72. *Exhibuit tutus ipse cohorsque vias.*

3. Hinc discitur, *tenet locus nos* non tantum dici de locis, ubi lubentes et hilares moramur, ut II, 3, 1. III, 5, 1. sed de iis quoque, ubi inviti subsistere cogimur.

Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
　　Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam, quae, me quam mitteret urbe,
　　Dicitur ante omnes consuluisse deos.

7. *dedat* Broukhusio horridule dictum videbatur, ut corrigere mallet: *fundat*, cl. III, 2, 23. Heynio placuit: *reddat* vel *didat.* Modestiores erant illi viri et verecundiores, quam ut commenta sua in textum inferre conarentur. Non ita H. Vossius. Coniecturam ne probabilem quidem invexit: *condat*, quam interpretatur: cond. in honorem cineris, in urna conditi, odores. Satis artificiose nec tamen convenienter! Vulg. libb. scrptt. et edd. auctoritate munitam omni corruptelae suspicione puto carere. *Dedere* sensu praegnante de iis dicitur rebus, quae mortuis igitur non remunerandae tribuuntur, sacrantur. Bene obs. Muret. ad Catull. 61, 59. *dedimus ea, quae volumus accipienti propria ac perpetua fieri.* cf. intpp. ad Pomp. Fest. s. v. *dedita*, ubi haec sunt: *dedita est in perpetuum data, ita ut ea nequeas repetere.* Vetus interpr. Terentii: *dare* est, quod repetas; *dedere* est ad perpetuum. cf. Catull. Epith. Pel. 363. *Denique testis erit morti quoque dedita praeda.* Vulpio et H. Vossio, sepulcris et cippis unguenta adspersa fuisse negantibus, testimonia vett. obloquuntur. v. Virg. Aen. VI, 218. Ov. Her. X, 122. alia ap. Kirchm. III, 5. Lucian. de luctu 11. sq. *Sepulcra* cum Wund. propr. h. l. accip. puto, quamquam alias etiam de rogo sive busto occurrit, v. Burm. ad Lucan. III, 11. unde *fax sepulcralis* Ov. Her. II, 120.

9. *usquam est;* sic Heyn. Wund. addicentibus perpaucis libris. Omnes fere libri etiam Beroll. Zwicc. H. Vossii, exceptis Vindob. et Hamb., omittunt *est;* item ed. pr. Sequentia ita solvas: quae, ante quam urbe me mitteret i. e. dimitteret, o. d. cons. dicitur. Haec quidem transpositio, haud infrequens, v. IV, 7, 8. Prop. II, 18, 10. III, 20, 19. fefellit librarios adeo, ut *quam* in *cum* corrumperent. Illud autem, a Dous. ex ingenio restitutum tuentur Vind. Mon. Bern. Voss. 2. Ad marg. Broukh. notavit: *alii volunt:* meos (pro *omnes*) *cl. Juven. VI*, 567.

11. sq. Duo diversa divinationis genera posuisse poëtam, docet *illi* et *cuncta* vs. 13. Hoc certe monitum volui propter eos, qui Mureti conjecturam: *e trinis*, a Broukh., edit. Paris. 1723, et H. Vossio receptam, vulg. praeferre malint. *Sustulit sortes*

Illa sacras pueri sortes ter sustulit; illi
Retulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.

cet. ad pueros spectare videtur, qui in publicis locis sedisse vel adstitisse et praetereuntes, ut sortes experirentur, invitasse videntur. *Illi*, sc. Deliae *retulit puer e triviis* o. c. de eo intellig.; qui casu praeteriens vocem miserit faustae significationis, sive, quod melius convenit, qui ad omina capienda missus e triviis retulerit certa. Utramcunque rationem sequaris, iunge *puer e triviis*; Nam si verbum *ret.* cum *e triv.* junctum voluisset T., tunc debebat posuisse: *a* non *e triv.* De loquendi forma: *e triviis puer* cf. I, 5, 56. Catull. XXV, 5. *Cum de via mulier aliter ostendit oscitantes.* Cic. de div. I, 58. *de circo astrologi.* Gron. ad Liv. XXVII, 5. Ad rem v. Suet. Vespas. 5. *Ret.*, non *rettulit*, more veterum scribendum. Nam syll. *re* sine geminatione producitur. Tuentur hanc rationem libri meliores, v. c. Beroll. 3. 4. hic et I, 7, 62. Aliter Vossio visum est, facienti cum Fea ad Hor. II, od. 1, 28. Vid. hac de re Heyn. in Var. ad Aen. V, 598.

13. sq. Etsi omnia felicis reditus spem afferebant, tamen non potuit se continere Delia, quin fleret in ipso discessu, et iam dimissa me profectum iterum iterumque respiceret. Nimis quaesita et contorta est aliorum ratio huius loci expediendi. Gronov. in Diatr. t. l. p. 274. *Non potuit se metu mali ominis continere, ut non fleret et saepe respiceret. Namque utrumque ominis minus secundi.* H. Vossius paucorum librorum lectionem a Pass. laud., non receptam, in textum intulit: *tamen haud deterrita frustra est, Quum fleret* — i. e. quamvis certissimum fausti reditus omen allatum sibi esset, tamen, nec frustra deterrita est, quum discedente amico fleret. Quaeritur autem, a qua re deterrita sit Delia? Certe debuit esse: *perterrita*, v. Epist. crit. p. 18. Nam lacrymae discedentibus amicis effusae mali ominis erant; locis Aen. XII, 72. Stat. III. Silv. 2, 50. a Voss. laudatis adde Claud. Rapt. I, 267. sq. Acquiescamus vero in vulg. lect., quae vindicatur Hom. Il. VI, 495. sq. *ἄλοχος δὲ* (Andromache) *φίλη οἶκόνδε βεβήκει, Ἐντροπαλιζομένη, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα. Deterrere* h. l. sine ullius terroris et minarum respectu est *dehortari*, *dissuadere*, *rationibus adducere, ut hoc aut illud ne facias.* v. Broukh. et ad marg. laud. Nep. Milt.

Ipse ego solator, quum iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente Deo.

VII, 4. Caes. de b. g. II, 3. cf. Ov. Met. VIII, 765. sq. Graev. ad Justin. XIV, 1.

Nunquam gravius h. l. pro *non*, ut Ter. Adelph. II, 1, 4. *Quin* Aldd. ad seqq. edtt. propagarunt. In libb. et Venn. *Quum*.

17. Constructio unius eiusdemque verbi variata: *Caussat. sum aut aves aut o. d., aut causs. sum diem me ten.* Wund. appos. Hor. II, od. 9, 19. sqq. Adde Nicarch. in Anth. Gr. *Αἰτέομαι δ' αὐτοὺς* (deos agricolas) *καλὰ πώεα, καὶ καλὸν οἶνον, Καὶ καλὸν ἀμῆσαι καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων.* Eadem fere constructionis varietas etiam in nominibus occurrit, v. Brem. ad Nep. Dat. III, 1.

18. H. Voss. *Saturnive sacram me timuisse d.* nativa constructione valde turbata. Expectatur enim subiectum in *sacram – d.*, non in *me*. Part. *ve* inter lineas notatam reperit in edit. Ven. 1475. Broukh. Non igitur exploratum habemus de illius veritate. *Timuisse* exhibent aliquot Stat., Perreii Exc., Cyll. in comment. et Synclit. Facile hoc cum *tenuisse* misceri poterat. *Tenere* in his superstitionibus propr. dici, docent Gron. et Drack. ad Liv. XXXII, 9. Ne concursus vocalium *i a* vel *au* offendat, cf. Aen. IV, 302. Ecl. VI, 59. Hor. I. Sat. 6, 9. vid. Bentl. ad Hor. III, od. 14, 11. Heins. ad Claud. cons. Stil. III, 167. De transposit. *aut*, quod ante *Sat.* expectatur, cf. II, 4, 3. 9. IV, 1, 80. alia ap. Wund.

20. De hac superstitione cf. Ovid. Her. XIII, 88. Trist. I, 3, 55. Am. I, 11, 4.

21. Guelf. 2. Guarn. Angll. A. E. Beroll. cum aliis: *neu quis.* Unde Voss., sono syllabarum *quis dis* offensus, lectionem finxit: *nemo.* Quid vero de huius generis emendationibus iudicandum sit, v. ad I, 2, 17.

22. *Sciat* conjunctiv. bene et graviter positus. Voluit poëta: *si tamen aliquis, meo praecepto repudiato, egressus fuerit, is*

Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te, memini, et puro secubuisse toro?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi! nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis,
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat,

suo malo cognoscat, edoceatur cet. De hac notione v. *scire* cf. Aen. I, 692. Prop. I, 4, 17. *sciet hoc insana puella*, i. e. suo malo cognoscet. Ceterum coniunctiv. non ad conditionem, uti Wund., sed ad formam imprecandi accedere puto, ut III, 6, 26. Igitur non audiendi, qui cum Doering. *sciet* malunt.

25. sq. *Quidve* sc. prodest, *te, dum sacra colis, memini pure lavari et puro secub. toro*, i. e. meis amplexibus abstinuisse. *Te* et *memini* ad utrumque membrum spectant. Ne quem offendat iunctura: *memini lavari* vid. Virg. Ecl. I, 17. *De coelo tactas memini praedicere quercus.* Plaut. Men. V, 9, 15. V. *memini* eleganter interponere solent et in iis rebus, quae hilari gratoque animo in memoriam revocamus, ut Ov. I, Trist. IV, 3., et in iis, quarum recordatio affligit animum. Neque igitur uncis inclusi, praeeuntibus vett. edtt. Bauero, Wund.; neque iis accedo, qui mendum aliquod latere censent, ut Huschk. et Doering. Hic quidem mavult: *Te et* (*memini*); ille pron. deleto: *Et* (*mem.*); at collocatio minime vituperanda, et pronomine aegre careas, quum, hoc deleto, ambigua reddatur oratio. Slothouw. in actis soc. Trai. v. III. p. 146. *memini* in *mane* mutari vult, propterea quod mane imprimis lavabantur homines religiosi, Hor. II. Sat. 3, 281. sqq. *dum colis* observent tirones praesens, quod part. *dum* addere solent, quum ad membrum interpositum pertinet, quamquam praeterito antecedente vel sequente. cf. Phaedr. IV, 4, 2. *Dum sese aper volutat, turbavit vadum.* cl. ibid. v. 11. Voss. ad Virg. Georg. IV, 559. sq.

27. *mederi* sc. te. v. ad I, 2, 58. Ad sensum comp. Ov. Fast. III, 268. *Et posita est meritae multa tabella Deae.*

29. Pro *Ut*. Beroll. 1. 3. 4. Angll. Sfort. cum aliis *Et*. Nostr. tuetur Ber. 4. a m. s. ceterum variantur: *Persolvere, persolvat, persolvet*. Berol. 3. *persolves* corrupt. ex *persolvens*. In *voces* conspirant nostri, *Noctes* cum Scalig. Broukh. Vulp. 1710. Lut.

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
 Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
 Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
 Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
 Effusum ventis praebueratque sinum;
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
 Presserat externa navita merce ratem.

Par. 1723. ediderunt; praebent idem Voss. 1. 2. 4. interpolatum, ut puto, ex Prop. II, 28, 62. Vulp. 1749. ex ingenio: *poenas*. Nihil mutandum. *Votivae voces* sunt hymni ex voto debiti, quos prima hora, quum templum Isidis aperuissent, in Deae honorem canebant sacerdotes et cultores. cf. *carmina votiva* Ov. Art. I, 205. *arma votiva* Prop. IV, 3, 71. Quum Delia mane et ante templi apertionem sedisse cogitanda sit, *persolvens* pro fut. part. persolutura accipio. De quo usu cf. Vig. p. 344. E Latinis Phaedr. I, 28, 10. *miscens dolorem*. Sanct. Min. t. I. p. 155. sq. B. *Sedere* propr. de iis, qui operati Diis ante vestibulum templi morantur inprimis in cultu Isiaco, v. Heins. ad Ov. Art. I, 77.

35—48. Ad morem eorum, qui calamitatibus a corrupto seculi ingenio derivandis afflicti memoria recolere solent prisca eademque feliciora tempora, suam Tibullus aetatem accusaturus continentiam, simplicitatem et concordiam priscorum hominum laude prosequitur. Comp. Virg. Georg. I, 124. sqq. Ov. Met. I, 89. sqq. Kappii Commentatio, qua descriptiones aurei seculi Tibull. et Boeth. inter se comparantur; Cur. 1791.

36. Berol. 4. *In longas tellus*.

37. *contemserat* bene delectum verbum ad audaciam et insultationem notandam, quae, ut alias hominibus nova tentantibus, sic navi h. l. metaph. attribuitur. *Contemnere* de rebus dicitur, quae ab injuriis et periculis manent incolumes, cf. Virg. Georg. II, 360. Aen. III, 75. Mitsch. ad Hor. Epod. IV, 16. Eadem fere elegantia *spernere*, *negligere*, *insultare* dicitur. v. Ov. Met. I, 134. Heynius, cui loquutio pro Tibulli simplicitate nimis magnifica videbatur, aliorum locorum, ubi oratio assurgit, memor esse debuit. Aliquot libri: *contexerat* ut Berol. 2 *conscenderat* Guelf. 2. quod si cui placuerit, ad partes vocabit

Illo non validus subiit iuga tempore taurus;
 Non domito frenos ore momordit equus;
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
 Qui regeret certis finibus arva, lapis;
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
 Obvia securis ubera lactis oves;
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
 Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino caedes, nunc vulnera semper,
 Nunc mare, nunc leti mille repente viae.

Ov. Met. I, 95. — *in liquidas pinus descenderat undas.* Ad notionem nostri *cont.* accedunt Graecorum *καταγελᾶν, πατεῖν.*

38. *Praebueratve* Angll. B. C. D. Hamb. Recepit H. Vossius fav. cens. in Jen. eph. Hic tamen quum neque disiungendi neque augendi notio accedat, et sententia prioris vs. nondum absoluta et finita sit, vulg. servandam censui; de part. *ve* perite disp. Hand. ad Stat. t. I. p. 281.

47. Frustra laborarunt vv. dd. de lect. *acies,* quam libb. unanimiter exhibent. Est poëtarum consuetudo, in extollendis aureae aetatis bonis ea inprimis celebrandi, quibus ipsi vel maxime favent. Noster igitur ad militiam profecturus detestatur omnia ad bellum spectantia momenta. In quibus vero recensendis cavendum ne certum quendam ordinem quaeras. *Acies* est exercitus ad proelium paratus, *ira*, pugnantium furor. Voss. *acies* expl. instrumenta secandi et feriendi, vix probabiliter propt. seq. *ensem.* Heins. tentavit: *Non acies ferrive fuit;* Burm. *rabies* laud. Aen. VIII, 326. Broukh. *Non animi.*

49. sq. Tibullus ea, quae Hesiodus, Ovidius alii tertiae et quartae aetati, ab aere et ferro denominatae, tribuerunt, ad Jovis, igitur unam ferream retulit, quippe quae corruptelis morum famosissima habeatur. Pro alt. *nunc* plerique libri *et.* Illud Colot. aliis Stat. quatuor ap. H. Voss. Zwicc. confirmatum vividiori aptum est orationi, et usui Tib. consentaneum, v. I, 10, 3. II, 3, 60.

50. Receptam cum maxima libb. parte tuentur Angll. A. B. C. E. Beroll. 1. 3. 4. Zwicc. edit. pr. Venn. Brix. Reg. Aldd. Scal. Vulp. Heyn. Bauer. Huschk. Recte! Cogitasse enim T. de morbo in itinere maritimo contracto putandus est. Quos offendebat constructio *repente viae* mutabant illud in *reperta*, ut Vat. 4. Cornel. Goth. Guelf. 3. pro v. lect., aliquot Voss., ad quod accommoda-

Parce pater! timidum non me periuria terrent,
 Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
 Fac lapis inscriptus stet super ossa notis:
Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,
 Messalam terra dum sequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
 Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.

bant *multa-via.* *Leto* unus Broukh. Voss. 2. 5. Hinc concinnavit Br. lectionem: *nunc leto multa reperta via* a Voss. revocatam. Wund. *leti multa reperta via;* in obss. praefert: *leto mille repente viae*, dativum censens exquisitiorem. Meminisse autem debuit Tib. I, 10, 4. aliorumque locorum, ubi in ista ad proverbialem fere accedente forma genitivus ubique servatur. *Reperta* vel ex negligentia librariorum ortum esse potuit; nam in libris var. *reperte*, *repertae*, *repte*; quod idem factum videmus in Ov. Fast. IV, 466. In loquutione *repente viae* non est, quod offendatur. Verb. subst., alias saepe adverbiis additum, v. Erfurdt. ad Soph. Ant. 633 ed. min., non rarius omittitur. cf. Sil. IV, 591. *mille simul leti facies*, cll. Sen. Hipp. 548 sq. *Leti via* est, quidquid mortem adducit, Val. Fl. I, 32. Lachm. ad Prop. p. 96. coniecit: *caedes et vulnera; apertum Nunc mare, nunc leti mille repente viae.!!*

54. Amicis et cognatis, quorum erat iusta funebria exsequi, absentibus ad Jovem, quem, ut morbum depelleret, antea precatus fuerat, revertitur rogando, ut titulum sepulcro inscribendum curet. Itaque non opus erit emendatione: *At* pro *Fac* a Voss. inventa et in textum illata. *Inscriptus* e libb. Beroll. 1. 4. Goth. a p. m. cum Vossio recepi. Laudavit idem Muret. ex libris quibusdam antiquis, et probavit Heyn. in obss. Vulg. *his scriptus* Broukh. ex paucis dedit libris. In plerisque enim: *inscriptis;* sic edtt. pr. aliaeque ante Br. Et Lotich. ob oculos habuit, I, 6, 84. *Fac lapis inscriptis indicet illa notis.* Exquisitius autem *res inscribi* dicitur litteris, notis cet. cf. Curt. X, 1. *columnam litteris inscribere.* Suet. Aug. 7. *imagunculam hoc nom. inscriptam.*

57. Exc. Lips., Guelf. 3. Goth. *qui.* Sic Dous. Morell. Pass. Unus Voss. *sim;* unde H. Voss. finxit: *qui-sim.* At Tibullus non finem et consilium, quo serviturus sit Amori in futurum, sed rationem vult declarare, cur speret se ductum iri cet.

Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 Dulce sonant tenui gutture carmen aves;
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
 Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic iuvenum series teneris immixta puellis
 Ludit, et assidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicunque rapax mors venit amanti,
 Et gerit insigni myrtea serta coma.

58. *ad* praeter alios Broukh. et sex Voss. Angll. B. C. D. E. Berol. 2. Guelf. 1. 2. a m. s. confirmant, idque cum Heyn. Voss. Bauer. Wund. recepi. Ceteri: *in*, quod Huschk. defendit. Usus poëtarum nostrum commendat, cf. Dom. Mars. 2. Ov. Met. IV, 436. Virg. Aen. VI, 543.

59. sqq. Ad hanc Elys. camporum descriptionem comparentur ea, quae de insulis beatorum Homerus, Hesiodus, Pindarus praedicarunt. Serioris aevi poëtae Elysium commiscere solent cum insulis fortunatis. cf. Virg. Aen. VI, 637 sqq. Hor. Epod. XVI, 41 sqq. Observari autem licet, quemque fere scriptorem in exornanda descriptione iis imprimis coloribus et notionibus uti, quae conditioni suae mentis et ingenii maxime consentaneae sint. In promtu igitur est videre, alia epicis, alia elegiacis, alia lyricis poëtis phantasmata deberi.

61. Santen. ad marg. ed. Broukh. notavit: *per annos*. Ingeniose! modo auctoritas mss. accedat.

63. *Hic;* gravius eadem repetitur voce in descriptionibus, cf. 59. quapropter non sequutus sum H. Vossium, ex antiquis edtt. legentem: *Ac*, quod ex corruptela *Hac* Angl. D. ortum videtur. *Immixta* bene vindicavit Huschk. locis Hor. IV, od. 11, 9. *Cursitant mixtae pueris puellae.* Propert. II, 34, 57. *Ut regnem mixtas inter conviva puellas.* Santenius attulit Bonefon Bas. VI. *Errabant mixti nudis per rura puellis*, *Et suus haerebat cuique perennis amans.* Alii de saltatione agi opinantes lectionem tentarunt. Heyn. *innexa*, sic Zwicc. et scpt. ap. H. Voss. Emendationem Fruterii: *implexa* nullo libro confirm. recepit H. Voss. Nihil tamen nisi lusus iuvenum et puellarum quaerend. esse, docent *choreae* iam supra 59. memoratae. Repetitio v. *miscet* in v. sq. neminem offendet. cf. I, 1, 39—42. I, 2, 35—38. 49—53. I, 5, 54—58. alia ex Virg. petita exempla v. ap. Wund. ad I, 9, 67.

65. Intell. Illic est quisque amans, cuius amores immatura mors dissolvit.

At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, et aeratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
Assiduas atro viscere pascit aves.

70. Inversam observa orationem pro: *Tis. saevit et huc illuc turbam fugat*, cf. I, 8, 54. Wund. laud. Aen. I, 30 —32. Sil. II, 543—45.

71 sq. *Tum* sc. adest, conspicitur *Cerberus*, qui cet. Vides igitur Cerberum ad Tartari portam collocatum, ut Ov. Met. IV, 449. alias sub inferorum locorum ingressum. v. Heyn. Excurs. VIII. ad Aen. VI, 416 sq. *Cerb. ore serp. stridet* arctius iungi debet, pro: serpentes capiti adhaerentes strident. *ore* de pluribus serpentibus, ut IV, 1, 71. Ad Cerb. ipsum ex poëtica ratione referri poterat, quod serpentibus proprium.; hinc: *stridor Cerbereus* Sil. VI, 177. cl. II, 537. *tot Erinnys sibilat hydris* Aen. VII, 447. Scaligeri lectionem: *Tum niger in porta serpens; tum Cerberus ore stridet* Vulp. 1710. Silv. 1685. Voss. reposuerunt, Voss. ore in *ora* correcto sive corrupto; quis enim unquam dixerit: *Cerberus ora stridit!* Alia prorsus ratio est in loquutionibus: *colla tumet; tremit artus* sc. quis. Ceterum intell. Voss. hydram 50 capitibus cinctam, Aen. VI, 576. Ad molestam repetitionem in verbis: *in porta - ante fores* tollendam comp. Huschk. Soph. Oed. Col. 1568 sqq. ubi Cerb. in porta aerata excubare et ex antro ululare fingitur. Goerenz. corrigere mavult: *a* p. duce libro Zwicc. 2. Cum aliis ipse quaesivi epitheton, quod v. *ore* responderet, v. Epist. p. 20. Re vero accuratius perpensa in verbis *in porta* aliud quid latere suspicor. Cerberus, communi fere phantasmate, et intrantes latratu sive h. l. stridore terret, v. ad Prop. IV, 11, 25., et ingressos, ne exeant, custodit. Nisi in vs. proxime antec. *turba* legeretur, dicerem fuisse: *in turbam* sc. intrantium, *stridet*, ut alias saevire in quem. Cf. Stat. Th. II,

Tantalus est illic et circum stagna; sed acrem
 Jam iam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,
 In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
 Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas! sanctique pudoris
 Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
 Deducat plena stamina longa colo;

26 sqq. *Illos ut caeco recubans in limine sensit Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus; Saevus et intranti populo.* Formam *stridet* omnium codd. auctoritate munitam cum Wund. ex antiquis edtt. revocavi. Vulg. *stridit* Statio debetur; unus Hamb. eam exhibet.

75. *Porrectus* confirmat Virg. Aen. VI, 596. Ov. Am. III, 12, 25. non *proiectus* quod in aliquot codd. legi Burm. ad Prop. II, 8, 34. docet. Hoc scil. eorum est, qui cum contemtu sive negligentia quadam in terram se abiiciunt, v. Ov. Her. II, 135. Stat. Theb. XII, 328. Lucan. VI, 625. *porrecti* autem, qui extenti non suo arbitrio iacent, hinc de mortuis sive iis, qui illis similes iacent, v. Hor. III, od. 10, 3. Hom. Il. XVIII, 26. Utrumque commiscuit Bentl. in Hor. loco cit. et Epod. X, 22. cf. Heind. ad Sat. II, 3, 112. *Tityos*, non *Tityus*, scrib. ex optt. libb., etiam Angl. E. Suadet hoc Tibulli et aliorum consuetudo, barbaris nominibus suam propriamque terminationem relinquendi. Mecum faciunt Voss., Huschk. Wund. et Fea ad Hor. II. Sat. 3, 112. cf. *Tityon* Aen. VI, 594.

81. sq. Tibulli animo obiectus est sive verus sive fictus inimicus, qui mala ipsi ex urbe discedenti precatus erat. Cavendum igitur, ne credas Vulpio et Vossio, qui *violarit* et *optarit* praeferendum existimabant. Fut. exactum rem non factam notaret, vel Tibullum faceret verentem de postero amoris sui sollicitatore. Cui quidem sententiae ipsa res obloquitur. Discrimen illorum temporum luculenter docet locus Virg. a Wund. laud., Aen. XI, 591. cl. cum vs. 848.

Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante;
Sed videar coelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hunc, precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis!

87. Cum Vulpio aliisque Wund. *puella* sensu collectivo accipit, cl. Sil. II, 84. quoniam una ministra non dici possit *circa dominam esse.* At rem non ita esse, sed praep. *circa* tam de singulis, quam de pluribus usurpari, docent Drack. ad Liv. t. II, p. 835. Duck. ad Flor. I, 18. Recte igitur Huschk. monuit, de una ancilla hic agi. Vossius *puella* de Delia intelligendo structuram turbat.

89. Broukh. Cantabr. Lips. edunt: *ne*, ut Angl. E. Florent. habent. Berol. 4. *quicquam.* Burm. ad Ov. Trist. III, 5, 23. ex ingenio, an ex libb., non constat, *nec quis me nuntiet*, quo ducere videtur Vind. *nec quis mihi.*

93. *Hunc, precor, hunc* e Perreii excerpt. Voss. 3. uno Broukh., volentibus Statio et Gebhardo cum Broukh. revocavi. Cuius lect. vestigia in varr. *Nunc, Tunc* apparent. Pronomina vel inde derivata adverbia repetere solent poëtae in sententiis emphatice declarandis, cf. Aen. IV, 621. Ovid. in Ibin. 69. Tib. I, 2, 97. Broukh. *utinam* pro *illum.* quamquam Voss. 3. testatur, librario deberi videtur, cui ob oculos erat Ov. III. Trist. 5, 55. *Hunc utinam nitidi solis praenuntius ortum Afferat admisso Lucifer albus equo.* cl. Am. II, 11, 55. sq. *Ille* pron. *hic* adiunctum aliquem praestantem, sive aliquid gravioris momenti designat, cf. I, 5, 9. Virg. Aen. VII, 255. Ov. Met. I, 757. Trist. V, 3, 1. Burm. ad Anth. t. II. p. 92. Gr. *οὗτος ἐγώ.* In vulg. *Hoc precor: hunc* — et in Voss. lect. *Hoc precor, hoc!* vis tota in prius membrum cadit, cui non convenit. Nostrum imit. Sabinus, I, 2. *Hanc utinam nobis optato Lucifer ortu Provocet, hanc roseo mox vehat axe diem.*

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

Marathi, formosi cuiusdam et elegantis pueri, amore irretitus fuit Albius. Ipsum autem difficilem atque fastidiosum expertus esse videtur. Qua quidem caussa adductus Priapum adit interrogando, quibus artibus quave solertia ad conciliandos sibi puerorum animos ipse utatur — 6. Nunc Priapum non tradentem modo praecepta, quibus obtemperandum sit — 56. sed querentem etiam de avaritia, quae puerorum animos obstrictos teneat, et carminum vim ad captandos amores commendantem facit — 72. Finito Priapi responso sese Tibullus magistrum iis, qui puerorum superbiam experiantur, offert, quamquam istas artes ad Marathi animum commovendum nihil sibi profuisse fatetur.

Ad Titium quendam, Albii amicum, hanc fuisse datam elegiam, e vs. 74 elici potest. De isto nomine etsi non exploratum habemus, nihil tamen obstare videtur, quo minus eundem hunc esse Titium, cuius mentionem Hor. I. Epist. III, 9. honorificam fecit, statuamus. Quae quidem opinio nisi vana fuerit, nos eo adducit, ut nostrum carmen ad seriorem Tibulli aetatem referendum neque ante a. 730 compositum esse existimemus. Ad hanc sententiam confirmandam argumenta ex ipsa carminis indole et dictione petita faciunt.

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit solertia? Certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est;
Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis.
Sic ego; tum Bacchi respondet rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce Deus:

1. sqq. Priapum, quibus artibus vel virtutibus puerorum animos ceperit, interrogaturus obtestatur poëta per id, quod proprium ipsi ac iucundum sit, sc. umbracula arborum, sub quibus poni solet.

2. *soles*, aestivi calores; Hor. Epod. II, 41. Virg. Georg I, 66.

4. Repetitio v. *non* in his loquendi formis vim addit sententiae, neque corrigendum in *nec*, quod unus Br., Heins. et Beroll. 1. 3. exhibent.

6. Propter *παρήχησιν* syll. *ca Ca* et tenuitatem epitheti H. Voss. de coniectura *saeva* recepit. Quod ad illam compositionem, a Servio ad Aen. II, 27. vituperatam attinet, neque alii poëtae, docentt. Douz. in Praecid. ad Catull. I. et Dexen. in obss. poët. p. 201., neque ipse Tib. illam aspernati sunt, cf. I, 1, 7. 14. 5. 8. 3, 28.

7. *r. proles* i. e. Priapus. Non simpliciter haec vox de uno filio usurpatur, sed tunc, quum tota proles sive posteritas non nisi in uno filio cernitur, aut quum uni prae aliis filio eximia quaedam auctoritas convenit. De v. *progenies* v. Brem. ad Nep. Cim. I, 4.
Muretus ad h. l. dicit: *In quibusd. vett.* Sic ego; sic Bacchi —; *ab iis autem abest pent., qui sequitur. Neque ego sane eum Tibulli esse, praestare ausim.* Hinc H. Voss. distichon ita concinnavit: *Sic ego. Sic Bacchi respondet rustica proles, Armatus*

„O fuge te tenerae puerorum credere turbae;
Nam caussam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis;
Hic placidam niveo pectore pellit aquam;
Huic quia fortis adest audacia, cepit; at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed te ne capiant, primo si forte negarit,
Taedia; paullatim sub iuga colla dabit.

curva falce minante Deus: Ad v. *sic* confirmandum attulit Ov. Fast. III, 171, 312. al. Et sane non est, quod de hoc usu dubitemus. At non minus perspecta et probata est verborum *tum* – *sic* positura. v. Aen. VI, 561. XI, 120. sqq. Accedit, quod, servata *tum*, in vs. seq. *sic* expectatur, ut, verbo *resp.* nimis remoto, filum orationis excipiatur. Ne cum Vossio in collocatione part. *sic* haereas, cf. Ov. Fast. I, 162. Her. XII, 72. Idem de aliis vocibus in Tib. non sine vi positis observavit Wund. *Mihi* propter *ego* in vs. priore difficilius caremus, quam Vossii: *minante*, quod ipsi parum placuisse videtur. In libris Beroll. 1. 2. 4. Angl. C aliis *sit* pro *sic*, qua aberratione nihil facilius.

10. *caussam habent*. i. q. iis propriae sunt virtutes, propter quas iure ac merito ab aliis amari existimentur; iis inest caussa, cur amentur. Illustr. Ov. Her. XV, 80. *Et semper causa est, cur ego semper amem.* Haud igitur necesse, ut *habere* cum Heynio aliisque *dare*, *praebere* explicemus. De qua re disputarunt Schaef. ad Greg. Cor. p. 4. 985. et contra illum Herm. ibid. p. 863.

11. sq. Ad haec Amoris invitamenta, quae sunt in peritia equitandi et natandi, cf. Hor. III, od. 7, 25—28.

12. H. Vossius ex ingenio: *facilem*, ne offendat repet. *placet*-*placidam*. Quae corrigendi caussa non sufficit. *Placidus* de aqua tranquilla, quam transnatant, saepius occurrit, v. Ov. Met. XIII, 899. — *placidisque natant Nereides undis*. Frenzel. audacia Voss. castigata Lucret. II, 560. laud. et verborum lusum in *placet*-*placid.* a Tibullo de industria admissum esse statuit. Berol. 4. a marg. *Hic placet a niveo.*

13. *Huic* pro vulg. *Hic* e Guelff. 1. 4. Comel. cum edtt. Venn. 1487. 1500. Voss. Wund. recepi, vel probatam Heynio. Novam hic T. inversionem incipit, quod seq. *at illi* demonstrat. *Hic* et *huic* saepius permutatum. v. Plin. Paneg. 81.

15. *ne te* plurimi libb., etiam Beroll. (falso enim nuntiant

Longa dies homini docuit parere leones;
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas;
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time; Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta longa ferunt.

H. Voss. et Wund., in Askew. *te ne-negarit* legi) Vulg. firmant tres Voss. Hamb. *Negarit* ab Heinsio inventum dant Voss. 1. 2. Guarn. Sententiarum nexus ita constituatur: Cave, ne invitamentis illis obsequutus in puerorum amorem incidas. Si tamen hoc factum fuerit, tum te monitum esse velim haec: *Ne taedia te capiant* cet. *negare* absol. i. q. difficilem in amore esse, cf. II, 6, 27.

17. sq. Sensus huius proverbialis dicti est hic: Temporis diuturnitate vel ea efficiuntur et rata fiunt, quae nulla vi superari et molliri posse videbantur. Perstes igitur, vult monere, in puero expugnando. Comp. Simonid. ep. 104. *Οὕτω χρόνος ὀξὺς ὀδόντας Καὶ πάντα ψήχει, καὶ τὰ βεβαιότατα.* cl. Ov. Art. I, 476. *Dura tamen molli saxa cavantur aqua.*

20. *certa vice* - certo circuitu volvuntur sidera, corpora coelestia.

22. *longa* ducibus libb. Angl. E., duobus Voss. et Bern. a m. s. cum Broukh. Voss. Wund. reposui, quippe quod cum toti sententiae tum v. *ferunt* melius convenit vulg. *summa.* cf. Ov. Met. VII, 67. *Per freta longa trahar*, cl. VIII, 142. *longa* i. q. longinqua, ut Val. Fl. VII, 564. De periuriis amantium impunitis Tib. et Ovid. saepe loquuntur. v. Art. I, 631. *Nec timide promitte — Jupiter ex alto periuria ridet amantum.*

23. *Grat. m. Jovi* sc. habenda est; e form. solenni: *gratia Diis* v. Briss. de f m. I. p. 90. *ipse* haud sine emphasi additum, tamquam voluisset dicere: Neque Dii, ne Jupiter quidem summus et iustissimus periuriis amantium pondus inesse voluit. Heinsii emend. *ille* Broukh. et, add. Voss. 2. H. Voss. dederunt, et vindicare voluit Gierig. ad Ov. Met. II, 848, censens, hoc bene inservire magnitudini declarandae. Bene! at alterum ſtagitat contextus, inprimis vs. 25.

24. *ineptus amor* i. q. inepte amans, siquidem iste praeceps

Gratia magna Jovi; vetuit pater ipse valere,
Jurasset cupide quidquid ineptus amor.
Perque suas impune sinet Dictynna sagittas
Affirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis; transiit aetas
Quam cito! non segnis stat remeatve dies.

et stultus jurando aliquid promittit, quod servare neque possit neque velit. Nagel. in actis soc. Traj. v. IV. p. 256. parum apte interpret. *ineptus* ineptos, stultos homines efficiens. Heynium coniecturae suae: *inultus* quamquam Santenio probatam poenituit.

25. sq. Vel maxime severae ac sanctae Deae, si quis amantium per ipsas iurarit, non punient periuria. Notissimus est iurandi mos, quo non ipsos Deos, sed res, quas sibi proprias et carissimas habent, obtestari solent; inde Dianae sagittae, et Minervae crines, flavo colore laudatissimi, memorantur. Succurrit Hom. ἠΰκομος, εὐπλόκαμος; neque Santenii *clipeos*, neque Mitsch. *cristas* indigebimus. Vulg. bene def. Heinrich. ad Hes. Scut. p. 170.
sinet e Colb. Voss. 1. 5. Mon. cum Broukh., Vulp. 2., Vossio, Bauer., Wund. praeferend. censui vulg. *sinit*, quam cum ceteris etiam Berol. 1. tuetur. Ad marg. ed. Br. laud. Santenius: „*licet* Ach. Stat. et Grangaeus ad Juv. XIII, 80. qui et *affirmet* legit."

27. *transiit* in tribus libb. inventum ad marg. Ald. edit. notavit N. Heins., nunc firmatur Voss. 1. 2. 4. 5. et Bern. Ceteri libb. et edtt. ante Broukh. *transiet*, quod in Vulp. 2. et Lips. repetitum miror. Forma ista Tibulli aevo parum digna, neque ex Plauto hic intrudi debet. Ceterum *transiit* vera praeteriti notione, non ad modum aoristi, acceptum velim. Pal. 1. *transit et aetas.*

28. Heins. emend. *remeatve* conf. Voss. 4. et recte reposuit Broukh. pro: *que*, quod omnium libb. est. Differunt enim *stare* i. e. tardat, moratur, et *remeare*. Sexcenties partt. *que* et *ve* inscitia librariorum commutatae sunt, cf. III, 2, 1. Hor. III, od. 2, 16. ubi Vanderb. et Fea *timidoque*, nescio quam apte, revocarunt. cf. Tzschuck. ad Mel. v. II. p. I. p. 21. In Colot. libro: *it remeatque*, unde Scalig. *Quam cito non segnis it remeatque d.* Mire friget. *It* ex interpret. v. *non stat* profectum videtur.

Quam cito purpureos deperdit terra colores!
 Quam cito formosas populus alta comas!
Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
 Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi ego iam iuvenem, premeret quum serior aetas,
 Moerentem stultos praeteriisse dies.

29 sq. Ad imaginem iuventutis cito transeuntis a natura petitam cf. Hor. II, od. 11, 5 sqq. *alta* longe plur. libri, quibus accedunt Beroll. 1. 2. Zwicc. 1. 2. plerique ap. H. Voss., sic edd. pr. et vett. Primus Broukh. *alba.* Illud autem cum Vulp. 2., Cantabr., Lips. revocavi propter *formosas*, ne duo essent epitheta, quae ad arboris pulchritudinem spectarent. Mecum faciunt praeter Frenzel., qui bene observat, populum Italicam aliis celsiorem prius deponere folia quam albam sive candidam, Fea ad Hor. Epod. II, 10. et ipse Broukh., qui in notis scriptis dicit: Alta *mihi magis arridet* alba, *cf. Taubm. ad Virg. Cul.* 141. *Acro ad Hor. II*, 3, 9.

32. In *prior* omnes libri et mss. et editi consentiunt. Heins. maluit: *Victor ab Eleo carc. m. e.* Broukh. dedit: *prius*, suffrag. Handio in obss. ad Catull. p. 72. et Wund. idem in Voss. 1. 3. comparet. Heyn. *prior* vi adverbii accipi vult, quod, etiamsi alias, ubi de duobus agitur, locum habet, v. c. Ov. Her. V, 76. Catull. XXI, 8., hic tamen vix dici potest. *Prior* sensu absol. pro: praestantior, superior, cum Vossio defendere ausim, cl. Hor. carm. Saec. 51. *bellante prior;* Phaedr. I, 13, 8. *Si vocem haberes, nulla prior ales foret.* Si cui haec ratio displicuerit, *prior* ad corporis formam et celeritatem referat; eae enim dotes erant, quae in equis ad currendum electis spectabantur. *Est* cum Angl. B. Voss. 2. Mon. delevit H. Voss., volentibus Heynio et Wund. Equidem more Tibull. cum Huschk. p. 16 retinui. Hunc quidem vs. suum fecit Ov. Her. XVIII, 166. *Ut celer Eleo carcere missus equus.*

33. Berol. 3. *senior;* a marg. *segnior* aut *serior.* Sensus: Ipse jam cognovi iuvenes, qui, annis provecti, tempus sibi elapsum esse, dum ipsi amoribus non inserviissent, querebantur. Poëticam loquendi rationem, qua tempori ea, quae hominibus conveniunt, tribuere solent, ignorantes corrumpebant *stultos* in *celeres*, ut in Pocchi Exc., alii in: *tardos;* sic Perreii Exc.

Crudeles divi! serpens novus exuit annos;
 Formae non ullam fata dedere moram.
Solis aeterna est Baccho Phoeboque iuventas;
 Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
 Cedas; obsequio plurima vincit amor;

35. H. Voss. e libb. Sfort. et Voss. vetust. cum Broukh. *exuat.* Dolentis autem, nec vero indignantis h. l. est oratio. V. *exuere* in eadem re usurpavit Stat. IV Theb. 95. *et squallentibus annis Exutus.*

36. *ullam* maior libb. pars, accedd. Berol. 4. Zwicc. 2. et 1. a p. m.; sic edtt. Aldd. Venn. 1500. 1520. Muret. Pass. Broukh. Vulp. Lips. Voss. Bauer. Wund. In ed. pr. *illam*, quod Heyn. revocavit. Sensui illud accommodatius. Queritur enim, serpentibus, deposita pelle vetere, novam induere formam concessum esse, sed hominibus non certam et firmam manere pulchritudinem. Ad rem Broukh. in anecd. laud. Hom. Il. XXII, 93. Barth. ad Stat. t. II. p. 926.

37. *Baccho Phoeboque* sic Angll. A. E. Guarn. Zwicc. 1. 2. Goth. cum aliis ap. Br. Ed. pr., Ven. 1475. Reg. 1481. cum H. Vossio dedi, pro vulg. *Phoebo B.*, non quo verius esset, patrem prius filio memorari, sed quia Tibullo variationem placuisse puto. v. III, 4, 44.

38. Hic vs. amplificandae et illustrandae prioris sent. inservit et ita solvendus: propter intonsos crines, quibus uterque conspicuus est, cf. Mitsch. ad Hor. t. II, p. 599., sive ita: habent enim iuventutis insigne certum, comam promissam, v. Heyn. ad Aen. I, 590. Nihil amplius. cf. Ov. Fast. II, 757. *lacrimae decuere pudicam.* Lenz. in Annal. Heidelb. II. (*Nam decet) intonsus crinis utrique deo.* ex Apoll. Rh. II, 708. Heins. ad Ov. Am. I, 1, 11. *Et decet* -- Broukhusii *tam* H. Voss. in *Quam* mutavit, praeeunte Schrad. et approb. Frenzel. Ne temere vulg. sollicites, alii versus eiusdem fere generis monent, v. II, 1, 58. III, 1, 14. III, 4, 36. Haud alienum a tenuitate poëseos eleg. esse videtur, quod pentametri nihil nisi illustrationem sive amplificationem sententiae prius enuntiatae continentes subiiciuntur; quare cavendum, ne perperam eos sequaris, quos talia tam parum delectent, ut spuria iudicent et coniecturis corrigenda opinentur.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti;
Quamvis praetexens picea ferrugine coelum
Venturam admittat nimbifer arcus aquam.
Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem;
Nec te poeniteat duros subiisse labores,
Aut opere insuetas atteruisse manus;

43. *picea* ab Heins. in 4 libb. repert. firmant Corv. Bern. Vind. Berol. 3. Zwicc. 1. 2. Ceteri *picta* quod Br. perperam defendit. Berol. 2. *nigra* glossa ad *picea* pertinens. cf. Catull. Epith. 227. *obscura ferrugine.* Nostrum imitat. Zanchius III, p. 75. *Cernere squalentem picea ferrugine Solem.* Junge: Quamvis nimb. arcus coel. praet. p. ferr. adm. cet. i. e. obducens, cooperiens coelum atris nubibus. *Nimbif.* coni. Heins. firm. Guelf. 2. a marg. prob. Heynio cum Voss. et Wund. reposui. Syllaba enim in fine prioris partis pentametri anceps esse nequit, nisi forte ubi sensus terminetur, cf. Voss. ad I, 6, 66. *admittat* firmant Angl. E. Beroll., 9 ap. H. Voss. Zw. 1. i. e. incitet, impellat, metaph. ab equis petita, cl. Ov. I, Am. 8, 50. *ut celer admissis labitur amnis aquis.* Variantes autem: *amiciat*, *annuntiet*, *emittat* inducunt me, ut suspicer, poëtam scripsisse: *venturam immittat;* hoc enim verbum non raro sensu concitandi, impellendi, occurrit. v. Aen. XII, 333. *Bella movens immittit equos.* cl. Prop. III, 9, 58. *Dexteraque immissis da mihi signa rotis.*

48. *opere* pars codd. maxima Pal. 1. Berol. 1. Zwicc. 1. 2. Goth. Sic Broukh. Vulp. Par. 1723. Voss. Wund. Cum ceteris Heyn. *operi.* Insolens autem est constructio dativi cum *insuetus*, neque minus obsoleta terminatio ablat. in *i.* Junge igitur: *opere atter.* cl. Virg. Georg. IV, 114. Val. Max. IV, 5, 5. *rustico opere attritae manus.* Voc. *insuetas* absol. accipi posse, alia adiectiva e sententiarum nexu certam accipientia significationem docent, v. c. *nescius* I, 7, 38. *plenus* I, 5, 68. *incultus* I, 7, 56. cf. Wund. ad pr. locum. De forma *atteruisse* v. Seyff. Gr. t. III. p. 180. Ceterum tirones animadvertant variatam orationem, *neu* 41. *vel si* 45. *nec te* 47.

53 sq. *tum* cum Heynio cur praetulerim, v. ad I, 1, 21. Firmant Beroll. 1. 2. 3. cum plerisque fere omnibus. Wund. *tunc* e libb. Zwicc. Pro: *cara* Heins. ad marg. edit. Dous. emend. *rara.* Ingeniose satis, nisi ipsa infringeretur sententia.

Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma levi tentabis ludere dextra;
 Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit; rapias tum cara licebit
 Oscula; pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo; mox afferet ipse roganti;
 Post etiam collo se implicuisse velit.

Santen in bibl. crit. vol. I. p. 71. tentavit: *sed male rapta dabit.* A marg. not. Horat. II, 12, 25—28. quem locum nostro miro accommodatum apposui: *Dum flagrantia detorquet ad oscula Cervicem, aut facili saevitia negat*, (*Tib.* pugnabit), *Quae poscente magis gaudeat eripi* (*Tib.* apta dabit), *Interdum rapere occupat* (*Tib.* mox afferet ipse rog.). *Male* signif. *vix et cum aliqua difficultate erepta*, cll. Ov. I. Art. 667 sqq. Ad marg. not. Heins. ad Ov. Fast. II, 170. Her. XIII, 120. Huic tamen correctioni obstat, quod *male* in hac dictione ad subiectum, igitur ad eum, qui dat oscula, referri debet, ita ut *male rapta* idem sit quod *inscite*, sive *mala mente rapta.* Ad marg. ed. Br. proposuit Sant. *tibi rapta.* Nihil in vulg. mutandum; *apta* bene opponitur v. *pugnabit*, e. commode iuncta tamquam ab eo, qui pugnando vincitur et cedit. Oppos. sunt *luctantia oscula* Ov. Met. IV, 358.

55. Non mihi tam mira videtur compositio *rapta dabit* (i. e. primo patietur, vi quadam sibi oscula eripi, deinde illa sponte adferet), quam Wund. visa fuit, qui malebat: *dabis*, ut Guarn. exhibet. cl. Ov. Her. XV, 44. Am. II, 4, 26. ubi *rapta dare* pro rapere occurrit. At Noster oppositioni: *apta dabit* tribuisse aliquid videtur. *afferet* Pall. sex, optimi Broukh., Angll., Beroll., Guelf. 2. Idem ed. pr. Reg., Paris. 1723. Scal. Broukh. Vulg. cum ceteris: *Offeret*, quod recentt. servarunt. *Offerre*, monente Donat. ad Ter. Hecyr. IV, 5, 14, est ultro, sine iusta caussa ferre. At si quis me rogat aliquid, vix *offerre* dici possum. Recte igitur cum Santenio *afferet* tuemur.

56. *velit* e pluribus Statii, Corvin., Guarn. Angl. A., aliquot ap. H. Voss. Hamb., Goth., vulg. *volet* cum H. Vossio praeferendum censui tamquam exquisitius positum nec a more Tib. alienum.

Heu! male nunc artes miseras haec saecula tractant;
Jam tener assuevit munera velle puer.
At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis!
Pieridas, pueri, doctos et amate poëtas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

57 sq. Officiis, quibus praestitis in puerorum animos insinuari possit, expositis dum id agit Priapus, ut carmina ad molliendos animos utenda recommendet, corruptos seculi mores recordatur, quibus res eo rediit, ut homines munerum appetentiores sint quam versuum. *Artes* int. avaritiam, largitionem, aliaque, quibus contaminatum fuit seculum, vitia; hinc *miseras*, indignas, abominandas, ut *carmen miserum* Virg. Ecl. III, 27. *miseram mortem* Aen. XI, 881. *male tractare* non est: prave, infeliciter exercere, abuti, quod vix latinum puto, sed contumeliose, pernicie sua, malo suo, cf. Virg. Georg. III, 249. *Heu, male tum Libyae solis erratur in agris.* cf. Ov. Her. VII, 6. Expedies igitur verba sic: Damno et dedecori est, quod nostrates tractant turpes artes. cf. ad III, 3, 20. Ceterum non est dissimulandum, *nunc* seq. *haec secula* otiosum esse. Nulla tamen corruptelae vestigia in libris comparent. Goerenz: *Heu male!* citra usum et necessitatem.

58. Vel tener puer avaritia captus est.

59. sq. Invehitur in eum, qui primus venalem reddiderit amorem, atque muneribus acceptis corruperit fidem. Ad rem cf. Ovid. Am. I, 10.

62. Aurum et argentum ne praeferatis carminibus!

63 sq. Ad vim et efficaciam carminum extollendam dicit, fabulosas quoque res ab hominibus credi propter poëtarum de iis narrationes. Sententia ad illam loquendi rationem composita, qua poëtae sese id efficere et proferre fingunt, quod carminibus posteris tradunt. Conferri debet Ov. Am. III, 12, 21 sqq. Modorum confusionem in his facile observes. Dicere debuit aut: *ni sint - niteat;* aut: *ni essent - nituisset.* Similem prorsus rationem habemus I, 8, 22. *faceret - sonent.*

65. *referunt* cum II. Vossio quamquam invitis libris recepi, prob. Wund. E seq. fut. *vivet* corruptum videtur. Saepius inscii

Quem referunt Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idaeae currus ille sequatur Opis;
Et tercentenas erroribus expleat urbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa; querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet."

correctores in eo peccarunt, ut tempora commiscerent et alterum alteri accommodarent, cf. III, 5, 52.

66. *vehet* unice ultimo versus membro accommodatum. Ad duo priora *tellus robora*, et *coelum stellas* cognatum aliquod verbum, v. c. *habebit*, *feret* subintelligas. Est ea constructionis forma, quam Grammatici *zeugma* vocant. Proprium huic est id, quod pluribus membris sive subiectis unum additur verbum, ex quo aliud idque cognatum ceteris membris ad sensum terminandum petatur necesse est. Exempla dederunt Wyttenb. in bibl. crit. v. III. p. III. p. 110 sq. Dorville ad Char. p. 395 sqq. Burm. ad Lot. p. 9. Eadem struendi ratio in substantivis quoque cernitur, v. c. Nep. Cim. II, 1.

67—70. Deprecatur, ut pueri, qui Musis contemtis mercedem petant, Galli sive sacerdotes Cybeles fiant.

69. Nusquam certo Lare vitam degat. Hanc quidem sententiam ita declarare poterat: *per trecentas urbes* (vagando) *errores expleat*. Inversa autem oratione dicit *urbes explere erroribus*. Berol. 2. unus Stat. Guelf. 1. 4. *impleat*, per se non contemnendum; Lucret. II, 323 sq. *Praeterea magnae legiones cum loca cursu Camporum complent*. Ov. Fast. II, 223. *discursibus implere vallem*, cl. Met. VIII, 166. Mitsch. conatur: *implicet*, cl. Lucan. VIII, 4. Sil. XV, 618. al., ad quam emend. ducere videtur *explicet* in Colot., uno Heins. Ital. et Hamb. Nihil autem tentandum. Vulg. amplo errorum spatio designando optime convenit.

70. Sensus: Phrygio tibiae modo in furorem actus amputet sibi virilia Gallorum, Cybeles comitum, more.

71. H. Vossius, Heynii vestigia sequutus dedit: *Bland. vult ipsa loc. Venus; illa querelis* — Vereor autem, ne verb. *esse* cum dispendio sententiae eiiciatur. Pron. *ipsa* ad finem collocatum non minus gravitatem conciliat quam ab initio positum. v. I, 10, 51. Virg. Georg. I, 121. Neque *illa* sic positum sua po-

Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore;
Sed Titium coniux haec meminisse vetat.
Pareat ille suae! Vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est; me, qui spernentur, amantes
Consultent; cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, quum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba senem.
Heu heu, quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Quum mea ridebunt vana magisteria.

testate caret, I, 2, 59. Si cui displicuerit asyndeton pentametri, is cum Heynio distinguat: *Venus; illa querelis* —

73. sq. Responsum a Priapo acceptum Titio, a quo fortasse missus erat, traditurus cognoscit, eum interea in puellae amorem incidisse, quae omnem alium ex animo Titii amorem sustulerit. *haec* sc. puerorum amorem et praecepta, quibus ad illum conciliandum utendum sit.

77. Voluit hoc Albius: Unusquisque ob artificium aliquod vel facultatem gloriatur; ego quoque opera mea non deero, si qui illa uti voluerint.

80. *deducat* de clientibus propr. dicitur, qui patronos honoris caussa per urbem prosequuntur domum. Itaque nihil mutandum. Libri var. in *Seducat*, *Diducat*, *Diludat*. Bene quoque se habet coniunctivus, quem pro futuro ponere solent in formulis: *tempus erit quum* vel *quo* et simil. inprimis tunc, quum optandi et precandi notio accedit, ut Ov. Met. III, 520. Plura attulit Wund.

81. Hanc verborum posituram vulgatae: *quam lento M.* cum H. Vossio et Wund. e libb. et edtt. vett. revocavi. Exhibent praeter alios Angll., Beroll., Guarn. pleraque ap. H. Voss., Zwicc. 1. 2. Edd. pr. Aldd. Venn. Alteram intulit Stat., quem Scalig. Broukh. Heyne cum aliis recentt. sequuti sunt. Voss. laud. Terent. Heaut. V, 4, 20. *Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi.*

81 sqq. Quas modo laudaverit artes, eas nihil sibi profuisse fatetur, et eadem ipsa caussa mavult, ut amoris ardor in Marathum frigescat et cesset, ne homines se, utpote qui magistri partes susceperit, ludibrio habeant.

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

Dolorem ex perfidia Deliae captum fortiter se laturum esse gestierat Tibullus. Nunc autem illi sustinendo imparem sese ostendit, et ad quamque pro sua superbia poenam subeundam se paratissimum fatetur — 8. Miseram vero sortem, quod Delia sibi de ipsius sanitate bene merito, ditiore quodam amatore admisso, omnem vitae feliciter cum ipsa exigendae spem ademerit conquestus — 36. omnibus amorem ad aliam puellam transferendi periculis se nihil profecisse ingenue declarat, neque vero lenae, utpote cuius sedulitate abducta sit Delia, gravissimas quasque poenas non imprecatur — 58. Denique ipsam Deliam, ut, beatiore coniuge posthabito, secum in gratiam redeat, enixe hortatur — 66. Hanc scilicet spem irritam ac vanam fore sentiens eandem perfidiae, quam ipse experiatur, sortem isti amatori praedicit.

Quod quidem ad tempus, cui tribuendum sit hoc carmen, attinet, Messalae mentio hic facta nos eo ducit, ut non ante a. 725 illud compositum esse credamus. Quae quidem opinio aliis ex elegia VI. petitis argumentis adstrui potest. Illic enim suspiciones de levitate puellae sibi iniectas exponit; hic autem easdem non vanas fuisse conqueritur.

Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar;
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

1. *discidium* a Br. revocatum testantur Angll. B. C., duo Pall., complur. ap. H. Voss. Ald. 1. Stat. ceteri: *dissidium.* Illud res postulat. Non agitur de animorum discordia et dissensione, sed de invito discessu, qui inter amicos et propinquos fit. Nostrum conf. Ov. Met. XIV, 79. *Non bene discidium Phrygii latura mariti.* Cic. Philipp. II, 18. *Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exilium esse iturum.* Alterum autem reddendum est Propert. I, 11, 28. *Multis ista dabant litora dissidium;* id quod recte vidit Lachm. De differentia utriusque nominis bene diss. Gronov. ad Liv. XXV, 18. Gurlitt in Lectionum in N. T. Spec. VI. Saepius utrumque esse confusum, v. Cic. Lael. XXI, 7. Terent. Andr. IV, 2, 14 ibi Bentl. et intpp. ad Ov. Met. l. l.

2. *gloria fortis* e. gloriatio, qua me fortem esse iactabam, *mihi longe ab.* prorsus aliena est a me, me deserit. Eandem fere notionem v. *deesse* docuit Brem. ad Nep. Tim. IV, 3. Differunt igitur: *absum ab aliquo*, et *res mihi abest.*

3 sq. Albius amoris aestu ita agitatum se et fluctuantem, ut nusquam tranquilla mente consistat, repraesentaturus a turbine, quo pueri ludere solent, petit comparationem. Praeivit Virg. Aen. VII, 376 sqq. De ipso ludo Callim. Epigr. I, 9. *θοὰς βέμβικας ἔχοντες, Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ; turben*, pro *turbo* lectione libb., cum Statio, Scal., Dous., Cantabr., Vulp. Pass. aliisque, etiam H. Voss. et Wund. recepi, fretus auctoritate C. Julii Rom. ap. Charis. Inst. Gr. I. prob. Bentl. ad Hor. I, od. 25, 11. et Seyff. Gr. t. V. p. 64. H. Voss. duce Voss. 4. legit: *Namque vagor, per pl.* - - quod quidem

Ure ferum et torque, libeat ne dicere quidquam
Magnificum post haec; horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
Per Venerem quaeso compositumque caput.
Ille ego, quum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine quum magico praecinuisset anus;

fines audaciae poët. ne transeat vereor. Alia enim prorsus ratio eorum est locorum, ubi, particula *ut* omissa, comparatio quaedam instituitur, v. Hor. I. Ep. 2, 41. et de Art. p. 475 sq. Monendum insuper, v. *agor* multo significantius hic positum esse, quam *vagor*, quippe quod sponte etiam fieri potest, illud autem non nisi vi aliqua impellente. *ab* addere amant poëtae non tunc tantum, quum aliquid auxilio vel ope aliqua fieri indicatur, cf. I, 9, 66. sed ad materiem quandam, ex qua quid constet, vel caussam, unde quid exoriatur, designandam, v. *fulgor ab auro* Lucret. II, 50. Idem obs. de gr. ἀπό, v. Theocr. V, 95. VI, 15.

5 sq. H. Voss. post *torque* sign. excl. ponit, et vv. *libeat* — dependere a *doma* opinatur. Equidem vero cum Wund. ita distinxi, ut *lib. ne* – – cum *ure* et *torque* iungantur. In verb. *horr. v. d.* plena et absoluta est sententia, non ita in *Ure – torque*. *post haec* ex oppt. libris ap. Br., Angll. Berol. 2. Goth. Hamb. Guarn. Corv. cum ed. pr. aliisque vett. reposui, suffrag. Lachm. ad Prop. p. 65. cf. Tib. IV, 5, 16. Vulg. *posthac*.

10. sensus: Beneficii mei illustris iam est fama. *erip.* sc. morbo.

11. Pro *ter* Scal. non debebat reponere *te*, quod praeter alios Beroll. habent. Illud bene convenit ritui, numerum ternarium in omni lustratione observandi. Haec enim fiebat ter circumlato circum aliquem sulphure. Cf. de usu sulphuris in lustrationibus solenni Hom. Od. XXII, 481. Ad nostrum ref. Prop. IV, 8, 86. *Terque meum tetigit sulphuris igne caput.* Idem illud *ter* Ovidio Art. II, 329 sq. ducibus libb. reddendum erit: *Ter veniat* – – *Ter ferat* et – –.

12. *praecinuiss.* firmant Beroll. 1. 3. et 2. 4. a marg. Defenditur hoc ex ritu, quo magae in lustrationibus carmen decantare solebant, gr. ἐπῳδοί. Alii: *procubuisset*, *pertimuisset*, *praet.*

Ipse procuravi ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola;
Ipse ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Triviae nocte silente dedi.
Omnia persolvi; fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret.

13. Jungas: *Proc. somnia saeva, ne p.* – – Verb. *proc.* non part. *ut* vel *ne*, sed quartum obiecti casum adsciscit. v. Phaedr. III, 3, 16. *Si procurare vis ostentum.* Synclit: „Hic Tib. primam *proc.* syllabam corripuit; at Hor. I. Ep. 5, 21. produxit.“ Item corripuit Ov. Fast. III, 343.

14. Voss. cum Güyeto: *devenerata*, quae quidem forma pass. aevo Tib. vix convenit. Nostr. *deveneranda* non ad *possent*, sed ad *somnia* appositum est.

17 sq. Quem ministeriis meis amorem ego merui, eum Delia ad alium transtulit, ita ut fructus meorum laborum alius percipiat. Ad sens. comp. Ov. Her. VI, 75. *Vota ego persolvam? votis Medea fruetur?* cl. V, 59.

19 sq. *At mihi* graviter oppos. *alter* v. 17. indicat sententiam a priore plane diversam. Ad usum Tibulli opposita incipiendi a part. *at* cum nomine vel pronomine iuncta cf. v. 59. I, 6, 27. 9, 37. 10, 41. 57. Santenio offenso part. *sed* placebat: *et.* Haud negandum, adiect. *demens* non commodo loco interpositum esse. Jungamus autem *fingeb. — sed ren.*, et ferenda erit illa collocatio. H. Vossius dedit: *Ah mihi* propter seq. *sed.* Quicunque vero veram utriusque part. vim et notionem perspectam habuerit, vulg. servandam esse censebit.

22. *Area mess. teret* a vulg. *in area fruges terentur* recedit poeta. cf. Virg. Georg. I, 192. *sole cal.* area enim in ipso agro erat locus editior, in quo frumentum ex agro congestum statim terebatur, non in horreis.

Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
 Pressaque veloci candida musta pede;
Consuescet numerare pecus; consuescet amantis
 Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
 Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae;
 Et iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
 Delia selectis detrahat arboribus.

23. *plenas* Berol. 2. Nostrum a marg. Illud neque a positu, neque sensu displicet. cf. *tumidae uvae* Ov. Met. XV, 77.

24. *candida* tuentur cum aliis Beroll. *pinguia* Berol. 1. a marg., sic tres Pall., aliquot ap. Stat. et H. Voss. Intulit in text. Broukh. Perperam. Ortum videtur ex I, 1, 10.

27. *deo agr.* sensu collectiv. accipiendum, cf. II, 1, 9. 5, 95. De Baccho, Cerere aliisque ruris numinibus cogitandum esse, vv. *uvam*, *spicas*, *dapem* luculenter docent.

28. *segete et sp.* multi, etiam Beroll. 1. 2. 4. Guarn. Zw. 1. 2. *et* iis debetur, qui nesciebant, ultimam vocalem brevem, quando sequatur vox incipiens ab *Sc*, *Sp*, *Sq* aliisque consonantibus dupll., produci. E multis afferam Virg. Aen. IV, 146. *Cretesque Dryopes* – – Huic autem regulae non omnes poetas se adstrinxisse, v. Burm. ad Prop. III, 11, 46. Heyn. in var. ad Aen. XI, 309. cl. Bentl. ad Hor. III, 19. p. 137.

30. Me iuvet amicae imperio omnia agi. Ob oculos fuit Noster Martiali, XIV, 193. *Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum, In tota iuvit quem nihil esse domo.*

32. *detrahat* aliquot ap. Stat., Angll. A. B. C., pleraque ap. H. Voss. Beroll. 1. 3. (2. *se lectis retrahat*), Guarn. Corv. Guelf. 1. 4. Sic ed. pr., Reg., Venett. Ald. 1. Muret. Voss. Wund. Vulg. *detrahet*. Illud ratio grammatica postulat.

Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.
Saepe ego tentavi curas depellere vino;
At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Saepe aliam tenui; sed iam cum gaudia adirem,
Admonuit dominae destituitque Venus.

33 sq. Distinctione post *virum* cum edtt. vett. facta bene hic locus expedietur. Nihil impedimenti habet hiatus in *virum hunc*, qualem in arsi quarti pedis optimi poëtae admittunt, quum sententia ope caesurae absoluta est, v. Virg. Aen. I, 16. *Posthabita coluisse Samo; hic illius arma* — Georg. III, 155. *Arcebis gravido pecori, armentaque* — Bentl. ad Hor. III, od. 14, 11. Heins. ad Claud. cons. Stil. III, 167. Qui nectunt verba: *virum hunc sed.*, pron. *hunc* vim detrahunt, quam ex opp. *Huic* accipit.

35. *Eurusque* omnes libri, etiam Voss. testantur. Sic edit. pr. Aldd. autem, Ven. aliaeque vet. *Caurus*, quod H. Voss. recepit, quia *Eurus* res ab urbe in Orientem portare nequiret. Num vero hoc poterit *Notus?* Mea quidem sententia non talia urgeri neque nimis accurate ad geographicam descriptionem constitui debent. *Eurus Notusque* proverbiali fere dictione pro vehementioribus ventis ponuntur a poëtis. Praeivit iam Hom. Il. II, 144. *Εὖρός τε Νότος τε*, cl. XVI, 765. Virg. Aen. I, 85. *Una Eurusque Notusque ruunt.* ibi excurs. Heyn. III. Plurimum huc facit Ov. Am. I, 4, 11 sq. — *Nec Euris Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.* Ad sensum loquutionis notavit Statius: Sic de iis rebus loquebantur, quas oblivione sempiterna involvi atque obrui volebant, vel quae frustra fiebant.

37 sqq. Bene cum superioribus haec cohaerent, neque signo lacunae notanda. Quantopere ipse de puella aegrotante meritus esset, quasque iucundas vitae cum Delia feliciter transigendae spes fovisset ingenue professus nunc dolet, omnia haec irrita esse, neque vero non explanat, quo amoris vinculo vel delusus teneatur.

38. Plusquampf. *verterat* anteced. *tentavi* ita expedias: Priusquam vinum hausi, id ipsum in lacrimas mutatum videbatur, ita ut nihil nisi lacrimas haurirem. Quomodo ad *Saepe al. t.* verbum *vert.* referri possit, ut Wund. voluit, difficile est intellectu.

Tunc me devotum descendens femina dixit,
Et, pudet, heu! narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis; facie niveisque lacertis
Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Haemonium Nereïs Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis.
Haec nocuere mihi. Quod adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.

40. *destituitque* ex Angll. B. C. D., optimo Witt. ap. Broukh., Corv., Reg. Berol. 1. 3., tribus ap. H. Vossium, cum hoc ipso revocavi pro vulg. *deseruitque*. Illud aptius notat spem de Veneris, quae perfidia Deliae laesa fuerat, ope et favore conceptam nunc autem delusam, quum Venus non suppeditaret, quae amator optaverat. Fraudis notio non ubique in h. verbo inest. v. Brem. ad Nep. Alc. V, 4. Saepius exquisitum hoc verb. in vulgare *deferere* corruptum est, v. c. Ov. III. Am. 7, 14. *Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta, Segnia propositum destituere suum*, ubi plures libb. *deseruere*. Et in Fast I, 364. Burm. bene vindicavit *destituisse*.

42. Cum codd. mss. edtt. ante Scalig. exhibent: *Et pudet et* errore proclivi, quum in libris *EI* scriptum esset, quod in *ET* facile corrumpi poterat. v. varr. ad Ov. Met. IX, 492. Wunderl. maluit legi: *Heu* (aut *Vae*) *pudet, et* – – ut ad utrumque, *dixit* et *narrat* pertineat. Aptius autem *Et* ab initio positum vim sententiae augere mihi videtur.

43. *Non facit hoc* sc. puella e vs. seq. Sensus: Non devovet et perdit me Delia carminibus magicis sed formae praestantia. Contrarium dicit Ovid. VI. Her., 83. *Non facie meritisve placet, sed carmine movit.* Venustatis dotibus, in sensus igitur cadentibus, captum se esse fatetur; ob eamque ipsam caussam *niveis* pro vulg. *teneris* e Beroll. 1. 3. Angll. B. C. D. aliisque ap. Broukh. et H. Voss. cum ipso revocavi. cf. Ov. Fast. II, 763. *Forma placet niveusque color, flavique capilli.* cl. Virg. Aen. VIII, 387.

45. Secunda in *Nereïs* syllaba hic producitur; a serioribus poëtis corripitur, v. Stat. I. Ach. 24. Sil. XIV, 572.

47. *Haec* sc. laudatae Deliae dotes *mihi nocuere* i. e. ceperunt et amore obstrinxerunt. v. I, 8, 25. Idem fere color repe-

Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
 Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
 Semper, et e tectis strix violenta canat;
Ipsa fame stimulante furens, herbasque sepulcris
 Quaerat et a saevis ossa relicta lupis;

ritur ap. Ov. Met. IX, 612. Verba seqq. *Quod – amator* cum versu min. ita iungas: Quod dives amator huic sc. Deliae adest, inde proficiscitur, hanc habet caussam, quod venit lena cet. Alii haec omnia ad *Haec noc. mihi* referebant. At quis tautologiam in *nocuere* et *venit in exit. meum* ferre possit? Sensus e nostra ratione: Lena lucri cupida diviti adduxit Deliam, eamque corrumpendo a me abalienavit. H. Voss. de coniectura dedit: *Vertit in* – – Parum probabiliter, si quidem vel ipse amator satis molestus erat Tibullo, adeo ut vix lena in perniciem vertisse demum cogitari possit. Ceterum nemo H. Vossio, *lenam* dici Deliae matrem opinanti suffragabitur. Alio prorsus animo erga illam affectum fuisse Nostrum docet VI, 58. 63.

49 sqq. De his imprecationibus, quibus lenam, Deliae corruptricem insectatur, vid. Prop. IV, 5. Ov. I. Am. 8. *pocula c. m. felle* i. q. potus e felle confectos.

51 sq. Quotquot amantium lena corruptis puellis laeserit, illorum simulacra ex inferis redeant semperque querelis illam urgeant. Verba ita procedunt: *animae circum hanc volitent semper s. f. q., et strix violenta e t. canat.* De praep. *circum* pronomini postposita cf. I, 5, 68. Variationem animadv. in pronominum et delectu et positione, *illa*, 49. *Hanc*, 51. *Ipsa* 53. *Canat* h. l. absolute positum.

53. Mureto *escasque* pro *herbasque*, nullo libro addicente, reponenti favet Doering. ad Catull. LIX, 2. censens, hic describi extremam mendicitatem, cui accommodatior sit dictio: de rogo escas deripere. Bene! si de paupertate ageretur. Alia autem docet *fame stim. furens.* Imprecatur aniculae summam voracitatem, qua incitata vilissimum quaerat cibum (*herbas*), eumque vel eo loco, quo ne pecori quidem herbas carpsisse impune fuerit (*sepulcris*). De sepulcrorum sanctitate inter omnes constat. Ov. Fast. IV, 750. Similes famis cruciatus descripsit Lucan. VI, 107 sqq.

Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes;
Post agat e triviis aspera turba canum.
Evenient; dat signa deus; sunt numina amanti,
Saevit et iniusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagae praecepta rapacis
Desere; nam donis vincitur omnis amor.

56. Sensus: canes triviales sive e triviis irruentes persequantur illam. *Post* i. q. a tergo, pone. Absolute hoc ponere amat Noster, v. I, 10, 24. II, 1, 16. 89. Idem de *ante* supra observatum est. *agere* h. l. sensu praegnante pro incitare, persequi; *e* firmant cum potiori libb. parte Angll., Beroll. 1. 2. 4. Zwicc. Guarn., omnes H. Vossii, demtis duobus, qui cum Berol. 5. *et* exhibent. Aliquot ap. Br. *hanc;* sic Aldd. Muret. Ven. Basil. Fateor, hoc mihi quidem ceteris praeplacere. *Hanc* designat illam vilem et abominandam, docente Burm. ad Ov. VI. Met. 539. ut gr. τοῖος, v. Hom. Il. II, 148. Eur. Hec. 1168. Scribendi compend. c̄ facile in *e* mutari poterat, ut alias in *ac* corruptum est, v. c. Catull. Epith. 367. ubi e codd. leg. *Simul hanc* pro: *Simul ac.* Id unum lect. *hanc* nostro loco recipiendae refragatur *triv.*, quod tunc nimis nude esset positum.

57. Similem orationis colorem habes in Ov. in Ibin 126. *Evenient; dedit ipse mihi modo signa futuri Phoebus.*

58. *iniust. leg. rel. V.* nam qui foedus amoris a Venere sancitum perfide solvunt, ipsam Venerem deserere eamque laedere dicuntur.

59 sq. Deliam, ad quam oratio convertitur, dehortatur, ne consiliis ac praeceptis lenae, quae et ipsa mercedem ab amatore accepturam se esse speret, obsequatur; nam quum nulla fere puella tam casta sit, quae pretio corrumpi non possit, semet ipsum, dicit, sollicitum esse, ne muneribus ad perfidiam facile perducatur. Hanc quidem interpretationem et contextus et usus v. *vincere* suadet, cf. III, 6, 4. *vincere* nimirum est expugnare sc. pecunia amorem et ideo efficere, ut alius amator cedere cogatur. Quum vero divitis amor neque fidus neque officiosus habeatur, Tib. amicae persuadere studet, ut se pauperem, quippe a quo quaeque officia expectari possint, potentiori praeferre malit. H. Voss. e paucis libb. *non* d., contra nativam sententiarum seriem et notionem v. *vincere.* cf. Lachm. ad Prop. p. 52.

Pauper erit praesto semper tibi; pauper adibit
Primus, et in tenero fixus erit latere;
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subiicietque manus, efficietque viam;
Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
Heu! canimus frustra, nec verbis victa fatiscit
Janua, sed plena est percutienda manu.

61. Hanc Mureto debitam lectionem cum Voss. et Wund. recepi. Vulg. *Pauper erit pr. tibi, praesto paup. adib.* suspecta et a dictione: *praesto adib.* et ab incommoda repetitione v. *praesto.*

64. *subiiciet* sc. subter brachia puellae.

65. Ad iuvenum compotationes referendum, quibus interesse etiam puellis, qualis Delia fuit, Romae et Athenis semper licuit, not. Wund. et laud. Theocrit. XIV. Testes huius licentiae et Horatium et alios habemus, cf. ipsum Tib. III, 6, 59. De copia in *occultos furtim* cf. I, 7, 13. *leniter tacitus;* I, 10, 34. *tacito clam.* II, 6, 45. *furtim - occulto.* IV, 6, 18. *tac. clam.* Statius e libris nuntiat: *P. ad excultos - amantes.* Hinc H. Voss. lectionem concinnavit: *Paup. et ad cultos - amicos.* In Angll. C. D., Corvin., Guelf. 2 pro var. lect., tribus Voss. *amictus*, cui quidem lectioni inhaerens Heynius proposuit: *Paup. et excussos f. deducit amictus*, i. e. pallam, quae male sedeat aut rugas duxerit, aut motu aliquo adducta fuerit, excutit et ad talos ac pedes demittit seu deducit. Receperunt Strombeck. et Bauer. Simile amantibus officium praecipit Ov. Art. I, 153 sq. Haud negari potest, hanc lectionem propter pentametrum valde arridere, dummodo major libb. auctoritas accederet. Futura in *deducet - detrahet* tuentur Beroll. cum maxima libb. parte; et iisdem temporibus generales fere sententias declarari, v. I, 8, 41 sqq. II, 1, 43 sqq. Vulg. *deducit - detrahit.*

68. *plena* sc. auri, cf. I, 9, 52. *χεὶρ πλήρης.* v. Mitsch. tent. p. 6 sq. Alias potest esse *tota*, ut Petron. 64, 12.

69 sqq. Neque precibus neque monitis animum Deliae moveri quum intellexisset Albius, potentiori illius amatori eandem perfidiae iniuriam, qua ipse offensus erat, minatur. *timeto* gravius quam *caveto*, quod cum Mureto H. Voss. recepit. Illud enim calamitatem certius imminentem fingit. cf. Ov. Art. III, 455. *Discite ab alterius vestris timuisse querelis.*

At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto;
Versatur celeri Fors levis orbe rotae.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, et crebro prospicit ac refugit;
Et simulat transire domum; mox deinde recurrit
Solus, et ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat; utere quaeso,
Dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

72. *et* crebro — Vulg. *ac*, quod propter seq. *ac* ferri nequit. Nostrum in libb. vett. esse nuntiat Stat., in tribus ap. Voss., Berol. 4 a m. s. Sic H. Vossius.

75 sq. Animadvertas hic verba ridentis simulque minantis! *furt. amor* i. q. puella furtivo, clandestino amori indulgens *nescio quid parat* fortasse novas artes tibi perniciosas molitur, cf. I, 6, 6. 55. Virg. Ecl. VIII, 107. Aliter dixisset: *paret*, quod cave cum illa dictione commisceas. *in liqu. — aqua* i. e. copia fruendi amore opportuna tibi data est.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Fides Deliae postquam in suspicionem adducta est, Tibullum poenitet docuisse artes, quibus amica nunc ad alios captandos abutatur — 14. Coniugem Deliae, ut sibi caveat neve falsis se caussis decipi patiatur, monet, haud dissimulatis viis et artibus, quibus non ipse modo eum iam deceperit, sed Delia quoque in futurum deceptura sit — 36. Pollicetur autem marito bona officia, si Deliae cura atque tutela sibi commissa fuerit — 42. Quicunque enim puellae fidem sollicitarent, iis gravissimas a Bellona poenas constitutas esse, quas ipsa amica, fidem fallens, datura sit — 56. Sed mala, quae Deliae, si peccasset, sacerdos minata erat, deprecatur matris gratia, quam, laudibus de illius favore et opera sibi praestita interpositis, ut castitati filiae prospiciat, enixe precatur — 68. Fidem et constantiam promittens summam Deliae, si fefellerit fidem, calamitatem minatur — 84. redit autem denuo ad spem fidei atque perpetui Deliae erga se amoris.

Quaerentibus, quando sit scriptum hoc carmen, facile ex iis, quae inter poëtam et Deliae amatorem intercedunt, respondeas, quinto prius esse compositum nostrum. Nam quod hic suspicatur de levitate puellae, id in illo iam effectum et extra dubium positum esse conqueritur. Hinc colligere licet, annum 724 vel certe sequentis initium huic elegiae esse tribuendum.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus;
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi, saeve puer, mecum est? an gloria magna,
Insidias homini composuisse deum?
Jam mihi tenduntur casses, jam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat; sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegat usque viro.

3. *saeve p.* Mureti emendationem Broukh. in textum admissam testantur Voss. 1. 4. Guarn. Ceteri omnes consentiunt in *saevitiae;* quod quomodo Goerenz. in tent. p. 8. defendere conatus fuerit, non intelligo. Bene dicunt: *Quid saevitiae, quid caussae.* Quis autem unquam dixerit: *quid saevitiae mecum* pro *in me?* Debuit certe exponi: *apud, coram me.* Post *magna* plurimi libb. scripti et editi *est* addunt. Retinendum censet Goerenz., ut maior vis verbis concilietur. Cum Broukh. ceterisque edtt. delevi, quum sententia nondum absoluta esset.

5. *tend. casses* continuat metaph. loquutionem in v. *inducar* inceptam, quae ducta est a feris, quae in casses pertrahuntur. Alio tamen sensu accipi debet *inducar,* i. e. ad amorem allicior, alio *tend. casses* i. e. pericula ex amicae perfidia imminent.

7. *multa negat* gravius quam *multum,* tamquam *multum et saepe,* cf. *multa rogatus* Ov. Her. I, 60. Part. *tam* non sequente *quam* vel *ut* vim fere superlativi addit, v. Tursell. p. 1025. In ed. Basil. 1592, non 1569, uti Voss. nuntiavit, legitur: *negat se credere d. est.* Verbum *est* h. l. cum edtt., excepta Voss., retinui, test. Beroll. 1. 2. 4. Angll., Zwicc. cum aliis. Bene tollitur, quum sententia seq. versus a priori dependet, aut aliquo modo cum proxima iuncta est, ut v. 3., quapropter iis accedo, qui in Horat. Sat. I, 9, 42. cum Bentl. et Fea legunt: *Contendere durum,* quamquam refragante Heindorf. ad ill. locum.

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes; heu! heu! nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret,
Cardine tunc tacito vertere posse fores;
Tunc succos herbasque dedi, quîs livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniux incaute puellae,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil.

9. H. Vossius: *posset quo*, cl. I, 7, 3. Diversa autem illius loci ratio. In nostro vis cadit in *quo*, quod post *docui* expectatur, eamque ob caussam post caesuram tertii pedis ponendum, cf. III, 1, 15. Ipsa disiunctione v. *quo - pacto* maior vis efficitur. cf. Ov. Met. XIII, 214 sq. *doceo, quo simus alendi, Armandive modo.*

11. *caussas* e. g. Cereris vel Isidis sacra, quibus operatae mulieres a virorum amplexibus abstinebant. v. I, 3, 26.

13. Synclit.: *in aliis codd. legitur* Tunc, *nam de praeterito loquitur, non de praesente.* Idem libris ap. H. Voss., Beroll. 2. 4. Zwicc. aliisque ex ed. pr. et plur. vett. revocavi cum Wund. Vulg. *tum.* v. ad I, 1, 21. *quîs* tuentur Beroll. 1. 2. 3. ed. pr. Muret. Wund. v. ad I, 2, 55.

15 sq. Admonet Deliae coniugem, ut sibi aditum ad illam intercludat, ne quid admittat puella. *nihil* longe plurimi codd., quibus accedunt Angll., Beroll.; ed. pr. et omnes ceterae ante Broukh., qui ex paucis dedit: *minus.* Illud vel Heynio prob. cum H. Voss. Wund. revocavi.

17. Verba ita expedias: *Et caveto, ne cel.* sc. Delia cet. Praecepta enim a vs. 16 continuantur per 17 — 20. Nisi ita copulare voluisset sententias, praeferrem cum H. Vossio: Ne ex uno Voss. cf. ad I, 2, 37. Ceterum part. *neu - neu - neu* sententias accurate distingui, exemplis illustravit Wund. ad h. l.

19 sq. Quartum *neu* cum *que - ne* mutavit Tib., ut Virg. Aen. III, 160. *Magna para, longumque fugae ne linque laborem.* cl. VI, 465. Scal. cod. rec. *ut* orbe n. Hinc H. Voss. transpositum idem dedit: *ut* mensae d. in o. n. Qua quidem lectione vulgaris redditur oratio. v. ad I, 2, 82.

Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto;
 Neve cubet laxo pectus aperta sinu;
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
 Ne trahat, et mensae ducat in orbe notas.
Exibit quam saepe, time, seu visere dicet
 Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.
At mihi si credas, illam sequar unus ad aras;
 Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.

21. Verba *quam saepe — seu* sibi respondent, ita ut *time* ad utrumque membrum pertineat. *Seu* h. l. notat: *vel si*, ut II, 4, 43. Prop. II, 26, 29. *Seu mare per longum mea cogitet ire puella.* cf. Lachm. ad. II, 1, 51. Saepius hic usus vv. dd. fefellit, v. c. in Catull. 82, 4., ubi ex ed. pr., Pass., Cantabr. aliisque revocandum: — *seu quid carius est oculis.* In Pers. I, 67. *Sive* servandum esse, iam alii viderunt.

23. *credas* sc. Deliam si mihi custodiendam committas.

24. Sensus: non verebor, ne forte caecus fiam sacris aspiciendis, quae interdicta sint maribus. *Non sit timuisse* pro *non timeam ego*, graeca elegantia dictum. cf. IV, 3, 3. Prop. I, 20, 13. *Ne tibi sit — adire.* Ov. Am. I, 28. — *sit mihi posse mori.* Pind. Pyth. I, 56. *εἴη, Ζεῦ, τὶν ἁνδάνειν.* Goerenz. *tibi* corrigit, hoc sensu: tunc non est, quod timeas, cum oculis modo dominae frui liceat. Quam alienum hoc sit a verbis Tibulli, quisque sentiet.

25. *gemmas - signumve* i. e. *gemmas* annulis insculptas vel *signum*, i. q. figura, imago, quae gemmis incidi solita erat. v. de re Jo. Kirchm. de Annulis. Ne sequamur Heynium hendiadyn statuentem et expl. *signum in gemma annulari*, ut Gierig. ad Ov. Met. IX, 565. satis obstat part. *ve*, quae non nisi disiungendo inservit. At ubi hendiadys occurrit, unice part. copulativa locum habere potest. H. Voss. *signum* pro *annulum signatorium* accipi vult. Quam quidem significationem in dubium vocavit Wund. Pron. *eius* nimis tenue et exile visum Heynio, quare malebat: *gemmam digiti.* Citra necessitatem. In carminibus levioris generis non minus quam in Horatii sermonibus, qui ad communem fere orationem accedunt, tolerari potest, cf. Prop. V, 8, 35. Ov. Met. VIII, 16. Trist. III, 4, 27. Van Kooten ad

Saepe, velut gemmas eius signumve probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum;
Saepe mero somnum peperi tibi; at ipse bibebam
Sobria supposità pocula victor aqua.
Non ego te laesi prudens; ignosce fatenti;
Jussit Amor; contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
Servare, ah! frustra clavis inest foribus.

Pind. Theb. 22. Magis suspectum habetur in carminibus celsioris spiritus et argumenti, v. Bentl. ad Hor. III, od. 11, 18.

26. *per caussam* quod homines invenusti, ut cum Br. loquar, dicunt, *sub praetextu*, cf. Liv. II, 32. Caes. de b. g. VII, 9. Berol. 4. *casum* frequenti errore.

31 sq. *Ille ego – cui.* Ita verba iungas, quae interpositis: *nec – pudebit* non turbantur, Hor. II, 4, 21—24. laud. Wund.

37—42. Custodienda sibi Delia tradatur optat; in quo officio summam sane fidem et severitatem exhibiturum se esse dicit, adeo ut ne cultissimis quidem iuvenibus ad Deliam aditus concedatur. *credas* ne subintellig. *si*, quod plerique voluerunt. Verba *non saeva – pedum* caussae declarandae interposita sunt hoc sensu: nam asperrima servorum mala non recuso. Inde in vs. 39 protasin verba: *Tum p. abs.* accipiunt. Cf. I, 10, 11. Repetitio *non – non* aeque gravis est ac iucunda.

39. *colis* ex linguae ratione legendum esse iam viderunt Guyet. et Heins. Recepit Br. addicentibus Voss. 4. Zwicc. 1. 2. Guarn. Ceteri omnes: *colit*, quod ii invexerunt, qui, pron. *quisquis* secundam quoque personam involvere, ignorabant H. Vossius sibili odio ductus de coniectura: *Tum: procul hinc absit*, *q. colit.* v. ad I, 2, 17. Caussam, cur cum Voss. *Tum* retinuerim, pete ex not. ad I, 1, 21. Tuentur idem unus Angl., Voss. 2. Ber. 1. 3.

40. *Et fluit* e vet. libro affert Stat., testantur quinque ap. H.

Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas; non saeva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tum procul absitis, quisquis colis arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul ante, alia stet procul ante via.
Sic fieri iubet ipse Deus; sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.

Voss., Angl. B. C. D. Ber. 1. 3. prob. Livin., Heynio, cum Voss., Bauer. Wund. recepi. Copulativa male omittitur in vulg. *Effluit*, quum constructio mutetur. Saepius factum est, ut part. *Et* hac negligentia moveretur suo loco. Id quod mihi observasse videor in Ov. Met. XIII, 688. ubi legas: *Et fusaeque comas* - - Hic nimirum *Et* novum innuit subiectum, *que* respondente seq. *et* apertae. Jungas igitur: *Et matres fusaeque com. et apertae pect.* cet. In Sinten. Grad. ad Parn. noster locus memoriae lapsu, ut videtur, sic affertur: *Eminet effuso.*

42. Hanc Ach. Statio et Heynio inventam emendationem cum H. Voss. et Wund. in textum admisi. Vulg. *Stet procul, aut alia* - - haud commodiorem sensum praebet, quam Broukh. lectio: *St. procul, atque* - At vel sic quoque locum non sanatum puto. Expectatur: Faciam, ut procul ante resistat, aut aliam inde viam ingrediatur. In mentem mihi venit: *Stet procul ante, alias aut petat inde vias.* Mitsch. vulgatam pro emblemate miselli versificatoris habuit. Verba: *ne poss. crim. hab.* non ad Deliam, uti Wund. opinatur, spectant.

43 sq. Hanc arcendi rivales diligentiam Amor ipse mihi imperat, quod Bellonae sacerdos vaticinata est.
Ipse Deus absol. de Amore accipiatur suadet vs. 51 et usus Tibulli, cf. I, 2, 90. 5, 57. 8, 56. *vatic. divino sono* i. e. divinatrix elocuta est. *Divinus* enim propr. de eo, qui divinatur, praesagit res futuras. cf. Hor. III, od. 27, 10. In Catull. Epith. 384. *divino omine* nisi ex vet. cod. et Guelf. B. *pectore* praeferre malis. Sic ed. princeps.

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet;
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam;
Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna monet:
„Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.

45—50. Sacerdotis ut auctoritas extollatur fidesque sibi concilietur, per singula fere momenta docet Albius, quam severam atque religiosam sese exhibeat illa, et quanta numinis vi percutiatur. De Bellonariis cf. Juv. VI, 511 sqq.

46. *non amens* iam Ald. 2. Muret., Stat., Dous., et e bonis libb. Broukh. dedit, test. duobus ap. H. Voss. Guelf. 3. Ceteri variant in *non et amans*, *non et amens*, *nec demens*, quod Berol. 4. a marg. et Vulp. 1. exhibent. Latuit scilicet librarios inversa constructio, quae in *nec - non* cernitur. Huc facit Prop. III, 2, 11. Nec *mea Phaeacas aequant pomaria silvas*, Non *operosa rigat Martius antra liquor.* cl. Lachm. p. 64. Graecorum *οὔτε - οὐ*, *μήτε - μή* satis notum. v. Math. Gr. § 602. Schaef. ad Bos. p. 229. Ne cum H. Vossio *nec* pro *ne - quidem* accipiamus, ipsa verborum collocatio dehortatur.

47. Pro *violenta,* quod praeter alios Beroll. 1. 3 et 4. a m. sec. habent, alii: *violata*, sic Ber. 2. vel ideo reiiciendum, quod *inulta* v. seq. sacerdotem nihil doloris ex dilaceratione sensisse significat.

50. *monet* cum pluribus Berol. 4. Alii: *movet* solenni fere permutatione, v. vs. 58. *Monere* autem vatum et sacerdotum oracula edentium proprium. v. Br.

51—54. Sequitur oraculum a Bellonae sacerdote editum Tibullo, qui Deam de Deliae fide consuluisse cogitandus est. *didicisse* sc. vos violasse, perduxisse puellam, sive, quod maluerim, ab Amore illam custodiri.

53. *Attigeris* subint. *si.* cf. Prop. II, 25, 41. Viger. p. 508. Sensus: si fidem Deliae tentaris ac sollicitaris. *labentur opes* alias

Attigeris; labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis."
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas;
Si tamen admittas, sit, precor, illa levis!
Non ego te propter parco tibi; sed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.
Haec me deducit tenebris, multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus.

dilabentur; observes hic improprie et translate, in seq. *sanguis vuln.* proprie usurpatum verbum. Spectat haec loquendi ratio ad illud zeugmatis genus, ubi unum idemque verbum diversa significatione occurrit, v. c. *levare* in III, 3, 21. cl. Ov. Met. X, 368. alia ap. Wund. Add. Nep. Dat. VIII, 2. Argumentum earum, quas hic enuntiat sacerdos, imprecationum ab his rebus petit, quas ipsa tractat, sc. a dilaceratione corporis.

56. *admittas* sc. flagitium, fidem solveris, *illa sit tibi levis* i. e. mitis, facilis, vel minus constans sc. in exercendis poenis, quas minata est, sit tibi sacerdos. De v. *levis* pro *facilis*, *non superba* egit Hand. ad Gron. Diatr. t. I. p. 101. Alii singulari loco pluralis accepto *levis* ad poenas referri malebant; quae quidem anacoluthia hic certe vix tolerari potest. H. Voss. de coniectura: *ulla* sc. poena, i. e. ulla e levium poenarum numero. Commiscuit Vir illustris *ulla* et *aliqua*.

58. *aurea anus* sc. eadem mater. Interposita haec in altera versus parte, ad quod subiectum pertineant quamque vim habeant, e nexu sententiarum explicandum est, cf. IV, 4, 19.

59. *me deducit* sic vet. lib. ap. Stat., Guelf. 1. 4., Pal. 2., Ber. 2. Zwicc. 1. 2. Ed. pr. Venet. Reg. Ald. 1. cum Broukh. et Vossio revocavi. Vulg. *mihi te adducit* vel ideo parum probatur, quoniam *adducere* plerumque de lenonia perductione igitur sensu obscoeno usurpatur, v. Ov. X, Met. 441. Her. IX, 121. Deinde cogitari debet Deliae domus, quo amator deducitur; v. seqq. Nostram vindicant Ov. Met. X, 462. *Cunctantem longaeva manu deducit.*, cl. Her. XVI, 313. *Pene suis ad te manibus deducit amantem.* H. Vossio in notis placuit: *Haec mihi te sociat*, vel. *placat* quod tamen a contextu satis alienum.

Haec foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus! proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim!
Te semper natamque tuam te propter amabo;
Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

61. Aliud ab illo diversum officium est, quod mater foribus affixa sc. ad aedes Deliae expectat amatorem. Quae quidem beneficiorum diversitas pron. *Haec* – *Haec* satis notatur.

63 sq. *propr.* – *velim* tibi dimidium meorum annorum lubenter impertiam, quibus tuae vitae spatium extendas. Seneca, a Vulp. laud., de brev. vit. 14. *Horum nemo annos tuos conteret, suos tibi contribuet.* Notio partiendi, quae v. *contr.* inest, permittit structuram *tecum* pro *tibi.* Heins. ad Ov. Met. XIX, 17. coniecit: *conteruisse*, quod, quamquam nimis vulgare et languidum, a Broukh. receptum est. Idem Voss. 2. 4. Burmanni emendatio: *tibi, d. a., propr. ego vitae* placebat Santenio, qui in bibl. crit. p. 79. ad marg. notavit: *Sic Oudend. ad Appulei. Met. p.* 687. *cf. Pass. ad Prop. p.* 711. *et Vulp. ad eleg. ult.* 95.

67 sq. *casta* i. e. uno me amatore contenta. *Quamvis* – *pedes* tamquam voluit dicere: quamvis non nisi libertinae conditionis sit, neque igitur vitta, neque stola, quibus matronae tantum et virgines ingenuae uti solent, illi conveniant.

69—72. Castitate Deliae commendata ipse integrum et constantem esse se fatetur, et gravissimas sibi imprecatur poenas, si quid peccasse deprehensus fuerit. Id unice voluisse mihi videtur. Verba *Et mihi* ad v. 67 referantur et sententiarum nexus et usus Tib. suadet. Quoties enim *Et mihi*, *mihi quoque* et simil. occurrunt, ad priora semper relata illa vides. II, 6, 10. Ut castitatem Deliae servatam vult, ita sibi ipse graviora imponit. Hinc autem sequitur, ut coniunct. *sint* – *Possim* retinendi sint. *Sint* cum plerisque testantur Angll. A. C. D. Beroll., Aldd. Muret. Scal. Broukh. et recentiores, excepto H. Voss., qui ex aliis: *Sunt* – *Possum* reposuit. Indicat. autem *possum* Deliam tanta zelotypia incensam fuisse significaret, quanta vix in illam cadere posset, quippe quae satis liberam in Albii amore se gesserit. *durae leges* quas sibi tamquam Deliae amore capto imposuit ipse,

Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos;
Et, si quid peccasse puter, ducarque capillis
Immerito, pronas proripiarque vias.
Non ego te pulsare velim; sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli;
Mutuus absenti te mihi servet amor.

neque minimo quidem crimine neglexisse vult, quin iratae amicae poenam experiatur. *Ego* H. Voss. eiectum nolim, quum propter seq. *illa* sua vi non careat.

71. *ducarque* pro vulg. *ducterque* Scaligero ficta, ex Angll. B. C. D. Berol. 1. Monach. Voss. 3. cum Vossio et Wund., favente Heyn., reposui. Huic enim verbo notionem violentiae inesse, monuit H. Voss., laud. Juv. V. 125. Ceterum variant: *putat - ducor*; *putor - ducor*; *putet - ducar*.

72. *pronas - vias* sc. in urbe Romae montosa ac clivosa. Supplicium pedibus trahendi, qui aliquid peccaverant, Graecis quoque haud incognitum erat. v. Br. H. Vossius, cui res nimis exaggerata visa fuit, ex ingenio dedit: *pronus - viae*, i. e. praeceps, crinibus ex aedibus raptus in viam. Id quod Wund. per *foras* enuntiatum fuisse velit. Hic vero ipse tentavit: *prona - via*, vel: *prona - manu*. Quod quidem maiorem veri speciem praefert, quum in aliquot libb. *manus* compareat. Heinsii emendat. *per rapiarque* Voss. 4 firmatam Broukh. et Vulp. 2. praebuerunt. Pervulgaris autem est structura verborum *eundi* cum accusativo, nulla praepos. addita. In magna libb. parte: *proprias*, sic ed. pr. et vett. Scalig. *properas*, quod Dousa, Vulp. 1. Pass. alii amplexi sunt. Tunc certe *vias* pro *itinera* accipiatur necesse erit, non satis commodo sensu. Gebhardo placuit: *propter* expl. prope. Vulgata non sollicitanda.

73 sq. Accuratius haec respondent vs. 67. Ad amicam conversa oratione dicit: Eo semper animo scil. propter tuae fidei integritatem esse velim, ut nullam in te poenam exigam; sed violatam ulciscendi fidem si instigarit me cupido, manibus in te temperare volo.

75 sq. Distinctionem cum Mureto, Dousa, Wund. factam postulat oppos. *saevo - metu*. Otiosa fere sunt vv. *mente fid.*, si cum Br. Vulp. Heynio ad seqq. referuntur. H. Voss. displicuit

At quae fida fuit nulli, post, victa senecta,
Ducit inops tremula stamina torta manu;
Firmaque conductis annectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae
Commemorant, merito tot mala ferre senem;
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, et, infidis quam sit acerba, monet.
Haec aliis maledicta cadant! Nos, Delia, amoris
Exemplum cana stemus uterque coma.

repet. *sed* post vs. 73. Vestigiis unius cod. Angl., qui cum Berol. 3. *si* exhibet, inhaerens dedit *sic* m. f. Mut. - - in sensu obtestandi. Monendum autem, part. *sic* hac vi positam semper habere, quo referatur, v. I, 4, 1 — 3. II, 5, 121. 6, 29 sq. De repetitione part. *sed* non vituperanda cf. I, 9, 71 — 73.

77 sqq. Quod Deliae proprie imprecaturus erat, id generali quadam sententia enuntiat. Imprecatio autem, ut lanam tractando vitam ducant miseram, vetulis meretricibus, vel perfidis amicis saepius facta. Nostro Incerti epigr. 82. Anal. Brunck. t. III, p. 166. bene apposuit Mitsch. ad Hor. III, 5, 13. *inops* inopiâ quia coacta est.

80. *ducta* librorum scripturam non tolerandam esse censebat H. Vossius propter antec. *conductis*, et quoniam *putat* simpl. non pro carminare dici possit. Ipse e paucis libb. cum Ald. 2. et Statio: *dente putat*. Quod ad priorem attinet caussam, non satis ponderosa est ad vulg. tentandam, v. ad I, 3, 63. De v. *putat* sine adiecto pro carminat posito non erat, quod dubitaret. v. index.

82. *senem* per appositionem adiectum est voc. *Hanc*, cf. I, 2, 92. I, 8, 56. al. His non sine vi appositis bene vitatur tenue pronomen.

85 sq. Synclit.: *Optat ut aliis eveniant talia opprobria; ipse vero et Delia ita bene vivant, ut dent exemplum bonum aliis in senectute sua.*
stemus a Broukh. ex Perreii exc. aliisque revocatum praestat Guelf. 4. Angl. E. a m. s. Ber. 2 a m. pr. Voss. 3. Bern. Zwic. 2. superscr. Ceteri: *simus*, neque aliter Berol. 1. De v. *stare* v. index.

ELEGIA VII.

ARGUMENTUM.

Messala rebus in novis Romanorum provinciis praeclare gestis postquam ex Asia reversus erat in Urbem, triumphum de Aquitanis agebat splendidissimum. Brevi tum temporis spatio interlapso quum dies natalis eius celebrabatur, hanc suo amico inscripsit elegiam Albius. Indictis primum natalibus opportune ad Messalae victorias, multarumque regionum laudes celebrandas excurrit. A rebus in Aquitania 1 — 12. et Oriente gestis — 20. ad laudes in Aegypto ipsi paratas transit — 27 et in beneficia, quibus Osiris de vita Aegyptiorum bene meruerit, memoranda digreditur — 48. Denique ipsum Messalam, ut festis et sacris peragendis cum Genio praesens sit, vocat — 54. desinitque in votis pro illius posteris et gloria faciundis.

Ad quem quidem annum hoc sit referendum carmen, e rationibus historicis facile evinci potest. Ex Asia a. 727 Romam reversus Messala triumphum de Aquitanis egit. Brevi post tempore eiusdem natalis venisse cogitandus est, quum Tibullus in hoc carmine, quod in illum diem scripsit, triumphi non ita multum ante acti mentionem faciat. Eidem igitur illi anno, 727, nostrum carmen esse dandum, in proclivi est videre.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluënda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.

1—4. Vulgaris quidem ratio ferebat: Parcae natali die Messalae vaticinatae sunt, fore, ut praeclarae ab ipso res per totam vitam agantur. At sublimiore afflatus spiritu poëta excusandus est, quod primo vitae diei, quidquid praeclare gesturus sit in futurum Messala, tribuerit ex eo prosopopoeiae genere, quo tempus ipsum, quidquid hominibus convenit eorumque opera agitur, efficere dici solet. Hanc quidem gratam audaciam, mecum [v. epist. p. 22.] a Frenzel. et Huschk. defensam excusant multa poëtarum loca. Plurimum ad nostrum facit Pind. Pyth. IX, 121. *Κεῖνο κεῖν' ἆμαρ διαίτασεν.* Hom. Il. V, 62. ab Huschk. iam laud. adde Hor. III, 8, 9 sq. Prop. I, 13, 25. *Una dies omnes potuit praecurrere amantes*, nisi praeferre malis *amores* propter Stat. I, Silv. 2, 90 Alia huius metonym. exempla v. ap. Ruhnk. ad Vell. II, 35. Waardenb. opusc. p. 202. H. Vossius verens, ne in ipsum proelii tempus dies natalis incidens dicatur, et illa metonymia fines poëseos ac rationis humanae excedat, dedit: *Hac cecinere die.* Praeiverunt Ayrm. et Heyn. tentantes: *Hoc cec. die — Hoc fore, qui* — Wund. in vs. 3. *Hunc fore* de Messala intelligit. Parum apte, neque vindicari potest loco I, 9, 75. *Huic — hunc.* Illic enim duae satisque diversae sententiae declarantur; nostro autem loco una eademque sententia, quippe quae v. *cecinere* nondum absoluta est, continuatur. Vulg. tuentur optimi libri.

2. *dissoluënda* per dialysin positum, quae in iis praecipue verbis occurrit, quae, si litt. *v* in *u* dissolveris, praecedentem syllabam brevem habent, v. c. *sŏlutus*, *vŏlutus*. Saepius in Catullo, Prop. Ovidio. v. Heins. ad Her. IX, 86. Rarioris autem simulque durioris generis sunt exempla, ut *silüae*, Hor. I, 23, 4.

Evenere; novos pubes Romana triumphos
Vidit, et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani littora Santonici;
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis;

3. *fundere* i. e. in fugam versas dispergere, quod miserum hostium statum vividius designat, quam *frangere* quod H. Voss. addic. Guelf. 2. et Berol. 4. dedit. cf. Vellei. II, 12. 32. Pauci: *spargere* gloss. nostrae lectionis, et scribendi vitio in *frangere* corruptum.

4. *Quem trem.* accusativum verbis *metuendi* et simil. in oratione poëtica addi, tralatitium est; et cavendum dicas, praepos. *ob* vel *propter* subintelligi debere. Prop. II, 10, 16. *Et domus intactae te tremit Arabiae.* v. Sanct. t. I. p. 533. B. Huschk. in anal. crit. p. 27 sq. *Atax* prob. Heynio a me revocatum in Chrest. 1809. Voss. Bauer. Wund. servarunt; ita omnes fere libri, Beroll., et cum pr. editt. Vulg. *Atur* ingenio Scalig. debetur. In poëta non offendit vicinorum fluviorum permistio, cf. 11. Observent quoque iuvenes poëtarum rationem, ad fluvios ipsos transferendi ea, quae populis illos accolentibus proprie conveniunt. Hor. III, 4, 35 sq. *Visam pharetratos Gelonos Et Scythicum inviolatus amnem.* Ov. Fast. I, 286. *Tradiderat famulas iam tibi* [sc. Germanice] *Rhenus aquas.*

8. *niveis* iam Heinsio ad marg. ed. Raph. 1592. probatam e libris restituit Broukh. Sequuti sunt ceteri edtt. Firmant Beroll. 1. 3. Albis nimirum equis triumphantium currus iungebantur. cf. Prop. IV, 1, 32. *Nitidis*, in libris pl. et edtt. vett., i. e. bene curata cute, pinguibus, alienum a nostro loco.

13 sq. Commentarii instar habemus Strabonem XIV. *Αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον· ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος, ἔχων τὰ πάλαι νεώρια, εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος*; et Curt. III, 4. *Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis* cet. hinc Nostro *caeruleus* dictus;

Quantus et aërio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro;
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros;

quod epith. alias quoque fluviis tribuitur, v. vs. 12. Stat. I, Silv. 5, 51. v. Voss. De copia orationis in *tacitis leniter undis* cf. ad I, 5, 65. Hor. I, 31, 7 sq. Lucan. X, 327. *placid. aquis* e. in aquam placide stagnantem, *τόπον λιμνάζοντα* Strab. H. Voss. sibili fastidio ductus edidit: *placidae* – *aquae*. Huschk. *Caeruleae* – *aquae*. Neque his, neque alius, qui tentavit: *tactis* – *ulvis* correctionibus indigemus. Ceterum nostra cum Bauero et Wund. ex edtt. pr. ceterisque ante Br. revocata lectio plurimorum libb. etiam Beroll., Angll. Zwicc. 1. 2. auctoritate munitur. Statii emendationem: *Caeruleis placidus* in textum Br. Vulp. Heyn. miserunt.

15 sq. Sensus: An canam de feracitate Tauri, qui in summis partibus pascua habet et convalles, quae seri possunt et arari, inde alimenta suppeditant Cilicibus incultis et asperis. Vulg. *aetherio*. Mons *aetherio vert. cont. nubes* non accurate dictum esse, iam alii monuerunt. In mentem mihi venit: *aetherias* – *nubes*, v. Lucret. IV, 909. *Clamor in aetheriis dispersus nubibus Austri*, cll. Ov. Met. XV, 804. quae esset amplificatio simplicis sententiae: *aërius Taurus*, cf. *aëriae rupes* Sil. I, 371. *aëriae Alpes* Ov. Met. II, 226. Quam quidem coniecturam deinde praeoccupatam vidi in Beck. diss. de intp. vett. p. X. Nunc vero non dubitavi e cod. Reg. et uno Voss. cum Bauero reponere: *aërio*, suffrag. Huschk. et censore in Eph. litt. Jen. Utrumque vocab. in libb. saepius confundi, docet Ov. Fast. II, 252. V, 88. Burm. ad Met. II, 533. H. Voss. *conscindens*; quod vix ferri potest propter seq. *alat*. Huschkii mutationi: *contingat* – *alens* refragari mihi videtur, quod subi. *Taurus* nimis remotum est. Neque persuadeor bene dici: quantus sit qui contingat nubes. *Quantus* enim et similia hac brevitate posita duo involvunt membra. Dictionem ipsam praeiverunt Graeci, qui relativas voces ita usurpant, ut, particula quadam subaudita, in cognatas demonstrativas resolvi possint, v. c. *οἷος*, *ὅσος* in *ὅτι*

Qualis et, arentes quum findit Sirius agros,
 Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possim te dicere caussa,
 Aut quibus in terris, occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
 Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.

τοιοῦτος, *τοσοῦτος*, v. Matth. Gr. p. 665., vel ita, ut adiectivis praeponantur, v. c. *οἷος μέγας*, i. e. *ὡς μέγας*. Vigor. p. 120. Latinis propria sunt: *qualis quantusque*, Tib. III, 6, 23. Hor. Epod. X, 7 sq. Virg. Aen. III, 641. *Qualis* pro quam difficilis, Nep. Att. XX. *alat* ex Perreii excerpt. cum Muret., Dousa, Pass., Morell., Trai. 1680. Vulp. 1. Voss. fav. Huschk., Wund., Goerenz. aliisque revocavi. Vulg. *arat* quocunque modo explices, vix aptum praestat sensum et ab indicativo merito suspecta; Graecorum enim morem in his loquutionibus indicat. ponendi, non amat Tib., potius alii, ut Virg. Georg. I, 56 sq. Nostram tuetur auctoritas Strabonis, qui libr. XII. miram dicit locorum naturam, quum in summis Tauri partibus locus sit adeo ferax, ut multa hominum millia possit enutrire, et pleraque loca ibi oleis et vitibus consita sint, et omnium pecorum pascuis abundet. Ceterum sensus cardinem in v. *quantus* verti, bene monuit Wund. expl. *quantus sit - frigidus Taurus, qui alit.* Beckio, *habet* proponenti nemo suffragabitur, neque magis Burmanno, *adit* tentanti.

23. Tib. cum omnibus sui aevi ignorans, qui fons sit Nili quaeque caussa, cur occulat originem, ab ipso fluvii Deo cognoscere rem optat. Quae quidem sententia coni. *possim* flagitat, nec vero *possum*. Illud tuentur cum pluribus ap. Stat. et Voss. Angll. A. B. E. Ber. 2. Zw. 1. 2. Sic Voss. et Wund. Indicativus erat ignorantiam excusantis.

27 — 38. Hoc quidem episodion unice debetur mentioni Aegypti, quae terra easdem fere artes, quas a Dionyso Graeci et a Baccho Romani, ab Osiride accepisse traditur. Hinc Osiridis et Dionysi confusio Graecis iam Herodoti tempore solita. v. II, 42. *Θεοὺς γὰρ δὴ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἰσίος τε καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι· τούτους δὲ ὁμοίως ἅπαντες σέβονται.*

Te canit atque suum pubes miratur Osirim
 Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
 Et teneram ferro sollicitavit humum;
Primus inexpertae commisit semina terrae,
 Pomaque non notis legit ab arboribus;
Hic docuit teneram palis adiungere vitem;
 Hic viridem dura caedere falce comam.
Illi iucundos primum matura sapores
 Expressa incultis uva dedit pedibus.

Osirim grammaticorum et codd. optt. cum edtt. vett. scribendum, non *Osirin.* Graecas enim terminationes non nisi in graecis nominibus servare solent optimi auctores; in italicis autem terminationem latinam. Ut olim saepius factum est, ut librarii graecas terminationes in latinas corrumperent, v. Brem. ad Nep. Timoth. I, 2., ita hodie a non nemine in eo peccatur, ut graecas intrudat terminationes italicis nominibus, uti H. Vossius h. l. *Osirin* et I, 1, 36. *Palen* finxit. Nec vero minus *im* et *em* in nostris locis, quam *Ararim* - *Tigrim* in Virg. Ecl. I, 63. *Sybarim* in Aen. XII, 363. *Lyrim* in Hor. III, 17, 7. serventur necesse erit. cf. Huschk.

30. Santen. in marg. ad ed. Broukh. coniecit: *veterem*, cl. Ov. Am. III, 10, 14. Nihil mutandum. *Teneram* bene convenit ad humum Aegypti, quae ex Nili exundatione mollis facilisque ad arandum redditur.

34. *dura* immiti, quae inutilibus non parcit. Ita decet poëtam, non propter rigorem ferri. Voss. et Wund. laud. Virg. Georg. II, 369 — *tum denique dura Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.* cf. I, 1, 18.

36. *incultis* expl. Gebhard. musto sordidis, a musti aspersione squalidis, ut Prop. III, 17, 18. *Et nova pressantes inquinet uva pedes.* cl. Ov. II, Met. 29. *Stabat et Autumnus, calcatis sordidus uvis.* Accedit Huschk. et Wund. H. Vossius: indoctis, rudibus; neque aliter ego sentio. Negant quidem viri docti, culturam vel doctrinam pedum in calcandis uvis cogitari posse. At si poëtae licuit dicere: *manu solerti*, 29. et *nescia membra* 38. eadem fere metaph. *incultos pedes* meo quidem sensu dicere eos

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
 Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
 Pectora tristitiae dissoluënda dedit;
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
 Crura licet dura compede pulsa sonent;
Non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri,
 Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor;
Sed varii flores, et frons redimita corymbis;
 Fusa sed ad teneros lutea palla pedes;

poterat, qui adhuc non calcaverant, igitur imperiti erant artis. Usus poëtarum vv. *doctus*, *cultus* ad res et corporis partes transferendi mihi quidem videtur concedere, ut idem negativo sensu fiat.

37. *inflectere* bene illustr. Broukh.: *Flectitur vox in cantu, quum alios edit sonos, et sensim mutat, atque aliter modulatur.* Mox *nescia* sc. saltationis, v. ad I, 5, 68. Ceterum plena oratio ferebat sic; liquor [vinum] docuit movere membra cet. sive: fecit, ut moverentur saltando membra. Signif. igitur *movere* h. l. excitare.

39 sq. Bacchus etiam agricolis concessit, ut pectora magno confecta labore a tristitia dissolvere et liberare possent. Jungas vv. ita: *Bacchus et agr. pect. m. c. lab. dedit trist. diss.* Tristitia, dolor et sim. cogitantur onera, quae urgent, premunt. Igitur quum istae animi perturbationes vino tolluntur, pectus onere solvi et liberari bene dicitur. *Tr.* secundo (v. ind.), et *agr.* tertio casu accipias necesse est. *dissol.* sensu potentiali, quem alias quoque fut. pass. habet, positum, mon. V. d. in Eph. litt. Jen. laud. Prop. IV, 1, 50. *pianda.* Add. Brem. ad Nep. Att. XVIII, 5. De dialysi in v. *diss.* v. ad 2. Unde variantes: *tristitia, laetitia*, sive, *laetitiae* Muret. ortae sint, facile apparet. Nostr. confirmant Angll., compl. H. Vossii, Beroll., Zwicc. 2.

43. Pro: *luctus* Broukh. et Vulp. *vultus;* expl. frons adducta et torva. Vulg. autem tuetur libb. auctoritas et sententiae gravitas.

44—46. *Sed* multa cum vi et elegantia ter repetitur, cf. I, 8, 25 sq. Ov. Met. I, 595 sq. V, 17 sq. Wund. laud. Wolfium ad Tacit. Ann. I, 10, p. 33.

Et Tyriae vestes, et dulci tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra, et multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.

47. *dulci* a Frut., Dous. et Guyeto tentatam nunc Goth. firm. cum Vulp. 1. et Voss. exhibui. Vulg. *dulcis* nec a positu, neque a sensu probatur. Primum contra morem Tib. est coniunctio substantivi cum adiectivo arctior, sequente ablativo nude posito. Deinde ne vere quidem dicitur *dulcis* tibia sc. Phrygia, cuius sonum satis asperum et raucum fuisse constat. Aliquot libri: *dulcia*; sic ed. pr., unde *dulcis* correctum erat.

49 sq. Osiris vel Bacchus a poëta vocatur, ut diei natali in Genii honorem celebrando intersit. Genium ipsum exquisitius dixit pro die, quo summopere ille colebatur. *ludis* Statii emend. firmant. Mon., Voss. 3., non Berol. 1. Hic cum ceteris *ludos*. Venit hoc a librariis, qui *ludis* aptandum esse censebant sequenti *Geniumque*. Broukh. primus *ludis* restituit. Vestigia huius lect. in *ludes* [corrupt. ex *ludeis*] cernuntur, quod e Guelf. 1. Venet. 1487. 1491. 1500. receperunt. Guyeti coniect. *et sanctum ludo* H. Voss. in contextum admisit, v. *centum* nimis exaggeratam et inanem censens. Magis tamen Marclandi et Heyn. tentamen arridet: *et Genium ludo Geniumque* — Bauer. exaravit. Et sane repetita vox *Gen.* exemplis non caret, neque sing. *ludo* insolens est, v. Gall. III, 76. *Et totum ludo concelebrare diem.* Ne tamen *centum* sollicitetur, obstat poëtarum ritus, in memorandis sacris omnibusque ad festa Deorum spectantibus rebus hyperbolica quadam dictione et vel maxime numero centenario utendi. Apprime contulit Huschk. Pindaricum illud: *Πάντα θύειν ἑκατόν*, frgm. Incert. XI. Addimus Virg. Aen. IV, 198. quem sequitur Ovid. VI. Fast. 55 — *Centum celebramur in aris.* Aen. I, 416. Sil. VII, 457. Ut *Genium* suo loco reddatur, proponit Huschk. *et Genium ludis centumque.* Vulg. autem tuetur ipsa audacior positura part. *que* Tibullo propria, v. ad I, 1, 40. Praeterea *centum* binis nominibus adiectum non bene inferiorem fere locum obtinet.

51 sq. *Illius* sc. Genii. Vel haec transitio ad Genium non admittit copulativam *et*, quam loco *e* nonnulli et scrpti et edtt. libri exhibent. In Ven. 1500. 1520. *e* deest. Prob. Santen. in

Sic venias hodierne! Tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.

Eph. litt. univ. 1801. Et sane potuit *e* abesse, v. Ov. Her. XXI, 161. Nihil autem contra libb. auct. mutare volui.

53. *Sic* sc. eo cultu et ornamento conspicuus, quale tibi par est ac solenne. Inde vel apparet, verba *Sic v. h.* cet. non ad Osirin sed Genium spectare, cf. II, 2, 6 sq. *Hodierne* more poëtarum, qui adiectiva temporalia pro adverbiis addunt verbis. Nota sunt: *matutinus agebat*, Aen. VIII, 465. *nocturnus obambulat* Georg. III, 538. Graecis: χθιζὸς, δευτεραῖος et sim. v. quas laud. Matth. Gr. p. 621. Vocativ. verbo secundae personae additus nihil impedimenti habet. v. Theocrit. XVII, 66. Ὄλβιε κῶρε γένοιο. Prop. II, 15, 2. *Lectule deliciis facte beate meis.* v. Huschk. Perperam igitur tentavit Wyng. in actis soc. Trai. v. I. p. 192. *Sic venias hodie, tibi dum dem t. h.* Pro vulg. *dum* e libris Stat., Angl. A. C. D., Beroll. Zwic. 2. plur. H. Voss. cum Scal., Br., Vulp., Voss., Huschk., Bauer., Wund. *dem* reposui. Sic ed. pr., Vicent. Conf. Ov. III, Trist. 13, 17 sq. Quam proprie dicatur *tus dare* et *liba ferre* docuit Brouckh. Coniunctiv. *dem* - *feram* ab antec. *venias* dependet, et bene convenit precanti. Berol. 4. a m. sec. *favo* pro *feram*, ad quod accedit Guelf. 2. *tibi dem turis honorem Libem et M. d. mella favo.*

57 — 60. Tusculani et Albani magnificentiam Messalae in munienda vel sternenda Viae Latinae parte conspicuam celebrent. Huc facit Sueton. Aug. 30. *Quo autem facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.*

Cand. quem praeter alios tuentur Beroll., plur. H. Vossii, qui cum Wund. Cand. *que* revocavit. Nostram habet Reg. 1481. Ven. 1520. Vulp., Br., Heyn. et Huschk., qui bene monuit, hoc pron. repetito accuratius Tusculanos distingui ab Albanis. Eadem fere vi repetitum vides *si quem* Virg. Aen. VII, 225 sq.

58. Observes exquisitam dictionem, qua designantur incolae urbis vetustae. Ad construct. conf. I, 3, 3.

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta iungitur arte silex.
Te canet agricola, magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

61. *canet* pro *canit* ex uno Vat. Broukh. restituit. *Haec enim scribebantur*, dicit, viis istis nondum ad plenum absolutis; et sic postulat structura v. *venerit - retulerit.* Mox legitur in edtt. *agricola*, *e m.* invitis omnibus libris. Abest quoque in ed. pr. et Reg. 1481. Praepositio ab iis adiecta est, qui postremam in v. *agr.* syllabam producendam esse opinabantur. Aliter se res habet. In hac enim sede, sententia vi caesurae determinata, brevem esse ferendam ipse Tib. docet, v. I, 10, 13. cf. Bentl. ad Hor. I, 13, 6. Et sane verba *veniendi* ablativum nude positum saepius adsciscunt. v. Ov. a Voss. laud. III. ex Pont. 2, 79. *qua vos tamen urbe venitis.* Quam ob rem non cunctatus sum, libb. scripturam cum H. Vossio reponere. Accedit, quod frequenti errore vel licentia librariorum praepositione onerati sunt sexti casus, docente Cort. ad Sallust. Cat. VI, 6. Cavendum autem summopere, ne diversa in hac re commisceantur. Quod quidem factum puto in Hor. IV, 10, 6. *quoties te in speculo videris alterum*, ubi Vardenb. et Fea *in* delerunt, ducibus pl. libris. Meo autem sensu praep. male abest a verbis, quae non ad notionem *movendi*, *eundi* et sim. accedunt. Et in iis ipsis praepos. aliter additur, aliter abest, v. ad I, 10, 60.

63. Pro *celebr.* Briss. de form. I. p. 60. *venerande* adducit, memoriae lapsu an ex libris nescio.

64. *veni* pro *redi*, quod per interpret. Sfort. exhibet, favente Bentl. ad Hor. Carm. Saec. 67. coll. Ov. Fast. I, 87. Similiter corruperant librarii Ov. Fast. III, 63. ubi Burm. ex aliis restituit *veniunt.* Nostrum imit. Lotich. II, 8, 75 sq. *Optime Natalis salve, multosque per annos Luce bona felix et venerandus eat.*

ELEGIA VIII.

ARGUMENTUM.

Marathi, ad quem scripta est haec elegia, amorem in Pholoen certissimis se indiciis collegisse quum declarasset Albius — 8 ipsum ab opera et studio puellae placendi dehortatur et amoris ludos illecebrasque, quibus illa ceperit, recenset — 26. Tum Pholoen ipsam admonet, ut, omni superbia atque avaritia ex animo exuta, iuventutem amatoris omnibus ceteris bonis praeferat, ne, quum annis provecta fuerit, anxie quaesitis placendi artibus amorem captare cogatur — 46. Ad animum puellae durum flectendum vi ac potestate amoris, quo Marathus torqueatur, declarata — 54. illum de ipsius fastidio querentem inducit — 66. et puellae certam superbiae poenam denuntiat.

Jam vero in tempus, cui hoc carmen sit attribuendum, inquirenti haec animadvertantur: Multa in rebus ad Venerem pertinentibus usu se edoctum fuisse, pluribus locis ingenue fatetur Albius, neque minus candide dolorem, quem ex fastidio Marathi ipse olim perceperit, significat in vs. 71 sqq. Quae quidem argumenta eo deducunt, ut nostrum post quartum carmen, neque igtur ante a. 730 compositum esse statuamus.

Non ego celari possim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba sono;
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum;
Praecinit eventus nec mihi cantus avis;

1. *Possim* primus, quantum videtur, Scalig. e codd. scriptura *possum* restituit, quem Broukh. et recentiores sequuti sunt, excepto H. Vossio. Exquisitior coniunctivi usus in deliciis fuit Tibullo, cui saepius resolv. est in *puto me posse*, cf. 59. I, 2, 29. I, 9, 63. v. ibi Wund. *celari* cum aliquot aliis Vindob., Mon., unus Voss., Zw. 1. Ber. 4. a m. pr. testantur. *Celare* vel *celarim* in aliis interpolatum ab iis, qui structuram verbi *celor* ignorarent. Vel e grammat. notum: *celare aliquem quid*, hinc *celor aliquid*, sive *de aliquo*. Quam ob caussam in Nep. Alcib. V, 2. non dubito cum Heusing. restituere: *Id Alcibiades diutius celari non potuit*, pro vulg. *Alcibiadi*; et sane amasse hanc rationem videtur Nepos, v. Eum. VIII, 7, Hann. II, 6.

3—6. Artis divinandi etsi imperitus sum, omnes tamen amatorios motus optime scio ex assiduo amoris usu. Quam quidem peritiam non mihi comparavi nisi multis ac gravibus laboribus atque aerumnis. Hoc sibi voluit poëta. Venus fingitur fune in nodum constricto suspendisse ipsum et verberibus cecidisse, imagine a servorum poenis petita et admodum frequenti. cf. Prop. III, 24, 13 sq. *Correptus saevo Veneris torrebar aheno; Vinctus eram versas in mea terga manus.* De *Veneris vinculis* v. Virg. Ecl. VIII, 78. *flagello*, v. Hor. III, 26, 11., unde munitur lectio: *verberibus*, pro qua Beroll. 1. 3. *vulneribus*. De proprio praepos. *re* significatu in verbis *religare*, *revincire* et sim. pro: *religare post tergum* monuit Wund. *nodus magicus* e. firmus, inexplicabilis. Nihil amplius. *perdocuit* sc. artem intelligendi ea, quae produnt, arguunt amorem. Verba *docere*, hinc *doctus*, *peritus*, vel contra *rudis* saepius absolute in his rebus usurpantur. cf. Prop. I, 9, 7. III, 15, 5. III, 17, 7. Mox *urit*

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare; Deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Saepeque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?

in *urget* corruptum exhibet Corv. Saepius haec verba confundi, v. Ov. Met. IV, 278. intpp. ad I, Am. 2, 17. Ad rem parum refert, quomodo legatur; imagines enim ad cruciatus amoris designandos modo a flammis, modo ab onere mutuantur, v. II, 1, 79.

11. Ita cum Mureto, Cantabr., Paris. 1723. Vulp. 1., Voss. Bauero dedi, pro vulg. *Succo-onerasse*, quae debetur Scaligero. *Succus* e. crassius sputum ex madido pane, quo illinebantur genae. Quod quidem medicamen ad seriora tempora referendum esse videtur, quum neque Ovidio, neque aliis istius aevi memoretur. *Onerasse* Scal. emend. duo ap. H. Voss. frequenti satis errore, de quo Snakenb. ad Curt. VI, 6, 7. Etsi enim illud v. in bonam partem interdum accipitur, v. Phaedr. V, 5, 20. ibi var. Terent. Phorm. V, 7, 2. Drack. ad Sil. III, 15. Burm. ad Val. Fl. III, 9., nostro tamen loco parum gratam conciliat imaginem, neque satis confirmatur libb. auctoritate. Hi scilicet magno consensu *fuco* exhibent, etiam Beroll., Angll., plur. ap. H. Voss. Zwicc. 1. 2. Et recte hoc praefertur. *Fucus* enim, propr. herba sive muscus marinus ad efficiendos colores rubicundos adhiberi solitus, v. Beckmann. Geschichte der Erfind. I, p. 338. ad omnia deinde transferebatur medicamina, quibus ad splendorem faciei conciliandum Romani utebantur, vel potius ad quemque succum, qui tingendo inserviebat, v. Hor. III, 5, 28. ibi Mitsch. Ov. Met. VI, 222. ubi cod. Medic. *fucus* interpretatur per *color*. Nostrae autem rationi non adversatur *splendente*, quod, Frenzel. monente, de rubicundo colore occurrit. Lucret. II, 51. *Nec clarum vestis splendorem purpureai.* Ceterum Broukh. in notis marg. haec habet: „*Fuco* recte, non *succo*, v. Gron. ad Sen. Hipp. 1045. Heins. ad Claud. I. in Ruf. 208. Salmas. Exerc. Plin. p. 804. Spanh. ad Callim. p. 447.“ Wund. cum plerisque: *ornare*, quae temporum varietas huic certe loco parum convenit. Dousa e Lipsii excerptis: *comas c. redimire.*

Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.
Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda comserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter.
Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

14. *colligit* i. q. coërcet, in angustum cogit. Br. in notis scriptis comp. Sen. Hipp. 322. *Luteo plantas cohibente socco.* In eodum versu ultimum exemplum per coniunct. *que* adiungitur, ne iterum *frustra* recurrat. Vid. de hac re Wund. ad I, 2, 48.

16. *nitidum* Santen. in marg. ad ed. Br. scripsit: Nescio an *nimium* praestaret, Prop. II, 18, 36. *Nec nimis ornata fronte sedere velis.* Cui quidem coniecturae parum tribuam, dummodo solvatur *nit.* in: adeo ut nitescat, quae prolepsis in adiectivis haud raro admittitur, v. I, 3, 51. II, 3, 47. Hor. III, 16, 19. Virg. Aen. III, 237. Schaef. ad Theocr. p. 215.

17. *pollent.* e. efficacibus ad res magicas. Optime hoc restit. Br. nunc Vind., Bern. et Voss. 2. firmatur. Libri: *pall.*, frequenti permutatione, v. Ov. II. Art. 105. Ad rem cf. Fast. II, 425. — *Non tu pollentibus herbis, Nec prece, nec magico carmine mater eris.* cl. Lucan. VI, 685. Tibullus ignorans, qui fiat, ut Marathus tanto amore Pholoes ardeat, interrogat, an fortasse arte magica, cuius maxima vis et efficacia habeatur, vinctus sit et ad amorem adactus.

19. *traducit* testantur Beroll. 2. 4. cf. Virg. Ecl. VIII, 98. *Atque satas alio vidi traducere messes.* Messes propr. *traduci* dicebantur i. e. incantamentis ex aliis in alios agros transferri, pellici. v. Br. Vel hac caussa reiicias *deducit*, quod alii libri exhibent

21. Vulg. praeter alios tuentur Angll. B. C. D. Beroll. 1. 3. 4. plur. ap. H. Voss. et illustrat Virg. Ecl. VIII, 68. *Carmina vel coelo possunt deducere lunam.* Non alienum a re, quod Exc.

Quid queror, heu! misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis;
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento;
Persequitur poenis tristia facta Venus.
Munera nec poscas; det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuvenis, cui laevia fulgent
Ora, nec amplexus hispida barba terit.

Perr. Guelf. 1. Angl. E. a m. sec. A. Ber. 2. alii ap. Stat., duo H. Voss. praestant: *deducere lumina*, aliquot correcte: *e coelo;* sic Ven. 1520. In Ven. 1487. 1500 legitur: *e coelo l. d.* Apoll. Rh. III, 532. Ἄστρα τε καὶ Μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους. cl. Hor. Epod. XVII, 5. Ne tamen vulg. deseramus, suadet verior positura vv. *Lun. ded.*, et locus I, 2, 45. ex quo ista lect. interpolata videtur.

22. *aera repulsa* i. e. instrumenta aerea, quibus Lunae deficienti opem ferri credebant superstitiosi. v. Theocr. II, 36. De confusa construendi ratione in *faceret – sonent* cf. I, 4, 63 sq.

25 sq. ad leviores nequitias accumbentium ad mensam referas, quo spectat Ov. I. Am. 4, 43 sq. *Nec femori committe femur, nec crure cohaere, Nec tenerum duro cum pede iunge pedem.* Anacreon ap. Hesych. s. v. γυναῖκες dicit: πλίξαντες μηροῖσι παρὰ μηρούς.

27 sqq. Pholoen iam monet, ut faciliorem sese exhibeat Maratho, neve munera ab illo poscat. Haec enim merito expeti, inquit Alb., a sene et decrepito amatore, nec vero a iuvene. *nec poscas*, pro: *ne* p. cum Vossio, praeeunt. Ald. 2. Muret. Stat., Colb. et Ven. 1520. recepi, firm. Ber. 1. 3. Witt. ap. Br. aliquot H. Voss. Haec verba superioribus arcte cohaerent.

31. *laevia* i. q. imberbia, Hor. IV, 6, 28. Cum permultis Beroll. 1. 2. 3. exhibent: *mollia.*

32. *hispida* cum Brix., Muret. Stat. Gebh. Ven. 1487. 1500. H. Voss. vulg. *aspera* praetuli. Confirmant unus Stat., Perr. Exc., Berol. 2. et Fea ad Hor. IV, 10, 5. ubi eadem vox usur-

Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnae despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim,
Dum tumet, et teneros conseruisse sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, et in collo figere dente notas.

patur. cf. Corn. Gall. I, 140. *hispida silva* de senectute. Ad rem cf. Theocr. XV, 130. *Οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ'· ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυῤῥά.* *amplexus* pro iis, qui amplexibus iuncti sunt, H. Vossio displicuit, adeo ut *amplexas* in textum admitteret. Quod quidem in sententia generaliter enuntiata magis arridet, quam *amplexam*, quod Bauer. proponebat. Insolenter quamvis dictum sit *amplexus* pro: os, labella, nihil tamen mutare ausus sum, verens, ne *amplexas* eadem fere insolentia dicatur. Ceterum observetur brevitas structurae pro: *et cuius barba non terit.* Hic et alias e praecedente pronomine alius assumatur casus necesse est in altera versus parte, cf. II, 3, 75 sq. IV, 2, 17. Phaedr. I, 22, 12. ibi Schwab.

35 sq. Venus tibi puerum in amplexus recepturae suppeditabit locum et opportunitatem; ut illum accipias. Sensu ministrandi, demonstrandi etiam gr. εὑρίσκειν, ἐξευρίσκειν usurpantur sequente infinitivo.
tumet Scalig. debetur, pro *timet*, quod cum ceteris fere omnibus etiam Beroll. habent. Illud, si H. Vossio credendum, Vind., Goth., Hamb. testantur. Designat *tumere* iuventutis robur et integritatem, hinc *aetas tumida*, *anni tumentes* et al. Gr. σφριγᾷν comparavit Wund. in obss. in Aeschyl. p. 189. *cons. sinus* cum H. Vossio dedisse non mirum videbitur, si quis sensum et nexum verborum accurate perpenderit. Vulg. *et ten. conserit usque sinus.* Ex hac lectione puer coniungere pectora per arctos complexus cogitandus erat. At vel hoc ipsum est, quod Venus puellam doctura et ei suppeditatura fingitur. Nihil otiosius quam *usque*, vel *ipse*, quod alii codd. praestant. Vitium vulg. iam Heynius sensit, qui tentabat: *conserere usque s.* In nostra lectione ne quem praeteritum offendat, in memoriam revocet usum Tib., praeterit. more gr. aoristi ponendi, sive praesentia sive futura in proximis membris adsint, v. ad I, 1, 46. Ita nectamus verba: *Venus inv. succ. et cons. et dare et figere.* Santenio placebat: *tenet* i. e. amplectitur.

Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola
Dormiat, et nulli sit cupienda viro.
Heu! sero revocatur amor, seroque iuventas,
Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formae; coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.

39 sq. Admodum turbarunt hi versus interpretes. Nativum autem sententiarum ordinem quum perspexerimus, non difficile erit invenire, quid sibi voluerit poëta.
Prioribus ita sunt annectenda haec: Ne sis difficilis, Pholoe, Maratho, neve muneribus vendas amorem. Juventutis enim et elegantiae dotes longe praeferendae sunt largis amici senectute confecti muneribus. Quae quidem vel pretiosissima nihil habent oblectamenti iis puellis, quae, quum ad altiorem aetatem provectae fuerint, derelictas se videbunt, et, nulli viro expetitae longas hiemis noctes viduas exigere cogentur. Tunc poenitet illas superbiae atque avaritiae; at frustra. Neque tum artes ad amatores revocandos quidquam prosunt.
Haec quidem ratio luculenter docebit, librorum et vett. editt. lectionem: *iuvant* retinendam esse. Sic Voss., Wund. Vulg. *iuvent* debetur Scalig., cui adsent. quatuor Voss. et Vind. Monendum autem, hic non imprecantis, sed certo affirmantis et caussam priorum admonitionum reddentis verba haberi. Goerenz. coniecit: *Nam* lap. — iuvent; hoc sensu: Eae tantum externis ornamentis utantur necesse est, quae non nativa pulchritudine placent. Slothouw. in actis soc. Trai. t. III, p. 147. tentavit: *Quam lapides gemmaeque iuvent*, *haec f.* - - Ut propius ad sensum, ita longius a vulg. scriptura abest haec emendatio. In Sfort., Beroll. 1. 3. aliisque H. Voss. legitur: *capienda*, quod Heins. ad marg. ed. Dous. notavit et Santenius in bibl. crit. amplexus est. Ad marg. scripsit: gemmae [quibus ornatae feminae virum quaerunt] nulli usui sunt puellae, quae nocte hiberna velit sola dormire et se nulli viro capiendam, potiundam praebeat, cl. Ov. Her. XVII, 92. XX, 43. Quae refragantur huic rationi, multa sunt, ne dicamus, cuncta. V. *cupienda* multo maior vis inest, quam v. *cap.*, modo sensu potentiali accipias, de quo v. I, 7, 40. *iuv.* est: delectant, cf. III, 3, 18. Virg. Ecl. V, 83. *frigore* i. q. tempore hiberno; saepius *frigus*, *frigora* simpl. de hieme dici, exemplis e Virg. Ecl. II, 22. Georg. I, 300. petitis VV. dd. docuerunt. Gr. ψῦχος apposuit Wund. cl. Soph. Phil. 17.

Tollere tum cura est albos a stirpe capillos,
Et faciem demta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere; non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque! Puero quae gloria victo?
In veteres esto dura, puella, senes.
Parce, precor, tenero! Non illi sontica caussa est;
Sed nimius luto corpora tinguit amor.
Vae miser absenti maestas quam saepe querelas
Coniicit, et lacrimis omnia plena madent.
„Quid me spernit? ait; poterat custodia vinci;
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.

46. Respicit Albius morem, unguento quodam, quod appellare solent philotrum, sive tentipellium, reddendi cutem tenuem et laevigandi. v. Böttig. Sabina.

47—54. Sententiis prius generalibus praemissis opponit *At tu*, quibus verbis Pholoen alloquitur. De hoc usu part. *At* cum pron. plerumque coniunctae, quum ad singulos transitio fit, v. I, 2, 89. 99. 5, 59. 8, 77. Ad sent. in vss. 47. 48. expressam comp. Ov. III, Art. 59 sqq. Pro *tardo* Berol. 2. *parvo*. Illud a marg. Scribendi error alias quoque obvius, v. Ov. Am. II, 14, 26. Burm. ad Trist. IV, 2, 18.

51 sq. Marathus pallet, neque morbo pallet, sed nimio amore. De *sont. caussa* v. ind. *corpora* de uno homine, sed cum respectu ad singulas corporis partes dictum, h. l. inprimis *os* intelligendum. cf. Ov., a Wund. laud., Her. VI, 129 sq, XII, 45. Gr. *σώματα*.

55—65. Verba sunt Marathi conquerentis de Pholoës superbia, quae, quo minus artibus amatoriis uteretur, impediverit. *spernit* Pholoe. *ait* Marathus. *custodia* intellige, ut I, 2, 5. Libertinae seu peregrinae, ad quod feminarum genus ut Delia ita Pholoe pertinuisse videtur, a marito per custodes tenebantur. Poterat igitur Ph. per caussam custodiae puerum eludere. Obloquitur autem puer puellae mendaciis, artibus monstratis, quibus uti licuisset illi.

56. *posse* neque hic neque aliis locis sua vi caret, v. ad I, 10, 64. Ad v. *fallere* e priori v. *custodia* assumendum erit *custodes*. De dictione: *ded. fallere* cf. Hom. Il. I, 18. et Athenaeum I,

Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possim media quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso saeva puella toro?
Vel quum promittit, subito sed perfida fallit,
Et mihi nox multis evigilanda malis;
Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedem."
Desistas lacrimare puer! Non frangitur illa,
Et tua iam fletu lumina fessa tument.

61. *prosunt* Angll. B. D. E. Berol. 2., duo Stat., plur. H. Voss. Alii *possunt*, nimis grave ad elegiae tenuitatem, neque sensui quidem satis aptum. Melius id legitur in Hor. I, 26, 10. ubi vel maxime sensus flagitat. *artes* in vss. 57—60. memoratae.

63. *prom.* subint. e seqq. *noctem.* Plenam loquutionem v. II, 6, 49.

64. Hunc versum priori arctius annectendum censebam legendo *Et*, quod Heyn. proposuit, et in Pass. edit. iam expressum est. Pedestris ratio fuit: ut mihi nox evigilanda sit. Vulg. *Est* novam signif. sententiam, vel certe nativam structuram turbat. H. Voss. maluit: *Hei.* Minus probabiliter mox tentavit Heynius: *est vigilanda.* Verbo facile caremus, et *evig.* multo gravius designat *noctem vigilando transigere.* Cf. *pervigilare* in Perv. Ven. 45. — *tota nox est perviglanda canticis.* In libris longe plurimis, etiam Angll., Beroll., edtt. pr., Reg. Venn. aliis vett. *malis*, quod cum Voss., Bauer. Wund. Tibullo reddidi, pro: *modis*, quod Scalig. ex Aldd., Br. Vulp. Heyn. servarunt. *Malis* e. inter amoris curas atque aerumnas.

66. *pedem* praeter alios Beroll., Angll. C. D., duo Voss., Goth. tuentur. Et sane hoc decet poëtam, non *pedes*, quod alii libri et edtt. ante Scalig. exhibent. *Quodc. movetur* pro vulgari: in cuiuslibet rei motu.

68. *tument* propr. de oculis flentibus, hinc *tumidi ocelli*, Ov. Am. III, 6, 79 *tumentes oculi* Suet. Tib. 7. Itaque non est quod praeferas *tepent* e cod. Angl. B.

Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi;
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amores,
Nescius ultorem post caput esse deum;
Saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
Quaecunque opposita ianua dura sera est.
At te poena manet, ni desinis esse superba;
Quam cupies votis hunc revocare diem!

71. *amores* e Schefferi libro cum Voss. et Bauer. edidi, propterea quod T. ad se ipsum olim infeliciter amantem respexisse cogitandus. Vulg. *amantes* e vs. 61. vel IX, 1. interpolatum videtur, et plures amatores designat. Ad vs. seq. comp. Vulp. Sen. Herc. f. 385. *Sequitur superbos ultor a tergo deus.*

76. *opp.* Non erat, quod Broukh., Heinsio suadente, contra libb. *appos.* ederet. Illud optimis quibusque mss. et edtt. vett. munitum cum Vossio revocavi. Propr. dicitur: *opponere seram*, *obserare*, v. Sagittar. de Ianuis Veterum c. X. De v. *est* in fine collocando v. ad I, 1, 34. Construas verba: *Quaec. ianua dura est oppos. sera.*

77. Santen. in notis scriptis cum Burm. ad Prop. II, 4, 3. malebat *Et.* Melius autem *at* transitui ad novam rem faciendo inservit.

78. H. Voss. *hanc*, quoniam non de uno certoque die, sed de indefinito temporis spatio agatur. Et sane Ascon. in Cic. Verr. II. dicit: „*Dies* foem. tempus; *dies* horarum 12. masc. gen. est, unde hodie, quasi hoc die.“ At Varro ap. Charis. I. notavit: Neminem auctorum hoc servasse. cf. Burm. ad Ov. IV, Trist. 6, 38. Seyff. Gr. lat. t. III. p. 13. Integra igitur vulgata servetur!

ELEGIA IX.

ARGUMENTUM.

Puero, qui iuratam sibi fidem amoris violavit, poenas deprecatur Tibullus — 6. avaritiam excusans, qua cum alii teneantur, tum et ille ad peccandum abreptus sit — 12. Ut autem puerum facturum esse acerbam iacturam laetatur — 16. ita suas admonitiones de fide servanda et pueri promissiones vanas ac frustrarias fuisse dolet — 38. quamvis ipse et alia ei officia praestiterit, et carminibus eum laudaverit, quae nunc cum ipso puero abesse malit — 52. Jam vero in corruptorem pueri acerbe invehitur, eique assidua coniugis adulteria et ebrietatem apprecatur — 74. Huic scilicet turpissimo corruptori puerum se dedisse indignatus illi poenitentiam perfidiae, sibique ipsi laetitiam inde oriundam praedicit.

Cui tempori hoc carmen assignandum sit, etsi ex ipso vix commode elicias, prius tamen esse scriptum, quam Marathus innotuerit Albio, persuasum mihi habeo.

Quid mihi, si fueras teneros laesurus amores,
Foedera per divos, clam violanda, dabas?
Ah miser! etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.
Parcite coelestes! Aequum est impune licere
Numina formosis laedere vestra semel.

1 — 2. Ordo verborum: *Quid mihi per divos dabas foedera* [i. e. promissa, fidem deorum obtestando], *clam viol.* quae clam eras violaturus. Observent iuvenes hunc significatum part. fut. pass. proprium, quo consilium ac voluntatem alicuius in re aliqua suscipienda et peragenda notat. Sic verba Liv. in praef. capias: *Quae ante conditam, condendamve urbem traduntur.* cf. Wachsmuth. in Athen. I, 1. p. 67. Bauer. ad Sanct. t. I. p. 173. *si fueras laes.* cet. si proclivis fueras in perfidiam. *teneros* Guelf. 1. 4. Corvin. quinque ap. H. Voss., Ed. pr., Brix., Rom., Vicent., Venetae. Cum H. Voss. revocavi pro vulg. *miseros* quod ex ant. eleg. v. 71. interpolatum suspicor. Wunderlich. de veritate loquutionis, *ten. amores*, i. e. dulces, blandos, dubitanti non succurrebant loca Ovid. IV. Trist. 10, 1. *Ille ego, qui fuerim, tenerorum lusor amorum*, cl. II, 361. III, 3, 73. et saepius in Amor. libris. In vulg. si quis acquiescendum censet, explicet *infelices*, non *perditos*, *aestuantes*, quod cuidam in mentem veniebat. Nihil autem animo Tib. commodius vidi, quam *teneros.*

3. *etsi*, non *et si* disiuncte scribendum cum edtt. vett. et H. Vossio. Ubicunque enim hae part. separantur, unum vel plura praecedunt membra, quibus *et* augendi notione adiungitur. Hic autem exclamandi form. *Ah miser* absolute posita est. *Periur.* pro ipsis factis fidei datae contrariis.

5 — 10. Naturalis sententiarum progressio ita fit: Veniam detis, o Dii, maiestatis vestrae periurio laesae. Quod quidem crimen excusationem habet a facinoribus, quae alii lucri caussa suscipiunt, v. c. rusticus, nauta.

Lucra petens habili tauros adiungit aratro,
Et durum terrae rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus puer; at deus illa
In cinerem et liquidas munera vertat aquas!
Iam mihi persolves poenas, pulvisque decorem
Detrahet et ventis horrida facta coma;

7. *habili* quod epith. non quidem in universum *aratro* proprium est, hoc autem loco optime convenit rustico, cui lucri appetenti id ipsum habile est facilique negotio tractatur, quod ipsi alias satis durum atque aerumnosum. Ergo non opus est emendatione Frenzelii: *Lucra petens* habiles *tauros* - - quae ne collocatione quidem verborum probatur. Vossius nimis argute expl. apto, conveniente durae humo. *urgere* totis viribus in opus faciendum incumbere, ut *vestem urgere* Virg. Aen. IX, 489. Teneant iuvenes morem Tib., subiectum pluribus praedicatis in vs. maiori antegressis in pentametr. demum collocandi et quidem ab initio alterius partis, ut h. l. *rusticus*, ad quem verba *petens - adiung.* spectant. cf. I, 3, 40. et nostr. l. v. 9—10.

9 sq. expedias: Sidera certa ducunt rates inst. petit. lucra per freta vent. parentia. *inst.* motum incertum navis design., cf. Ov. Met. II, 164. et *dubiae naves*, Art. II, 514. cl. nostr. II, 3, 62. *parent.* suavi imagine, qua imperare venti maribus finguntur, Ov. Met. VIII, 470 sq. *maria parentia* e Cic. Tusc. I. apposuit Synclit.

12. Sensus: in nihilum. v. Hom. Il. VII, 99. Prop. II, 16, 46.

13. Concitatiori T. genio *persolves* magis consentaneum quam *persolvet*, quod ex Ald. 2. Scalig. propagavit. Nostram test. optimus Witt. ap. Br. cum aliis, Guelf. 3. Angl. B., Mon. Recep. Voss. Bauer. Wund. fav. Heyn. et Hand. in obss. ad Catull. p. 31. Quas autem poenas persoluturus sit puer, in seqq. declarat Albius. *Que* sententiae prius enuntiatae ita postponitur, ut caussam illius vel uberiorem quandam expositionem designet, pro quo vulgaris ratio *nam* ferebat. v. I, 5, 11. Wund. comp. *et* in Virg. Aen. X, 40. Ceterum ex hoc loco facile colligas, puerum, Tibullo contemto, locupletis negotiatoris accepisse conditionem, et cum illo longum aliquod iter ingressum fuisse.

Uretur facies, urentur sole capilli;
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui, quoties: auro ne pollue formam!
Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca.

17. Ne auro te corrumpi patiaris eoque formae gratiam imminuas.

21. Sensus: Extremis me cruciatibus potius torque, quam ut datam fidem auro corruptus fallas. De tormentis, *flamma*, *ferro*, *verberibus* cf. I, 6, 45 sq. et Broukh.

23 sq. Sensum bene constituit Heynius: Nec puta, te ullo modo clam fallere posse; si vel tentes, at erit deus, qui fraudem retegat. *fas sit* vere et ad seq. versum mire convenienter dictum, i. q. non per Deorum voluntatem fieri tibi potest, igitur non licet, cf. Hor. IV, 4, 22. *Nec scire fas est omnia.* cl. Ov. Met. IV, 428. Gier. ad Fast. I, 329. Opp. *nefas*, quod per Deos s. fata non licet, v. Hor. I, 24, 20. Ad structuram quod attinet, *fas sit* eadem ratione tertium casum et subiecti et praedicati adsciscit, qua *licet*, Hor. Sat. I, 1, 19. *concedit*, v. eund. Art. poët. 372 sq. Solvas igitur: nec fas tibi sit celare *peccare;* pro substant. perfidiae crimen. Participio *celanti* maior vis inest quam infinitivo, quum designet eum, qui iam in eo est, ut celet atque occultet. Nostram lect. firmant praeter alios ap. Broukh. et Voss., Angll., Beroll., Guarn. Corv., paucis exceptis, qui *celandi* exhibent. Illam eandem edtt. pr. omnesque dant ad Scaligerum usque, qui ex suis Excerpt. finxit: *N. t. celandi spes sit peccare paranti.* Sic Voss. 1. 2. 3. Hamb. Zw. 1. 2. Broukh., Vulp., Heyn., Bauer., Wund.; et doctissimum haec lect. defensorem nacta est Huschkium in Analectis Litt. I, p. 164 sqq. Quaecunque autem ibi de vv. *sperare*, ἔλπεσθαι, δοκεῖν satis ingeniose disputata sunt, mihi quidem non persuaserunt, ut a Tibulli manu *spes sit* profectum esse crederem. Mecum sensisse videtur Wunderl.; aliter v. d. in Eph. Jen. 1817. N. 150. qui vulg. ex parte servata legit: *N. t. celanti spes sit peccare; paranti Est D.* -- H. Voss. ducibus Guelf. 3., Mon., Voss. 4. edidit: *celari fas sit*, quae quidem dictio ne sit admodum am-

Nec tibi celanti fas sit peccare; paranti
 Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lena ministro
 Ederet ut multo libera verba mero;
Ipse deus somno domitos emittere vocem
 Iussit, et invitos facta tegenda loqui.
Haec ego dicebam; nunc me flevisse loquentem
 Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.

bigua vereor. Ut distinguatur post *peccare*, monet et sensus et consonantia in *celanti* - *paranti*, quae quidem in aliquot Virgilii et Propertii, [v. Lachm. ad I, 17, 5.] nec vero in Tib. hexametris deprehenditur. E nostra interpunctione *paranti* bene ferri potest, quia accentu caret et ad seq. versum refertur. Ad v. *par.* intellig. *celare*, non: *peccare.*

In vs. seq. libri variant. Alii: *Est* - *vetet;* alii: *Sit* - *vetet.* Nostrum habet Angl. B., Hamb., Voss. 4. Ind. *vetat* bene hic se habet, quum praec. *Est* suum subiectum sit appositum, quo sequens pron. referatur, v. Gernhard. ad Cic. de off. I, 2, 5. et Brem. ad Nep. Milt. III.

25 sq. Sensus: *Ipsum numen divinum permisit, ut, etiamsi servus puer de perfidia domini taceret, tamen vel lena, dominae ministra, per ebrietatem vulgaret illam.* *Lena* test. un. Stat., Lips. Exc. Vind. Mon. Goth. *Zw.* 2. ab Heynio receptam et Huschk. vindicante cum Bauer. Wund. servavi, quamquam veram hanc Tib. esse scripturam non mihi persuadeo. Etsi enim lenae aeque famosae habentur ab ebrietate, v. Plaut. Curc. I, 2. Cist. I, 1, 20. I, 2, 9. Ov. Am. I, 8, 1 sqq. ut ab lucri cupiditate, qua ductae puellas ad libidines et perfidiam instigant, (v. de hac re Athenaeum v. II.,) huic tamen loco vel maxime lenae mentio aliena videtur. Expectamus potius quod in suo genere novum atque insolens habetur. Deinda ipsa v. *tacito* - *min.* collocatio displicet, si haec in abl. abs. accipiuntur. His igitur caussis adductus *tac. ministro* in tertio casu positum a v. *permis.* dependere credo. In v. *lena* mendum cubat. Libri variant. Alii *leva*, quod H. Voss. in *laeva* correxit, expon. per subst. stoliditatem, sinisteritatem. Cui quidem rationi non usus modo linguae, sed sequens etiam vers. refragatur, in quo praedicatum continent verba *ut ederet.* Alii: *saeva*, unde Muret. *saepe*, non prorsus incommode. Scaligeri coniect. *vela* servarunt Vulp. et Br., uter-

Tu mihi iurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem;
Non, tibi si pretium Campania terra daretur,
Non, tibi si Bacchi cura, Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera coelo
Lucere, et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas; at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.
Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellae?
Sit, precor, exemplo sit levis illa tuo!

que diversa, neutra tamen apta interpretatione. Santen. tent. *lora;* Huschk. *frena,* quamquam in Analectis l. c. in vulg. acquiescendum censet, hyperbaton exemplis e Tib. II, 3, 14. aliisque petitis illustrans. In v. *lena* verbum, si quid video, latet, quod a *perm.* dependeat, et ad formam loquendi Tibullo frequentem, v. c. *dedit posse* et sim. accedat.

31. *Tu* Beroll. 1. 3., duo ap. H. Voss., Zwicc. 1. 2. ex edit. pr. aliisque vet. cum H. Vossio restitui. Gravius hoc opponitur pr. *ego* in vs. 21. Vulg. *tunc* unde orta sit, facile apparet.

33. *tota*, pro *terra*, in Perrei. Exc., Corv. Berol. 4. a m. s., Guelf. 2., Mon., ab iis profectum, qui ignorabant, nomina propria, adiectivorum forma adscita, substantivis addi solita fuisse. Quae quidem forma inde caussam ducit, quod illa propria nomina apud antiquissimos vere adiectiva habebantur, ideoque subst. *terra* vel sim. adiungebantur. cf. *Celtiberia terra*, Catull. 39, 17. Plura congesserunt Vulp. ad h. l., Meurs. ad Lycophr. 496.

35 sq. Tuarum obtestationum vis tanta est, ut ipse invitus credere, quod verae rerum naturae contrarium sit, cogar. *'Αδύνατον* illud declarat in vv. *non sidera lucere*, et *fulmen non pura luce micare.*

39 sq. Voluit hoc poëta: Tu, puer, quamquam ipse amas et igitur tibi metuendum, ne idem quo meum perturbas animum, crimen in te ipsum admittatur ab amica, fidem mihi fallere ausus es; quid durius et crudelius in me committeres, nisi amore puellae flagrares! Haec scilicet tam vano et levi in te sit animo, qualem in me tu exhibuisti. In Vat., Angl. B. Pal. 1. 2. Hamb. Voss. 1. 4. *facerem* i. e. quantopere ulciscerer te, nisi ipse amares puellam. Nunc nihil amplius volo nisi precari, ut illa aeque levis et fallax in te sit, ac tu mihi fuisti. Sic cum ed. pr. aliis

O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Saepe insperanti venit tibi munere nostro,
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii stulte confisus amari;
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam;
At me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, et liquida deleat amnis aqua.

que vett. H. Vossius. Minus hoc ex animo Tibulli videtur dictum. Nostram tuentur praeter alios ap. Br. et Stat. Pal. 6. Angl. C. D. Beroll. 2. 3. et 4. a m. s. Zw. 1. 2. Guarn., Bern., Voss. 3. 5. Mon. In aliis: *faciam*, vel: *dicam quod ut ipse*, sic Vat. unus, Pal. 3. 4. Comel. *sit levis* testantur Beroll. 2. 4. [non 1. Vossio nuntiante] Voss. 5. Vind., Bern., Zw. 1. 2. Ceteri: *Sed pr.* aut *sed levis* praebent. Illud ed. pr. cum ceteris edtt. vett., idque non inepte. Collocare quoque *sed* ab initio alterius pentam. partis amat Tib., cf. III, 5, 28.

43. *venit* sc. puella e cubiculo per aedes progressa, *mun. nostro* i. e. me permovente, ut ad fores procederet, unde amatorem in cubiculum perduceret. *Adop. latuit post f. cl.* sc. intra aedes. Nam apud Romanos forium valvas intro verti solitas fuisse, inter omnes constat. H. Vossio expl. puellam velato capite ad amantis aedes venisse, a quo intromittatur voluerit, nemo accedet suffragio. Qui ante fores adstat, non dici potest latens post fores.

46. *Nam* probandae in verbis *stulte conf.* declaratae sententiae inservit, neque mutari necesse est in *Ah*, quod e coni. H. Voss. reposuit. Idem v. d. *isse* pro *esse* dedit, *poteram* expl. *possem*. Quam male tamen praet. *isse* verbo conveniat, non est, quod prolixius demonstretur. *Caut. esse ad* quid, sign. adversus aliquid, sive ad vitandum aliquid. Simil. *ad tela protecti* Virg. Aen. II, 443.

47. *mente attonita* sc. percussa, forma et elegantia pueri. Mox part. *At*, qua vis oppositionis gravius significetur, non mutare velim cum H. Voss. in *Ut - pudet!* v. I, 5, 19.

49 sq. Carmina sua laudes pueri complectentia sive igne, sive aqua aboleri vult poëta. De proverbiali hac loquutione cf. Hor. I, 16, 3 sq. Nostr. v. 12.

Tu procul hinc absis, formam cui vendere cura est,
 Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
 Rideat assiduis uxor inulta dolis;
Et, quum furtivo iuvenem lassaverit usu,
 Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
 Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
 Pocula, vel plures emeruisse viros.

51. *formam cui* e Scalig. Exc. Broukh. restituit, quem cum Voss., Wund., sequutus sum. Acc. Voss. 1. 5. 5. Haec quidem collocatio vulgari: *cui form.* praeferenda, propterea quod verbum, cui pondus inest maius, post caesuram tertii pedis poni solet, cf. I, 7, 3. Wund. ad I, 5, 9.

52. *plena* m. v. ad I, 5, 68.

54. *inulta* nihil mali et damni sibi contrahens, cf. I, 6, 48.

57. Fuerunt, qui initio versus offensi corrigerent: *Sint ext. tuo semper*, ut Aldd. et Venet. Citra necessitatem. Alios huius generis versus haud insolentes optimis poëtis demonstravit Burm. ad Lotich. p. 266. cf. ipsum nostrum v. 61.

59—64. Omnes, quae perfidiae culpam sibi contraxerunt et libidinibus famosae habentur, tua coniux temulentia et adulterio superet.
plura sc. quam uxor tua. *vel* Angll. A. B. C. D.; Beroll., novem H. Voss.; sic Aldd., Vulp. et recentt. Qui disiunctivae part. inesse vim negativam negabant, correxerunt *nec* e vs. ant., quod Scal. et Broukh., vel *quam*, quod ex uno Stat. et Vat. perperam defendit Heins. ad Ov. Her. VI, 138. Muretus: *quam pl. haec meruisse*. Illud *quam* saepius a librariis post comparativum, quem absolute positum nesciebant, esse intrusum, exempla docent. v. Hor. I. Ep. 4, 9. Ceterum tritissima est observatio, part. disiunctivas, *vel*, *aut*, praecedente negativo membro, ipsas accipere vim negandi. Hor. I, 4, 3. Prop. IV, 11, 51. 53. Quapropter de nostro loco perperam dubitavit Lachm. ad Prop. p. 319.

61—62. ad eandem illam sororem referendi, de qua in 59 sq. agitur. In pedestri oratione sententia pronom. relativo conti-

Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
 Dum rota Luciferi provocet orta diem;
Illa nulla queat melius consumere noctem,
 Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit; nec tu, stultissime, sentis,
 Quum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines,
 Et tenues denso pectere dente comas?
Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
 Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu.

nuanda erat ita: *quam ferunt*, s. dicunt. Coniunctivos *dicatur* – *queat* sensu imprecandi accipiendos esse, facile observandum, quum negativam loquutionem in affirmativam resolverimus: Tua coniux primum inter temulentas, lascivas locum obtineat, et optime nequitiis noctem consumere sciat.

64. Wund. ex Aldd. aliisque edtt. vett. *Atque*.

65. Heins. in marg. Raph. *Hac* pro *At* maluit. Intelligi necesse esset: Per sororem. Vulg. autem bene servatur, transitum ad aliam personam faciens.

67. *pro te* raro usu dictum, pro *tibi, tibi placitura*, ut IV, 6, 3.

68. *Et* ex uno Flor. a Broukh. receptam cum Voss. Wund. dedi. Idem in apogr. novem Vossii an exhibeatur, vehementer dubito. In Ber. 1. cum ceteris: *Aut*. Quod quam parum conveniat, ipsa docet sententia. *dente* sc. pectinis, quod facile ex praec. *pectere* eruitur. *denso* expl. Wund. densis dentibus, nisi ad ipsam pectinis materiem referre malis. Claud. X, 102. *haec morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat.*

69. *Ista haec* per ironiam dictum pro: tua tam deformis facies *persuadet* movet, ut vinc. *auro* aureis armillis cet. Fea ad Hor. I. Epist. 7, 10. dicit: Ex mss. legas: *Illita* pro: *ista haec*, cl. Plin. Hist. XXIX, 3. *facies ipsa illita.* Vulg. maior inest gravitas. *prodeat Tyrio sinu* exquisit. pro: vestibus purpureis. Ad constr. cf. IV, 2, 11. *Tyria procedere palla.* Prop. I, 2, 1. *ornato procedere capillo.* Nisi *apta* ad *sinu Tyr.* referre malis. Broukh. in anecdotis proponit: *Tyrios – sinus*, forma graecissante Tibullo parum usitata.

72. Lipsius corrigere volebat: *teque* pro: *remque*, favente Dousa et Broukh. propter Prop. II, 8, 14. *Improba, qui tule-*

Non tibi, sed iuveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer; hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tum flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo.
At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat, et grata sis, Dea, mente rogat.

rim teque tuamque domum; quod tamen parum hic valet. Vulgatam tuetur Ovid. Her. XVII, 159. *Resque domusque Et tibi sit curae Troïus hospes, ait.*

73 sq. Quod iuvenis alicuius amore insaniens tua coniux totam rem familiarem perdere mavult, id quidem non animi pravitate et libidine facit, sed odio mariti senio decrepiti et podagra confecti.

75 sq. Istius sane turpissimi senis amori sese dare potuit puer meus. *hunc* sc. puerum. Sensus: in asperrimos homines illum amore incendi posse credam.

77 sq. Lucro percepto alios sic amas, ut unice me debebas. *meas* mihi debitas, ut *mea* vs. seq.

79. *Tum* ex edtt. Ven. aliisque cum Voss. edidi. Sic Zwicc. 1. 2. v. ad I, 1, 21. In ed. pr. et Lips. *tu.*

80. Berol. 1. 3 et 4. cum aliis: *regno regna.* Ber. 2. *regno bella.* Broukh. coniecit: *sceptra.* Bene vulg. defenditur; regna enim tenere dicitur in rebus amatoriis, qui excluso rivali solus potitur puella. *Gremio* vindicat Lotich. II, 9, 90 sq. et Fr. Marius Molsa, t. I. p. 44. *Et gerit in gremio commoda nostra suo.*

83 sq. Brevem clypeolum titulo inscriptum, propr. dict. *palmam* dedicat tibi, Venus, Tibullus, rogatque, ut benigne illum accipias. Hanc autem allegoriam poëta petiit a ritu, quo e naufragio servati tabulam templo Dei servatoris affigerent. cf. Hor. I, 5, 13 sqq.

ELEGIA X.

ARGUMENTUM.

Pugna ad Actium a. 723. commissa Messala contra rebellantes Aquitanos mittitur. Cui quidem expeditioni ut sese adiungeret Tibullum evocasse videtur. Hic enim Roma profecturus hanc scribit elegiam. Detestationibus militiae eiusque caussarum laudes priscae aetatis subiicit — 14. et ad Lares, ut se in militiam abreptum servent, vota ac preces facit — 28. Ab omni gloriae cupiditate alienus eorum insaniam castigat, qui mortem ipsi accelerent et voluptatibus finem imponant — 38. Rusticàm vitam cum tranquillitate ad extremam usque senectutem transigendam sibi optat — 45. et laudibus pacis interpositis, ut sibi quoque illius commodis frui liceat, enixe precatur.

De tempore, quod huic carmini attribuendum, satis constat. In cohorte Messalae Aquitanos debellantis Tibullum fuisse, docet I, 7, 9. Igitur, si paullo ante profectionem scriptum nostrum carmen, ad annum 724. hoc esse referendum, in promtu est videre.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tum praelia nata;
Tum brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit; nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.

1 sq. Simile initium v. III, 2. Imitatus Nostrum Jan. Sec. II, 11, 24 sq. *Ah pereat, duros qui primus protulit enses, Ille fuit ferro durior ipse suo.*

3. *tum* pr. — *Tum* br. e libb. Angll., Beroll. 1. 2. 3. Corv., Guarn. aliisque cur vulgatae: *tunc* - *Tunc* praetulerim patebit ex not. ad I, 1, 21.

5. H. Vossius: *Ah* ex Hamb. *Ha.* Et sane, si quid mutari opus esset, hoc praeferri mallem, quippe quod laetanti magis convenit, quam *At*, quae interiectio est dolentis vel exsecrantis. De quo discrimine v. Fea ad Hor. Epod. V, 71. Vulg. autem non sollicitanda.
At, nulla negatione praecedente, ap. Tibull. usurpatur, quum ipse priora dicta correcturus ad novam a priori diversam sententiam transit, cf. II, 4, 21. Plura de vario huius part. usu disput. Torrent. ad Hor. Epod. V, 1. Burm. ad Anth. Lat. t. II, p. 555. ad Lot. t. I. p. 180. Saepius orationi continuandae inservit, hinc factum, ut in copulativam *et* vel *ac* mutandam censerent intpp., v. I, 10, 41. Virg. Georg. I, 58. *miser* tamquam immerito accusatus.

6. *quod* propr. *quos* sc. enses; constructio ad sensum et poëtis et prosaicis scrptt. admodum usitata. Exemplis illustr. Burm. ad Anth. Lat. t. I. p. 549. Cort. ad Sallust. Cat. 51.

7 sq. Non armorum inventio, sed auri cupiditas et luxuria erat bellorum caussa. Haec non gerebantur, quum vitae conditio erat simplicior neque opes quaerebantur.

Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes;
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.

9 sq. Nisi *arces* in genere accipias de castellis et munimentis, quae arcendis hostibus in locis editioribus exstruuntur, possit etiam de murorum turribus intelligi, ut Ov. Met. XI, 509. *Cum laceras aries balistave concutit arces; vallus* e. munitio ex vallis, sive singulis stipitibus. Heinsius ad Ov. Am. I, 14, 15. postque illum Mitsch. coniec. *aries*, ut duo diversa essent genera, oppugnandi alterum, alterum munitionis. Stat. et Guyet. malebant: *acies*, ut I, 3, 47. Parum apte. Non satis caussae est, cur tentetur vulgata. Idem quod contenderim de v. *varias*, quod unanimiter scripti et impressi habent. Heinsii emend. *saturas* Broukh. in text. intulit. Cum Richtero [specim. obss. p. 44. Jen. 1713.] Heynius malebat: *securas aries*. Optime vulg. se habet, modo ne *versicolores*, sed *diversas colore*, albas, nigras cet. interpreteris cum Vulp. H. Vossio, aliis. Ut tamen, quid sentiam, fatear, me nondum rationis in Epist. p. 14 sq. propositae poenituit, qua *varias* de ovibus late vagantibus et secure huc illuc pascentibus acciperetur. Securitatem certe commodius hic memorari quam colorem mihi persuasum habeo. cf. Virg. Ecl. IV, 22. Calpurn. I, 37 sq. alia in Epist. l. c. *Varius*, *variare* de liberiore motu, agitatione usurpari, docent loca illic apposita. Saepius verb. *variare* corrigendi ansam dedit. In Cat. Epith. 276. *variantes* pro *nutantes* bene revoc. Ast. in Anth. p. 195. Idem verb. restituendum puto Ovid. in Fast. IV, 429. ubi ex corruptela *verant* facile *variant* invenitur, quod ipse Ov. III, Trist. 12, 7. confirmat.

11. Broukh. ex Heins. emend. *foret dulcis*; sic Voss. 3. 5. H. de Bosch. in obss. ad Anth. 1810. p. 431. *frugi*. Heynio placebat nomen amici poetae substitui: *Valgi*. Est tamen, quo librorum scripturam defendas. *arma vulgi* i. e. quae insipientibus, dementia et furore abreptis hominibus conveniunt. Quum vero in hac ratione facile quis de bellis civilibus cogitare possit, ut H. Vossio accidit, consultius mihi videtur *vulgi* de militibus gregariis interpretari. Notus est λαός ex Homero. v. Brem. ad

Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares! aluistis et îdem,
Cursarem vestros quum tener ante pedes;
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.

Nep. Alc. VIII, 1. Non secus sentit Klindw. De constr. *Tunc - foret - nec* cf. I, 6, 37. Verba conditionaliter, non ad optandi modum, enuntiata accipiantur. Si vixissem illo tempore, quum bellum erat nullum. *Foret* pro *fuisset*, etiam Phaedr. V, 5, 10. ibi Burm. et omnino imperfecti coni. usus, ubi aliarum linguarum ratio plusqu. coni. postulat, satis vulgaris. Wund. in ed. min. laudavit Hor. Sat. I, 8, 34. Tib. II, 3, 26. Suet. Caes. 30. Klindw. Tibullum eodem rerum statu etiam nunc ut vivat optantem facit. Cui quidem rationi plusq. *nossem - audissem* adversantur. *micante* libri Stat. Pal. omnes, Com. Angl. E. Ber. 2. cum aliis ap. H. Voss. afferunt. Aliquot ex interpretamento: *tremente*. De qua varietate v. Ov. Met. IX, 37. Art. III, 722. Her. I, 45. ibi Heins.

13. Heins. ad marg. ed. Raph. *iam iam* pro: *et iam*. De syll. *or* in *trahor* in arsi producta v. ad I, 7, 61.

15. *îdem* cum Statio e vett. mon., Sfort; Beroll. 1. 2. 3. aliis Wund. reposuit. Bene. Hanc enim contractionem in scriptura aureae aetatis scrptt. familiarem fuisse, docent optimi codices mss. in Virg., v. c. Aen. VIII, 639. VII, 70. Hor. I. Epist. 1, 71. Sic *Dî*, *Dîs* in eisdem libris exaratur, v. Aen. VII, 229.

16. H. Voss. *Cursabam*. v. ad I, 2, 14.

18. *Sic* e. sic facti, exigua materia ficti.

19 sqq. Quamvis pauperior tunc erat Deorum cultus et simplicior sacrorum faciendorum ratio, maior tamen fides et pietas inter homines florebat.

Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela!
Hostia erit plena rustica porcus hara;
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis! Alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.

Tenuere Heyn. cum aliis ad deos referebat, nimis contort. et refragante *lign. d.* in vs. seq. Aptius subintelliguntur homines. Pariter nude positus est plur. Tib. I, 3, 35. *vivebant*. Mecum faciunt Voss., Bauer., Wund. in ed. 2.

20. *aede* e. templo, ad optimorum script. canonem, quo singul. illius vocis de templis Deorum, plural. autem de domibus privatis ponebant, doc. Bentl. ad Hor. II, Ep. 2, 92. Hic ceterum de sacello in agris constituto agi, nemo negabit, qui seqq. accurate perspexerit.

23 sq. Ad orationem variandam usus est: *Atque* – *Postque*, ne saepius *Seu* recurrat. *ipse* oppos. *filia parva*. Plurimi libri et scripti et impressi: *ipsa*, quod vi intendendi ad *liba* male convenit. Exigua enim sacrificia hic memorantur. Nostram a Dousa et Broukh. revocatam tuentur novem ap. H. Voss., Berol. 4. a m. s., Zw. 1. 2.

26. Pro *rustica* aliquot libri et ed. pr. *mystica*, quoniam de Cereris sacris cogitabant, fav. Drack. ad Liv. I, 25. At vero Ceres h. l. prorsus aliena. Laribus etiam porcum sacrificari, v. Hor. II, Sat. 3, 164. Iungendum esse *porcus plena hara* i. e. quae est in pl. hara, bene Klindw. monuit. *Erit* absolute posit. pro: cadet, mactabitur.

29. *Sic*, sacrificiis parandis operatus. Hanc particul. sic nude positam ubique e sententiarum nexu explicandam esse, docet vs. 18. et 43, quo loco interpr. in tali vitae conditione, qualem descripsi.

Quis furor est, atram bellis arcessere Mortem!
Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae;
Illic perculsisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem, prole parata,
Occupat in parva pigra senecta casa!

33. *aliam* pro: *atram* in notis marg. Luc. Langermanni coniicitur. Non opus. Vis enim in v. *arcessere* cadit. Hoc verbum Pal. 6. Berol. 1. cum aliis testantur. Plerique: *accersere*, sic edtt. pr. et ceterae ante Scalig., perpetua fere commutatione, v. Fea ad Hor. I, od. 5, 7. intpp. ad Sil. I, 264. Ad nostr. facit Plin. I, ep. 12. In iis, quos *arcessita* mors cet.

34. Ad sent. comp. Lotich. II, 2, 70. — *clam tacito mors venit atra pede.* De copia in vv. *clam tac.* v. I, 5, 65. H. Voss. *ipsa* ex uno cod. intulit, parum opportune. Eadem ipsa notio vel verbo *Imm.* declarata est.

37. *perculsis* e Pal. 2. cum H. Voss. et Bauero dedi, expl. perturbatis, eversis sc. a rogi flammis, non, ut Voss. malebat, metu mortis attonitis. Scalig. e suo libro *perscissis* in edit. 1607. 1622. recepit. In priori 1582. e coni. *percisis.* Vulg. *exesis* mera est Heinsii correctio, satis diversa ab lect. plurim. libb. *percussis*, quam edtt. vett. exhibent. Nihil frequentius permutatione vv. *perculs.* et *percuss.* v. Bentl. et Fea ad Hor. Epod. XI, 2. [ubi cum Mitsch. et Fea *perculsum* praefero.] Burm. ad Anth. lat. t. I. p. 81. Longius abeunt Marcland., qui ad Stat. V. Silv. 3, 104. *semustis*, et Lenz., qui *exustis* coniecit. Goerenz. *peresis*, quod metro adversatur. Klindw. *exesis* interpr. de genis eorum, qui lenta morte absumti ad maciem redacti sunt, laud. Stat. II. Silv. 1, 154. Sil. II, 466. Broukh. in notis marg. appos. Sen. Ag. 764. Luc. II, 73. Aen. VI, 495.

38. *Errat ad* H. Voss. expl. *accedit ad*, quod vix linguae usu probandum. Nostr. illustrat Virg. Aen. VI, 443. *Centum errant annos, volitantque haec littora circum.*

41. *at* servandum censui, v. ad v. 5. In Corv., uno ap. H. Voss., Angll. C. D. *et*, quod approb. Hand in obss. ad Catull. p. 67. Alii: *ut*, vel *ac*.

Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
 Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
 Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat; Pax candida primum
 Duxit aratores sub iuga panda boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
 Funderet ut nato testa paterna merum.

43. *canescere* aliquot libb. pro: *cand.* utrumque interdum confusum. At vero in Catull. 64, 13. e melioris notae libris recipi debuit *incanuit* pro *incanduit*. Illud Broukh. perite ex Ovid. Her. III, 65. defendit: *Quam sine me Phthiis canescant aequora remis.*

46. *aratores* e Lipsii libro, Pocchi Excerpt., duobus Voss., duob. Vatic., fav. Dousa cum Broukh., Wund. 1., Lips. 1812. et Bauero exhibui. Vulg. *araturos*. Dicebant patroni vulg. script., quo tempore Pax cand. duxerit boves, nondum *aratores* fuisse, sed *araturos*. Nemo contra rem ipsam loquetur. At meminerint vv. dd., substantiva in *or* desinentia, quae per appositionem aliis adiunguntur, non eum designare solum, qui rem vere tractat et exercet, sed qui ad aliquid faciendum idoneus, destinatus est. Exempla loquutionis congesserunt Broukh. ad h. l. et Brem. ad Nep. Ages. IV. Potuit quoque vel per prolepsin *aratores* dici, de qua Schaef. ad Greg. Cor. p. 533. Receptae patrocinatur Orph. h. in Cer. XL, 8. H. *πρώτη ὑποζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα* int. Ceres. Accessit etiam ad nostr. Gierig. ad Ov. Fast., I, 698. *taurus arator.*
panda duc. Florent., Lips. Excerpt., Berol. 2. cum Vossio reposui. Exquisitius hoc vulg. *curva*, quae quomodo in textum venerit facile intelligitur. Saepius *pand.* in *curva* per interpret. abiit, nec vero hoc in illud. v. Ov. Met. X, 713. Amor. I, 13, 16. *Prima vocas tardos sub iuga panda boves*, ubi Burm. *panda* restituit e *curva*. cl. Art. I, 318.

48. E Scalig. Exc. quae *nitet* afferunt, Broukh. *nitent*, praeeunte Guyeto, finxit, quem Vulp. secutus est. Perperam vv. dd. commiscebant loca Ovid. Fast. IV, 927 sq. Am. I, 8, 51. a nostro diversa. Optime v. *vigere* metaph. de iis rebus usurpatur, quae frequenti usui sunt, exercentur. v. ind.

Pace bidens vomerque vigent; at tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse
 Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tum bella calent; scissosque capillos
 Femina perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
 Flet, sibi dementes tam valuisse manus.

51 sq. Verba ita expedias: Rusticusque male sobrius plaustro vehit ipse e luco uxorem progen. dom. H. Vossius, suasoribus Carrione ad Val. Fl. III, 293. Barth. ad Stat. Theb. IX. 587. et Heinsio, [nec vero Fruterio,] qui *e luco revehit* malebant, lectionem concinnavit: *Et luco revehit.* Non tamen audacior part. *que* positura offendere debebat. v. ad I, 1, 40. Ad ritum sacra faciendi in lucis cf. Hor. I, od. 4, 11. Aen XI, 740.

53. *tum* ex Angll. C. D. aliisque ap. H. Voss. reposui praeeunte Vossio. v. ad I, 1, 21. Pro *scissos* Pal. 2. *fusos.* Vulg. vindicat Ov. Her. III, 79. *Neve meos coram scindi patiare capillos.* De *bellis* Veneris cf. Hor. IV, 4, 1 sq. Prop. III, 5, 24.

55. Scal. addicentib. nonnullis libb. *suffusa.* Vix tamen absolute dicitur *suffundi* pro: lacrymis suff. Elegantius simulque gravius designat vulg. verbera, quae applicantur, quamquam non ad insani modum.

56. *dement. manus* poetica adiectivi transpositione pro: sibi dementi. cf. *stultos dies* I, 4, 34. *perversa manu* Prop. IV, 8, 64. cl. Hor. I, od. 17, 26. Berol. 4. *convaluisse.*

58. In nonnullis codd. *laetus,* etiam Pal. 3. 4. Berol. 3. Quod verum esse dicerem, nisi recepta exquisitior esset atque saepe corrigendi ansam dedisset, v. IV, 11, 6. Heins. ad Ov. II. Trist. 514.

60. *et* coelo H. Voss. adspirantibus libb. Reg., Witt. 2. Colbert. Angl. A. C. D., Sfort., Vatic., Berol. 2. 4., quatuor ap. ipsum, in textum admisit, expl. adeo, immo vel. De praep. omittenda attulit Virg. Georg. II, 242. Hor. Epod. V, 46. alia. Quae quidem omnia nihil ad nostr. l. faciunt. Vere et graviter praep. *e* h. l. posita, quoniam ad gigantum atrocitatem et impietatem respicit poëta. Illos autem conatos fuisse, *e coelo* extur-

At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
Ah lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat! e coelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem praescindere vestem;
Sit satis ornatus dissoluïsse comae;
Sit lacrimas movisse satis; quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.

bare, nec tantum coelo deorsum movere et trahere, fabula est pervulgaris. *Et* vel ideo reiiciendum, quod lector facile inducitur, ut proxime praec. *verberat* annectat.

61. *Praescind.* Pal. 6., Passer. lib., Guelf. 1. Mon. Sic Venet. Approb. Gebh., Broukh. in script. marg. [laud. Pass. in Prop. p. 267.] Heynio recep. Wund., Klindw. Designat anteriorem vestis partem, ut alia cum *prae* composita verba. Vulg. *rescindere* ex ingenio Heins. primus contextui intulit Br., suffrag. Voss. 1. 3. Vind., minime Berol. 1. qui cum ceteris fere omnibus *perscind.* exhibet. Quomodo autem *praesc. e* constare possit, nemo expedivit. An fortasse Albius scripsit: *huic* m. De dativo, in poetarum oratione saepius pro genitivo obvio cf. I, 8, 33. *Huic* – *humero*. E compendiaria scribendi forma ic̄ facile *e* nasci potuit, nisi potius e super. versu oculorum aberratione hic intrusum dixeris. Berol. 4. *teneram.*

62. *ornatus* – *comae* Scal. e suo aliisque ap. Br., Stat., Voss., Beroll., Pal. 6. hanc lect., propterea quod vis voci *ornatus* maxime convenit, cum Heynio et Wund. servavi. Alii libri: *ornatas* – *comas;* sic ed. pr. In aliis: *ornatus* – *comis*, quod Gebhardo arridet.

64. H. Voss. Dousae emend. *Quoi* cum Br., Vulp., Heyn., exhibuit, firm. quatuor Voss., Vindob. Mon. Quamvis non insolens est constructio verborum *flendi* cum tertio casu, v. Tib. II, 5, 103. Prop. I, 12, 15., non tamen credam, illam dativi formam a Tibulli manu profectam esse, quippe quae alias non occurrat. Revocavi igitur cum Bauer., Wund., Klindw. libb. scripturam: *Quo.* Verba lugendi, dolendi cum ablat. iungi posse, vel e graecae linguae analogia colligitur, ubi genitivus istis verbis interdum addi solet. v. Wund. in obss. ad Aesch. p. 124. De v. *potest* v. index

Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat, et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto;
Profluat et pomis candidus ante sinus.

65 sq. Sensus: Militiam satis duram et molestam exerceat.

68. *Profluat* e Florent. aliisque ap. Stat., Perrei. Exc., Guelf. 2., marg. ed. Gryph. 1534. Ang. Colot. cum Vossio, Bauero recepi, censens, dignam esse lectionem poëta. Pax Dea largam pomorum copiam e sinu defundens fingitur, ut Autumnus ap. Hor. IV, 7, 10. Similis est Copiae, Abundantiae delineatio. *Profluere* de sinu vestis, fructibus repletae, convenientius mihi dictum videtur, quam ieiunum *perfluat*, quod e plurimis libb. et edtt. vett. Wund. Klindw. revocarunt. Aliquot: *praefluat*, cui favet Mitsch. ad Hor. l. c. Mihi quidem ideo displicet, quod *prae* verbis motum aliquem significantibus plerumque notionem vocis *praeter* nanciscitur. Heins. emend. *Perpluat* a Br., Vulp., Heyn. receptam nemo, ut equidem puto, in posterum revocabit, quamquam in Voss. 4. 5. Bern. exstat. *Pluere* et *fluere* frequenter mutatum. v. Heins. ad Ov. Met. I, 572.

ALBII TIBULLI
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.
ARGUMENTUM.

Tibullus ad praediolum suum reversus agrorum et frugum lustrationem *) instituit. Qua quidem indicta Bacchum et Cererem, in quorum honorem illa agitur, advocat — 4, et omnibus, quae festo die observari deceat, praeceptis — 16. ad Deos facit preces, quas ratas fore faustissimam e certis indiciis

*) *Ad quod sacrificium hic spectat Tibullus, ambarvale inde dicitur, quod victima arva ambiebat. Mense April. patresfamilias unusquisque in agro suo illud facere solebat, ut sibi agrorum ubertatem gregumque fecunditatem a Diis peteret. Victimae pro rei familiaris conditione erant diversae. Solenne sacrificium a fratribus XII ambarvalibus dictis faciendum sue, ove, tauro constabat; quae victimae ter circum arva ducebantur. Quibus deinde immolatis vino et lacte libare solebant. v. Virg. Georg. I,* 338 *sqq. ibi Voss, Macrob. Sat. III*, 5.

spem concipit — 26, quam ob caussam ad diem hilariter agendum excitat haud immemor Messalae, quem et ipsum adesse vult — 36. Recensitis Deorum agricolarum laudibus, quam digni illi sint qui carminibus celebrentur, docet — 80, et, ut diem lusibus iocisque Amoris peragant, suos hortatur.

De tempore, quo referendum sit hoc carmen, constituendo monet vs. 33 sq. Hic enim triumphi, quem a Messala a. 727 de Aquitanis deportatum fuisse constat, mentionem facit Albius. Vix igitur dubitare licet, quin carmen nostrum a. 728 et quidem vere ineunte sit compositum.

Quisquis ades, faveas! fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis; nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

1. Praeconis partes suscepit Albius, populum praesentem alloquens et silentium imperans. *fav.* plenius alibi, *animis linguisque favere,* cf. II, 2, 2. Ov. Met. XV, 677. Arist. *Θεσμοφ.* 40 sq. *Εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς, Στόμα συγκλείσας.*

5—8. Opera rustica cessent, neu amplius premantur iugo boves. Vel ex his vss. colligere licet, sacrum a Tib. non mane esse factum, sed ad meridiem. Exiguum agrorum spatium ut circumiretur, non totus dies consumendus fuit. Familia Tibulli matutino tempore operibus solitis occupata fuisse videtur. Nostrum ob oculos habuit Ovid. Fast. I, 663 sqq.

7. *iugis* tertio casu accepit Heynius, expl. demite iuga. Ego tamen cum Wund. pro ablativo habere malim e ratione poëtis accommodata. cf. Virg. Ecl. IV, 41. Aen. IV, 479. Aptior mihi videtur Heyn. ratio in vs. 28.

9. *Omnia* omnes agrestes, in agro degentes. Nihil amplius. *non audeat* sensu iubendi, ut Hor. Sat. II, 5, 91. ad modum gr. optativi cum voce *οὐ*, *οὐκ* coniuncti, v. Hom. Il. II, 250. Matth. Gr. p. 723.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Quîs tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.

11. Iunge: *Iubeo quoque.* v. ad I, 2, 15. Non semper haec particula suum obtinet locum, quapropter non suffragari velim Bremio, qui ad Nep. Ages. VI, 2. contendit, transpositionem huius vocis librariorum inscitiae deberi. *discedite - Quîs* a Mureto et Broukh. revocatum firm. Voss. 1. 2. 5. Zw. 1. 2. In Berol. 1. 2. 4. *discedat - Cui;* sic ed. pr., Ald. 2. plur. libri et scripti et impressi. Berol. 3. cum aliis: *discedite - Cui;* ut Ald. 1. Venet.

16. Comitatur hostiam Tibulli familia oleagineis sertis coronata. Observes delectum verborum in rebus sacris propriorum: *Casta*, *pura*, *sacer*, *candida.*

18. *pellite* i. q. alias averruncate. cf. *pellere crimina* Ov. Trist. V, 14, 25. cl. Met. XV, 588. In Flor., Pass. libro, Guelf. 2. *tollite* Recepit H. Voss. Male. Perpendatur animo, quomodo differant *pellere* et *tollere* de loco mala. Nostram vindicat Ov. Fast. VI, 129. Utrumque alibi quoque permutatum, v. Hor. II, Epist. I, 136. Sat. II, 1, 110. Burm. ad Ov. Rem. 115. De v. *eludere* v. Heins. ad Val. Fl. VII, 229.

20. *segnior* pro vulg. *tardior* e cod. Sfort., Scalig. Exc., Witt. 2. ap. Br., Angll. B. D., Beroll. 1. 3. cum Scalig., Broukh., Lut. Par. 1723., Vulp., Vossio, ut exquisitius reposui. Unde orta sit vulg., non est quod demonstremus.

21—24. Omnibus ab agris depulsis malis quum seges messem non eluserit, sacrum hilariter offeret rusticus pro agrorum proventu. Ceterum de sacro ante messem faciendo agi, docet contextus et Virg. Georg. I, 347—50. *plenis* sc. fructu nondum demesso. Scalig. *areis.* Guyet. et Heins. *horreis.* Neutrum satis placet, neque necessarium. Santen. ad marg. ed. Br. coni. *annis.* laud. Ov. Met. VIII, 273. *pleni successibus anni.* Val. Fl. V, 924. Burm. ad Prop. IV, 8, 14. *Clamantque agricolae: Fertilis an-*

Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.

nus erit. Nimis longe petita est haec emendatio, neque huic loco conveniens. Nihil mutandum in vulg., dummodo sensus recte intelligatur.

23 sq. Vernae ludentes a domino pro bonis signis habentur. *ante* absol. positum, ut I, 1, 14., fefellit librarios, ut in *arte* corrumperent, quod iam Scalig. e suis libris correxit. Vulg. tuentur compl. ap. Stat. et Vossium; Angll. A. C. D. E. Beroll. 2. 3. et 1. 4. a m. pr. Subint. *focum.* Alii de puerorum ludo, casas aedificandi, cogitantes *arte* defendunt, ut Bauerus, comp. Hor. II. Sat. 3, 247. Hoc tamen a nostro alienum puto. *Casas ex virgis* i. q. *frondeas casas* ap. Ov. Fast. III, 528; sunt umbracula, pergulae, sub quibus potarent et luderent. Aliis quoque festis diebus illius modi umbracula faciebant. H. Voss. e vestigiis cod. Bern. dedit: *construet*, quoniam *exstr.* non nisi de altioribus aedificiis dicatur. Alia vero docet ipse Tib. II, 5, 99.

25. *Viden' ut* formula ad res, quibus quid probetur ac confirmetur, designandas exquisita, qua nunc unum, nunc plures alloquuntur, sive praesentes adsint, sive esse fingantur. Noster, cf. II, 2, 17. coniunctivum, Catull. autem indicat. adiunxit, v. 61, 77. 62, 8. neque aliter Virgilius, v. Aen. VI, 780. *nuntia* i. q. locuta, ap. Prop. IV, 1, 104. cf. Ovid. Met. XV, 136 sq.

27 sq. *fumos. Fal.* pro: cados vini Falerni, cui fumo maturitatem contrahere solebant, v. intpp. ad Hor. III, od. 8, 11. *vet. cons.* ad vinum vetustum designandum dictum ex more, quo annus conditi vini Consulum nomine in cado notari solitus erat. v. Hor. l. c. *Chium* cum Falerno miscendi mos est notissimus. v. Hor. I, Sat. 10, 24 sq. *vincla* e. cortex adstrictus pice.

29. *Vina d. cel.* exquisita loquendi ratio, pro vulgari: Com-

Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat;
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia coelitibus.
Rura cano, rurisque deos, quîs vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.

potatione dies celebretur, exigatur. Broukh. in anecd. comp. Virg. Ecl. V, 69. Georg. II, 527. Ad seq. *non festa luce mad.* idem apposuit Plaut. Poen. III, 5, 13. Aul. II, 8, 10.

31 sq. Iunge: Sed quisque ad p. s. dicat: *bene Mess.* sc. valere. cf. Ov. Fast. II, 637. Aliis voci *bene* tertius casus apponitur, ubi intell. *sit.* cf. Ov. Art. I, 601. Plaut. Pers. V, 1. quam ob caussam Scalig. maluit: *Messalae.* Frustra. De ritu in conviviis bibendi in honorem virorum clarorum vel amicorum, eosque nominandi, adeas schol. ad Theocr. XIV, 18. *Εἰώθασι ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, καὶ ἐπιχεῖν τῇ γῇ, καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα. sing. verba* i. e. cuiusque voces, *sonent* sensu trans. pro: compellent. Wyngaard. in Actis soc. Trai. v. I. tentavit: *Omen et absenti* - - cl. intpp. ad Flor. II, 2. p. 211. D.

34. Sensus: qui gloriam a maiorum nobilitate acceptam tuis victoriis auxisti et amplificasti. *Glor. victor* audacius per apposit. ad *Messal.* adiunctum. Similiter Ov. Her. XV, 94 sq. *O decus, atque aevi gloria magna tui! Huc ades!* - - In libris est: *ades*, unde Scalig. *avis* restituit. Hoc enim flagitat epith. *intonsis*, v. Ov. Fast. II, 30. *Hoc apud intonsos nomen habebat avos.* Firmatur, nuntiante H. Vossio, Mon., Vindob., nec vero Goth. In Berol. 3. *victor ades gloria.* H. Voss. *Tu* pro: *Et.*

36. *Redditur* propr. Broukh. in anecd. laud. Virg. Georg. II, 194. Barth. ad Stat. T. II. p. 1101.

37 sqq. Diis agrestibus vitae cultioris initia tribuit. Quaecunque igitur artes illorum beneficio ab hominibus excogitatae sunt, earum inventionem ipsis Diis tribuit. Primum ergo mitior victus illis debetur. *Quîs* e cod. Corv. cum H. Voss., favente Heynio, reposui. Vulg. *his* non ferri potest seq. *Illi.* Pronomina sic invicem opposita ad diversa respiciunt subiecta. *Quîs*

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum domuisse feruntur
Servitio, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc insita pomus;
Tum bibit irriguas fertilis hortus aquas;
Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores,
Mistaque securo sobria lympha mero est.

expl. *his enim*, ut e grammat. notum. *vita* sc. hominum, pro: homines, v. Burm. ad Phaedr. I. Prolog. 4. ad graec. *βίος*, v. Hemst. ad Lucian. p. 70 sq.

39 sq. Aedificandi ars intelligitur. *domum* plurimorum libb. scriptura, et Beroll. firmata male habuit Broukhusium, qui *casam* e libb. nonnull. intulit. At vero *domus* etiam de tuguriis rusticanis dici posse, docent permulta loca.

41 sq. Aratio et vectura. *dom.* - *Servitio* cum H. Voss. exhibui. Vulg. *docuisse - Servitium;* parum concinne dictum: *Dii feruntur docuisse tauros servit. et supp.* cet., ad quod posterius membrum *tauros* quisque repetet. Adeo ambigue non loqui voluit Tibullus. Immo suavi orationis varietate Deos id, quod docuerunt, ipsos primum facere fingit, quod Prometheus de se iactat, Aesch. 462. *Κἄζευξα πρῶτος* cet. *dom.* testantur Palat. 1. 3. 4. 5., Comel., tres Broukh., Aldin. 1. Colin. Unde Gebhard. lectionem nostram constituit, ex ingenio correctam: *Servitio.* Ceterum in ed. Heyn. — Wund. ne mentionem quidem huius var. factam esse miror. *Primi*, quod cum aliis Beroll. exhibent, propter *feruntur* vix commodum habet locum.

43 sq. Arbores inserendi, et hortos colendi mos significatur. *insita* Lips. Excerpta, Angl. B., ed. Dousae, Broukh., Vulp., Cantabr., Par. 1723., Voss., Bauer. Vulg. *consita* acriter defendit Heyn., quoniam ad prima vitae mitioris initia non possit retrahi insitio. In mente scilicet erat viro bono ars inserendi, qualem describit Virg. Georg. II, 32 sqq. Opponuntur autem arboribus silvestribus et feris eae, quae nunc hortis inseri solebant, unde melior iis natura conciliaretur. De hoc inserendi genere iam Lucret. V, 1360 sqq. et Macrob. Sat. I, 7. loquuti sunt.

45 sq. Vindemia describitur. *tum* firmant Angll. C. D., Corvin. *securo* e. securos et curis solutos reddente, quod vini beneficium saepius commemoratur, v. I, 2, 1 sq. 7, 39 sq. III,

Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
 Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
 Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
 Cantavit certo rustica verba pede;

6. Burm. sec. coniecit: *sincero*, quod quomodo verbis *mixtaque sob. lymph.* conveniat, ego quidem non video. cf. *Lethe secura*, Ov. ex Pont. II, 4, 23. *est* eum Broukh. et Vulp. in fine reposui. H. Voss. more suo eiecit praeeunte Statio. Vulg. *sec. est.*

47 sq. Ad messes respicit poëta. *annua terra* quae quotannis renovatur. Sic Br. cum plerisque intpp. Accuratius autem ad demetendi tempus referas, et pro adverb. quotannis accipias. Hoc saltem poëta dignius.

49 sq. De melle colligendo agitur. Iung. *Rure verno* non quidem propter Hom. Il. II, 89. qui locus a Doering. comparatus Fruterii coniecturam: *vernos flores* firmare possit, sed propterea quod nativa construendi ratio illud postulat. cf. v. 59. Broukh. et alii ad *alveo* retrahere malebant *verno.*

51—54. Cantus et hymni ad fistulam accommodati primum inter agrestes tentati sunt. *satiatus* e. assiduitate ac fastidio laboris fractus. Hunc quidem sensum inesse, adi. *assiduo* docet. Scalig. in priori edit. ex ingenio: *lassatus;* quod deseruit in ed. 1622. In Ms. Brix. et uno Heins. *defessus* ex mera interpretatione. *diceret* longe maior libb. pars: *duceret*, crebra permutatione, v. Ov. Met. IX, 16. Hor. I, Sat. 10, 44. Vulg. Mureto debetur, suffrag. Voss. 2. 4. Mon., neque vero Ber. 1., ut falso Vossius nuntiat. In notis scriptis cuius nescio auctoris affertur: *hisceret*, quod primum canendi periculum optime significat, et saepius incuria librariorum mutatum est in *discere* vel *dicere*, v. Prop. III, 3, 4. ad quem v. Waardenb. in opusc. p. 249. Juven. V, 127. Graecor. *χανεῖν* similiter usurp. vide Soph. Ant. 1227. Arist. Vesp. 341. ubi schol. *εἰπεῖν* exponit. In Catull. 97, 6. ubi vulg. *discas* aliquot in *dicas* mutarunt, Is. Vossius bene restituit *Hiscas*, quod defendunt Hand. in obss. p. 47. et Broukh. in anecdotis, laud. Cic. Phil. II, 43. ibi Abram. et Lamb. ad Lucret. p. 428. Ad nostrum locum notavit quidam: *luderet*, quod vix ceteris respondet.

Et satur arenti primum est modulatus avena
 Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
 Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus, e pleno memorabile munus ovili,
 Dux hircus pecoris: duxerat hircus oves.

55—58. ad varia ludorum genera, inprimis saltationem spectant, qualia rustici in festis Bacchi instituere solebant. Qui chorum ducebat, hircus illi offerebatur muneri. Qui scilicet mos inde profectus videtur, quod Baccho, vindemia peracta, hircus immolabatur, v. ad rem intpp. ad Virg. Georg. II, 381 sqq. Prop. II, 19, 14. *minio suff.* primordia rei scenicae in his videbis. De more etiam per seriora tempora servato, se et deos minio pingendi in festis diebus, v. Plin. hist. XXXIII, 7. Winkelm. Hist. Artis p. 20.

57. *e* pro vulg. *a* coniect. Guyeti Guelf. 2. confirmatam cum H. Voss. in text. admisi, ne quis inducatur iungere: *datus a.* Loca Virg. Ecl. I, 8. Ov. Met. VIII, 410. a Wund. allata ad vulg. vindicandam nihil faciunt.

58. Valde suspectum intpp. hunc versum habuerunt, certe hemistichium. Ante Muretum et Scal. vulgabatur: *auxerat,* quo quidem var. *hauserat* Berol. 1. 4. *hauxerat* Ber. 3. ducunt. Plerumque enim *auxit* in *hausit* corruptum videmus, v. Var. lect. ad Sil. I, 290. Aliquot: *auferat.* Mureti emendationem exhibet Voss. 4. Heinsii inventum: *D. pecoris; hirtas d. h. oves* Broukh., Stromb., Voss. in textum intulerunt. Vir ill. supremo loco laudatus corrigi mavult: *D. h.; capras d. hic et oves.* Etsi vero *hirt.* de ovibus, quae in montibus pasci solent, atque ideo lanam hirtam gerunt, vindicari possit ex Virg. Georg. II, 287. Ov. Met. XIII, 927. vel sic tamen aliquid ieiunum restat ac languidum. Waard. cum Wassenbergo malebat: *auxerat - opes.* Quod ego praeferrem, si opus esset emendatione. Ferendi autem in elegiacis versus, qui interponunt vel subiiciunt sententias ad rem amplificandam vel illustrandam aptas, v. ad I, 4, 38. Inprimis huc facit Ov. Am. III, 5, 27 sq. *Utque procul vidit carpentes pabula tauros; Carpebant tauri pabula laeta procul.* Ordinem: *D. h. p.* metrum postulat, firmantque Voss. 3. 4., Goth., Mon. Quidquid enim vv. dd. de productione syllabarum brevium, sequente *h*, disserant, ego quidem eas tantum syllabas

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
Molle gerit tergo lucida vellus ovis;
Hinc et femineus labor est; hinc pensa colusque;
Fusus et apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assiduae textis operata Minervae
Cantat, et applauso pectine tela sonat.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu;
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit; fixisse puellas
Gestit et audaces perdomuisse viros.

produci puto, quas sequuntur voces graeca forma compositae, v. c. *hymenaeus*, *hyacinthus*, v. Virg. Georg. III, 60. IV, 137. Aen. VII, 398. X, 720. Alia exempla Br. in anecd. ad Catull. 59, 4. dedit. Bene produci syllabas natura breves caesura incidente, observatum est ad I, 7, 72. Si cui libeat afferre exempla productionis, nulla caesura adiutae, v. c. e Lucret. I, 11., Val. Flacco, v. Weich. ep. crit. p. 74., is caveat hanc licentiam Nostro intrudat. Ordinem a nobis restitutum Lips. 1812. Wund. in ed. 1. exhibuerunt, et prob. Broukh. in marg.

61—66. Lanificium et ars textoria. Iunge: R. etiam luc. ovis, curam exh. [πράγματα παρέχουσα] ten. puell., molle ger. vell. tergo.

63 sq. *Hinc* a lana. H. Vossius: *ut - verset*, sic Angll. C. D. et Corv. Nimis vulgare. v. ad I, 2, 82.

65 sq. *assiduae* a Br. inventum aliquot ap. H. Voss. firmant. Epitheton Minervae fere proprium, cf. *operosa Minerva* Hor. III, 12, 4. quapropter non cum *assidue* mutare velim, ut Vossius fecit, quamquam adverb. libri et scripti et ed. habent. *pectine t. sonat* e cod. Angl. E cum H. Vossio revocavi. Is. Voss. ad Cat. p. 249. notavit: *pectine lana sonat.* Nostrae lect. patrocinatur Ov. Met. VI, 58. *Percusso feriunt insecti pectine dentes*, cl. Ciris 179. *Non Libyco molles plauduntur pectine telae.* Vulg. *tela sonat latere* neque a sensu neque a versus compositione probatur.

Hic iuveni detraxit opes; hic dicere iussit
Limen ad iratae verba pudenda senem.
Hoc duce, custodes furtim transgressa iacentes,
Ad iuvenem tenebris sola puella venit,
Et pedibus praetentat iter suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet,
Aut etiam sibi quisque palam; nam turba ioçosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.

Applauso Mon., Bern., Voss. 5. alii ap. Stat. Sed *appulso* cum plerisque Beroll. exhibent.

67 sqq. Amoris ignibus primum agrestium pectora incaluerunt. *Παρέκβασιν ἐρωτικὴν* hanc vere Tibullianam habes. Pauca enim exstant carmina, quorum argumentum sub finem non ad res ab amore petitas redeat, cf. II, 5, 101 sqq.

74. De praepositione substantivo postposita cf. Virg. Aen. IV, 257. ibi Wund. Nep. Con. II, 2. *hunc adversus*, ibi Brem.

75. *iacentes* e. dormientes.

77. Burm. sec. coniecit: *digitis*, cl. Ov. Met. VIII, 398. Sen. Ep. III. *summis digitis ambulat.* Parum apte, quod vel contextus docet. Mox *cui* servandum et expl. censeo: *cum ei* exquisit. pro: cum eius manus, cf. II, 2, 6. II. Voss. *dum*, quod proposuit Heyn., qui tamen ipse malebat: *et.*

81. *Sancte*, sc. Amor. *dap. festis* i. q. epulis, quas celebrat Albius cum vernis.

82. Heins. mavult: *Sed*, non male. v. ad I, 9, 25.

83 sq. *vocate Voce*, non *voce palam*, iungendum esse, docuit Wund. ex Ov. Her. X, 34. aliisque Catulli locis. Ad verba *clam - vocet* observes religionem veterum, vel potius superstitionem, qua vota non modo parum honesta, sed invidiosa etiam tacite concipere solebant, cf. IV, 5, 17 sq. Hic autem poëta ad quaevis vota palam efferenda adhortatur, quum strepitus saltantium et gravior tibiae sonus impediat, ne quid audiatur.

Ludite; iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro.
Postque venit tacitus furvis circumdatus alis
Somnus, et incerto Somnia nigra pede.

87 sq. Suavissima imagine stellae finguntur Noctis liberi, qui currum illius sequuntur. Eur. Electr. *Νὺξ μέλαινα χρυσέων ἄστρων τροφέ.* Orph. Hymn. VI, 3. *Ἀστέρες οὐράνιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.* Add. Theocr. II, fin. *χαίρετε δ' ἄλλοι Ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.* cl. Stanl. ad Aeschyl. Choeph. 656 sq.

89. *furvis* quod Heinsius ad marg. ed. Dous. Raph. et ad alia Ovidii loca divinavit, cod. Guelf. 2. et Hamb. testantur. Idque Livin., Fruter., Dous. F., Pass., Heynio probatum cum Vulp. 1710. Cantabr. et H. Vossio revocavi. Vulg. *fuscis* pro interpret. receptae habetur. Ante Broukh. *fulvis* legebatur, corrupt. e sup. *fulva.* Similem fere corruptelam in Ov. Met. III, 273. habemus, ubi ex uno Cod. *furvaque* tamquam exquisitius praef. malim.

90. *nigra* cum plurimis tuentur Beroll. Et sane hoc probum. Suaviter nec sine gravitate repetitur epitheton, quod rei proprium est, niger Somnus, nigra Somnia. Carere ergo possumus, quidquid viri dd. commenti sunt. cf. Ov. Fast. IV, 661 sq. *Interea placidam redimita papavere frontem Nox venit, et secum* Somnia nigra *trahit.* Unde incertus et inconstans Somniorum gressus adumbretur, non est quod doceatur.

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Sacro in Cerinthi natalem indicto Deum, ut ipse adsit, vocat — 8, et, quas preces facturus sit pro puellae amore Cerinthus, has fore ratas auguratur et spondet poëta — 16. docens, quam certa sibi spes fuerit, et bona adiiciens vota.

Ad Cerinthi, non amicae, natalem hoc carmen spectare, cum Cyllenio, Vulpio, Wunderlich. et H. Vossius bene viderunt. Ceterum sitne idem hic Cerinthus, quo capta erat Sulpicia, cuiusque amores in libro quarto celebrantur, etsi quidem non certo affirmare licet, nihil tamen, ut secus statuamus, monet. Ergo sequitur, ut hanc elegiam ad librum quartum referamus, v. arg. illi libro praemissum.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras;
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas;

1. Ita distinguendum iussit Muretus ante Gronov. ad Liv. 38, 43. quos iure sequuti sunt recentiores, quum exceperis H. Vossium, qui vulg. distinctionem: *venit N. ad aras* revocavit; nam qui fingeret Genium venire, eum ad aram venire cogitare. Meo quidem sensu hic Albius concitato spiritu loquitur adeo ut interpositum illud: *venit Nat.*, probe excusetur. Annuntiat tamquam praesagiens his verbis id, quod vs. 5. precando sibi expetit. Aliis quoque interposita eiusmodi occurrunt, v. Virg. Ecl. III, 54. 76. IV, 48. a Wund. laud. Ceterum cf. Ov. Fast. I, 71 sq. *Prospera lux oritur, linguis animisque favete, Nunc dicenda bona sunt bona verba die.*

3 sq. Quomodo sacrum instituendum sit, praecipit poëta sacerdotis partibus susceptis. *tener* - *Arabs* clementia coeli et bonitate soli effeminatus, *mollis* etiam dictus Catull. XI, 5.

5. *Genius* non distinguendus a Natali, cf. I, 7, 49. 63. IV, 5, 9. 19. Collocationem: *adsit Gen.* pro vulg. *Gen. adsit.* suffrag. codd. Sfort. Vat. Guelf. 3. Berol. 1. 3. iam Synclit. et Broukh. in anecd. probatam cum H. Voss., Lips. edit. 1812. Wund. in 1. et Bauero praeeuli, quippe quae metro postulatur. Longius disiunctis vocibus *Ipse* - *Genius* maiorem vim conciliari iam supra vidimus.

6. De more ornandi, coronandi sertis et Genio sacra faciendi die natali cf. I, 7, 52. intpp. ad Censor. de Die Nat. II. Epigr. in Anthol. lat. t. I. p. 658. B. *Florea serta, meum mel, et haec tibi carmina dono, Carmina dono tibi; serta tuo Genio.*

Illius et pura destillent tempora nardo,
 Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis;
 En age, quid cessas? adnuet ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores;
 Iam reor hoc ipsos edidicisse deos;
Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem
 Fortis arat valido rusticus arva bove;
Nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
 Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden ut trepidantibus advolet alis,
 Flavaque coniugio vincula portet Amor!

7. *et pura* cum H. Vossio dedi. Vulg. *Illius puro.* Celerius ut progrediatur oratio, et sententiae inter se cohaerentes arctius iungantur, non abesse debet copulativa, quam exhibent Angl. B., aliquot ap. Br., Mon., a Synclit. in ed. 1481. superscript. In aliis: *e.* Fem. *nardo-pura* festivitas orationis postulat, utpote quae littera *a* saepius iterata augeatur. Receptam firmant duo ap. Broukh., Thuan., Beroll. 2. 3. cf. Hor. II, od. 11, 16. *Assyriaque nardo.* Ad rem cf. I, 7, 51. Quales ipsi convivae in epulis festis apparebant, tales quoque Deos adesse fingebant, hinc *coronatus*, *madens mero Genius.*

9. *Cerinthe* depravatum est in *Cornute*, hic et eleg. seq. 1., quam vitiosam scripturam Broukh. amplexus est, quocum consentit Koen. ad Greg. p. IX. Variantes libb. certe ducunt ad nomen *Cer.*, quod Aldd., Ven. Scal. servarunt. Pro: *rogabis* H. Vossius volentibus Guyet. et Heynio: *rogaris* intulit. Indicativum defendere possis ex I, 3, 81 sq. aliisque locis.

11—16. Fidum uxoris amorem prae amplissimis bonis et opibus tibi optabis. V. *uxoris* h. l. non de futura uxore, sive sponsa intelligi posse, colligere licet e vs. 2. et 21 sq. *fortis* bene delectum epithet. ad *rusticus*, cf. *robustus arator* Virg. Ecl. IV, 41. Ad sensum totius vs. v. Hor. III, 16, 26.

15 sq. *Nec tibi* sc. malueris gemmas, sive margaritas, quae ex Indico mari eruuntur.

17. *cadunt* rata sunt, v. ind. Quod praesagit poëta, id tamquam certum nuntiat praeclaro phantasmate Amoris advolantis et vincula coniugalia apportantis utens. *Viden ut* sensu probandi

Vincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias, Natalis, avi, prolemque ministres:
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

et confirmandi unice hic aptum, et firmatur a Voss. 3. Librorum scripturam: *Utinam ut* Wund. cum Lips. edit. 1812. revocavit, censens, vss. 21 sq. nostrae lect. adversari. Frustra difficultates vidit. Pro certo signo, vota rata esse, habetur Amor advolans et vincula portans. Hunc etiam adesse, redeunte Natali, in seqq. vult Albius. Simile quoddam votum habes IV, 6, 19 sq.

21. *Hac avi* de Amore alato capias vel maxime suadet v. 17. Ita Heinsius, Vossius. Alii de augurio, ut Ov. Met. VI, 433. et gr. ὄρνις usurpatur. v. intpp. ad Prop. IV, 1, 40. Male autem haec ratio contextui convenit. In libris variant: *Hic veniat avis, veniet, Huc veniat - avis - ministret.* Ed. pr. *Haec veniat - avis - ministret.* Heyn. tentabat: *Hic veniat natalis avis, p. ministret.* Et hoc Bauerus correctum edit: *Huc venias, N., avis, p. ministres.* Viri dd. *avis* ab *avo* deducunt. Nimis dura ratio. Receptam, quae ex emend. Heinsii a Broukh. primum in textum lata est, probabili sensu non carere persuasum mihi habeo, modo *venias* pro *redeas* ceperis, ut I, 7, 64. et saepius.

22. *ut* H. Voss. fav. Heynio, e cod. Ursin., v. ad I, 2, 82. *tuos p.* sc. Natalis, non Cerinthi, et ipse Deus pro simulacro eius, ut Prop. II, 28, 45.

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Querimoniis de amica rus abducta cum Cerintho communicatis labores graves ac molestos, dummodo amicam adspiciat, fortiter se laturum esse pollicetur — 10 Apollinis, qui Admeti amore captus, contemtis suis ornamentis atque honoribus, munus pastoris non recusaverit, exemplum imitaturus — 34. Puellam vero rure adeo delectatam, ut se deserat, indignatus omnem agrorum culturam amoenitatesque perire mavult, ut, simplicitate priscae vitae restituta, etiam amori liberius indulgeri possit — 52. Ad votum initio carminis factum rediens in puellae servitutem se abduci iubet — 54.

Hoc quidem carmen excipiunt versus 55 — 82., qui sententiis et numeris prorsus a superioribus dissident, adeo ut novum inde carmen constituendum censuerit H. Vossius. De qua re v. not. ad v. 55. Argumentum huius fragmenti, quod existimo, est hoc: In avaritiam sui saeculi acerbe invehitur, et Nemesim, eodem illo vitio contactam amatori se dedisse beatiori queritur — 70. Deinde divitias, quibus amorem conciliare sibi possit, a Diis exposcit.

Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam:
Ferreus est, heu, heu! quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego dum adspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum!

2. *heu*, *heu* miro consensu libri mss., ed. pr., Reg. ceterae exhibent. Vulg. *eheu* ex Aldd. profectum. Antec. *est* corruptelae caussam attulisse videtur. Ven. 1487. *ē heu.* Ven. 1500. *est heu.* Errant, qui *eheu* non pro iamb. sed spond. habent, v. Muson. et Burm. ad Virg. Ecl. II, 58. Igitur vix dubito, quin Ov. Met. III, 495 sq. reponendum sit: *heu, heu.* H. Voss. *si quis* e Vatic., pro: *quisquis*, quod nimis exaggeratum illi videtur, laud. Ov. II, Am. 19, 4. *Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.* Mihi tamen exaggeratio quaedam in his sententiis a Tibullo non aliena videtur.

3. Mureti correctionem *laetos* invitis libris receperunt editores. Ipse voluit agros dominae suae praesentia hilarari. Parum ex animo poëtae probabiliter. Bene urbi opponuntur lati agri, quo quomodo amicam sequatur nescit Tibullus. *Latus* et *laetus* sexcenties in codd. permutantur. In Ov. Fast. I, 546. Burm. *lata arva* optime vindicat contra Heinsium: *laeta* praeferentem. Hor. I, 12, 57. *latum* Mitsch. et Vand. prudentius servarunt, quam *laetum* Fea. v. Heins. et Drack. ad Sil. V, 178. Burm. ad Lucan. I, 601. Nostro loco etiam Voss. *latos* reposuit. Non accedo eidem viro sagacissimo, *iam commigravit* de coniectura exhibenti. Ne quid de dissonantia, qua virum elegantissimum non offensum esse miror, moneam, puellam cogito maturasse iter, quod in posterum demum se suscepturam esse amico declaravit.

Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
　　Dum subigunt steriles arva serenda boves;
Nec quererer, quum sol graciles exureret artus,
　　Laederet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo;
　　Nec cithara, intonsae profueruntve comae.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis;
　　Quidquid erat medicae vicerat artis Amor.

5. *dum*, quod pro vulg. *quum* Heyn. maluit et Berol. 2. confirmatur, unice accommodatum sensui, i. q. dummodo. H. Voss. ex ingenio: *ut*. Ordinem: *adsp. dom.* pro vulg. ex Aldinis profecta: *dom. adsp.*, ducibus fere omnibus libb. et edtt. vetustiss. cum H. Vossio restitui. Vis in verbum *adsp.* cadit. In notis scriptis Langerm. coniecit: *quam* adsp. – *tam* fort.

7. H. Voss. et Bauer. e Cyllen. libro: *curvus*, qua lectione accuratius agricolae modus depingatur, laud. Virg. Ecl. III, 42. *Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.* Bene contra monuit Broukh., nunquam epitheton suo sibi subiecto defraudari a Tibullo. Ego quidem vim sententiae non in *curvus*, ut Voss. fecit, sed in *sect. aratr.* quaero, et aptissimum epitheton apposuit poëta. cf. Ov. Met. II, 286. alia exempla cont. Broukh. Num forte *curvus* e seq. syllaba ortum habemus? Mox H. Vossius inculcavit: *subigant* ideoque iam notatus ab Hand. ad Stat. t. I, p. 304. Indicativus unice verus, quum sententia non ut vs. 7. a cogitatione poëtae dependeat, sed morem satis certum ac confirmatum interponat. Optimis sane quibusque scriptoribus indicativus usurpatur in iis sententiis, quae, oratione quamquam obliqua praecedente, nulla conditione determinatae certum quid et communiter tanquam dictum continent. Nep. Milt. III, 4. *Si cum his copiis, quas secum transportaverat, interisset Darius.*

9. *quum* e cod. Corv. cum Wund. et Voss. pro vulg. *quod* recepi. Guelf. 2. *quam.* Significatio temporis, quae in v. *quum* latet, aptior huic loco est, quam caussale *quod*. cf. I, 2, 31.

12. *prof.* nimirum ad amorem Admeti sibi conciliandum. cf. I, 8, 9. II, 4, 15. III, 3, 1. De correpta syll. tertia v. ad II, 5, 79.

14. Expedias: Quidquid med. artis erat, (id) Amor vicerat, i. e. non arte medica Amoris vim poterat opprimere. Nostrum illustrat. Ovid. Met. I, 521—524. *Inventum medicina meum*

Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus.
Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse Soror!
O quoties ausae, caneret quum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!

est; Opiferque per orbem Dicor; et herbarum subiecta potentia nobis. Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis; Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes. cl. Heroid. V, 149. De synchysi sive confusione verborum in nostro versu admissa Vulpius plura congessit, et Bauer. ad Sanct. p. 374. t. II.

15—16. Hoc distichon inde a Scalig. ad Heyn. usque aevum in editionibus omissum, quamquam id constanter libri tuentur. Non tamen id solum, sed alterum quoddam in libris script. et impressis legitur: *Et miscere novo docuisse coagula lacte, Lacteus et mistus obriguisse liquor*, magna lectionis varietate, quae vel in priori pentametro apparet. Hunc enim alii: *Creditur ad mulctram constituisse prius*, ut Beroll. 1. 3. 4. 2. a marg.; alii: *In nemora, et pastas inde referre domum;* alii: *Cogere cum parvum matre simul vitulum*, sic Angll. C. D., Corvin. exhibent. Receptum autem firmant Guelf. 1. 2. 3. quinque Pal. Angl. E. Beroll. 2. [cum var. *fessas* pro *pastas*] et 4. a marg. Zwic. 1. 2. Goth. Hamb. c. var. *fessas*. Ita ed. pr., Aldd., Ven., Dous., Pass., Cantabr. et aliae. Hunc Aurispae esse, in vetere libro ad marg. adscriptum viderat Muretus, qui maiori versu servato in locum pentametri lacunae signum posuit. Quod ad alterum distichon attinet, alii aliis illud attribuunt. Mihi quidem iis deberi videtur, qui pruritu quodam abrepti lacunam non explere modo, sed novis etiam commentis transitum ad seqq. vss. parare volebant. Scaligerus eadem licentia, qua supra in I, 2, 24. grassatus fuit, utrumque dist. ut barbarum et spurium eiecit. A priori manum abstinere debuit. Illo omisso male cohaerent sententiae. Accedit, quod a compositione et numeris Tibullo minime indignum habetur. Quibus quidem caussis adductus cum H. Voss. et Bauero illud revocavi.

18. *rara - via* e. tenuis, angusta. *sero* tertio casu accipias.

19. Interpunctionem in vulg. post *quoties*, a Lips. 1812. et Bauero post *illo* factam ego quidem sustuli praeeunte Broukh.

Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et a templis irrita turba domum.
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Python?
Nempe Amor in parva te iubet esse casa.

Iung. *illo - erub.* Ad nostrum respexit Val. Fl. I, 447. *Ah quoties famulo notis soror obvia silvis Flevit --.*

21. *quum* e cod. Witt. 1., Colb., Berol. 2., Mon. cum H. Vossio et Wund., prob. Heyn., praeferendum duxi vulg. *dum.* Hoc quidem Oudend. ad Frontin. p. 68. [quod me docuit Seebodius amiciss.] defendere conatus est, interpr. *quamdiu*, cl. Suet. Aug. 94. Val. Fl. I, 425. At vereor, ut iste usus satis constet ac confirmari possit, vel ipsis locis a Seyff. in Gr. lat. t. III, p. 245. allatis. *sub* propr. Latini in his loquutionibus pro *in* vel *ad*, *prope* dicunt; Caes. de b. g. VI, 37. *sub vallo.* Ov. Met. I, 689. *sub montibus*, v. ibi Burm. XI, 277. et Bauer. ad Sanct. t. II, p. 271. ubi diversa non commisceri debebant.

23. *trepid. rebus* i. e. magni discriminis et periculi.

24. *a* ad optt. libb., quibus Angll., Beroll. accedunt, ex ed. pr., Reg. Ald. 2. Muret. aliisque revocavi cum H. Vossio. Vulg. *e* cum Ald. 1. Ven., Scal. exhibent, idque Burm. ad Suet. Calig. 4. [nuntiante mihi Seebod.] defendit. Recepta mihi accommodatior propter *venit dom.* videtur.
Sensus vss. 23—26 est hic: Apollo vitae pastorali deditus neque oraculorum, neque capillorum, quos olim Iuno noverca cum invidia admirata fuerat, curam egit.

27 sq. Sensus: capillus ita deformatus erat, ut, qui tunc illum adspiceret, non agnosceret has Phoebi esse comas. De verb. *quaereret* v. ind.

29. Formula: *ubi est* propr. de rebus, quae neglectae iacent, vel omnino evanuerunt, cf. Prop. III, 11, 59. Ov. Her. IV, 150. ibi Heins. Ceterum observa tempora mutata; Debebat enim esse: *ubi tunc erat?* Forma graeca *Python* postulatur propter *Delos.* Ad illam ducit corruptela *Phiton* in Angll. D. E.

30. cf. Ov. Art. II, 239 sq. *Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraeas Fertur, et in parva delituisse casa.*

Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est; sed si cui cura puellae,
Fabula sit, mavult, quam sine amore deus.
At tibi, dura Ceres, Nemesim quae ducis ab urbe
Persolvat nulla semina terra fide!
Et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus!
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere; non tanti sunt tua musta, pater.

31 sq. Felices erant antiquioris aevi homines; nam aberat tantum, ut illos dii, poena proposita, deterrerent a peccando, ut potius exemplo suo ad exercendas libidines invitarent.

33. *si cui c. p.* e cod. Thuan. et Goth. cum Vossio et Bauero. Vulg. *Sed cui sua cura puella est.* Nostram flagitat contextus, et antec. *servire Veneri* i. e. amori indulgere. Differunt: *mihi puella mea cura est*, quod a mente Tib. alienum, et *mihi cura puellae. Nunc* mutatis cum tempore moribus.

35—54. Argumentum horum versuum ita est comparatum, ut a proxime superioribus non nisi oculorum aberratione abruptos esse existimemus. Hoc bene sensit Scalig., qui eadem nobiscum ratione distribuit, quem Broukh. sequutus est. In eddt. vulgg. hi versus post vs. 54. subiuncti sunt. Sententiarum ordo ita procedit: Gravissimos quosvis labores lubenter susciperem, immo vel in ore hominum ferri paterer, dum frui amicae consuetudine mihi liceret. Hoc autem quum non concessum fuerit, omnia vitae agrestis commoda et invitamenta tolli malim.

35. *quae ducis* e cod. ms. Br. et nonnullis ap. Broukh. cum Aldd. et H. Vossio reposui. Vulg. *quae abd.* vitio scripturae *quia duc.* enata videtur. Sic Ven. 1487. 1500.

36. Sensus: terra ne frugum proventum praestet. Nihil frequentius imagine, qua semina agro *credi* dicuntur; hinc agri *fides*, quum *reddit*, *persolvit* fructus, cf. II, 6, 22. Mitsch. ad Hor. III, 1, 30. 16, 30.

39 sq. Tibi, Bacche, male eveniat, quod rure detines formosas puellas, quae multo pluris habendae sunt tuis dotibus ac muneribus.

42. *prisco more* ad utrumque, *glans al.* et *bibantur* spectat. Saepius in altero demum membro ponere solent, quod ad utrumque membrum pertinet.

O valeant fruges, ne sint modo rure puellae;
Glans alat, et prisco more bibantur aquae.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt;
Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus adspirabat Amor, praebebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua; si fas est, mos precor ille redi!
Ah pereant artes et mollia iura colendi!
Horrida villosa corpora veste tegam.

43. *passim* e. nullo discrimine loci et generis facto, ita ut ab ditioribus etiam pauperiores, a nobilioribus etiam inferiores amarentur. Ad illustrandum Nostr. facit Iustin. 43, 1. *Ob cuius exempli memoriam* cet. Lotich. IV, 3, 43. *vagos amores exercere.*

44. Paupertas amoribus nihil nocuit neque impedimento fuit.

47. *dolentes* Nostro simpl. dicuntur, qui difficilem, infelicem experiuntur amorem, cf. I, 8, 73., nisi universe pro amatoribus accipere mavis. Certe non opus est legatur cum Scalig. *volentes*, quod Br. et Vulp. contextui dederunt. Sic Voss. 1. 2. 4. At vulg. multo significantior.

49 sq. Quale hic distichon exhibuimus, id longe plurimi codd. mss. praestant, suffrag. Corv., Guelf. 1. 3. Beroll., Voss. 5., Mon., edtt. Rom., Ven. 1487. [quae cum aliis *rura* habet], 1500. 1520. Ald. 1. Idem servarunt Statius, Scalig., Broukh., quamquam duo posteriores transpositum I, 9, 66. In nonnullis libris quum deesset hexameter, alii aliter eum supplerunt. In Codd. Guarn., Lips. Exc., Guelf. 4. Zw. 1. Berol. 4. a marg. sic legitur: *Mos, precor, ille redi; patienter rursus ut olim*, sic ed. pr., Reg. Lep. aliae. Aliquot: *O utinam veteri peragrantes more puellae*, quocum superiorem una coniunctum dederunt alii. Etsi cod. Reg. in margine receptum hex. Senecae Grammat. tribuit, nihil tamen video, quod Tibullo indignum deprehendatur. Lacunae igitur signum, quod Heyn. et Wund. posuerunt, delevi, et cum Vossio, Bauer. hexametrum, a compositione et sensu commendatissimum, restitui. Scaligeri et Heyn. correctionem: *mollis cura* exarari iussit Bauerus. Citra necessitatem. *iura colendi* sunt leges, certi modi capillum ponendi et vestem aptandi, quales a *mollibus*, elegantibus et delicatis, solicite servabantur. cf. Broukh.

50. *tegam* Scalig. inventum firm. unus Broukh., Berol. 1. a

Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum! laxam quid iuvat esse togam?
Ducite, ad imperium dominae sulcabimus agros,
Non ego me vinclis verberibusque negem.

* * *

At tu quisquis is es, tristi cui fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.

marg. 2. Goth. Recepi cum Br., Lut. Paris. 1723. et H. Vossio. Vulg. *tegant* orationem reddit nimis ambiguam.

52. Sensus: Nihil prodest mihi deserto civili uti habitu, quum amica in agris retineatur. *laxam - togam* unanimiter exhibent libri et scripti et impressi. Revocarunt Wund., Voss. Bauer., Lips. 1812. Heinsii emendationem: *in laxa - toga* non erat cur Broukh. inculcaret, servaretque Heynius. Tritissima quidem est loquutio: in toga esse, i. q. indutum esse illa, v. exempla ap. Rupert. ad Sil. II, 132. At non minus bene dicitur: quid iuvat, sc. me, togam esse laxam. Praeeunte Stat. et Heins. *Heu! misero* H. Voss. et Bauer. receperunt. Invitis autem libris nihil mutandum censui.

53. *ducite* sc. me, tamquam servum. Br. in anecd. laud. Manut. Cic. Orat. t. I. p. 131. et Enn. ap. Cic. de off. XII. p. 49. Voss. 1. *et* imp., Goth. *et imperio.* In textum hoc importavit H. Voss. De veritate huius lectionis admodum dubito. Num fortasse locutio: *ad imperium* librarios fefellit?

54. *negem* e codd. Berol. 1. Goth., Voss. 4. vulgatae *nego* cum H Vossio praeferendum duxi, utpote quod, latente futuri temporis significatione, melius verbo *sulcab.* conveniret.

55 — 82. Hi versus in vulgg. editionibus et libb. scriptis post vs. 32. inserti sunt. Quod quidem saepius factum est, ut nimirum vel repetitio vel similitudo vocabulorum, quae ab initio aut in fine locorum leguntur, aberrationis caussam daret [v. de hoc argumento perite disser. Beck. in commentatione I. de interpr. vet. p. 70 sq.], id etiam hic accidit.
A voc. *At tibi* v. 33. negligentia oculorum aliquis scriba ad vs. 55. aberravit, i. e. ad eam alius carminis partem, quae hoc initium: *At tu quisquis* habebat. Wunderlichius, ordine vulgari servato et lacunae signis sublatis frustrariam, si quid video, operam sententiis inter se aptandis et uni tantum carmini constituendo impendit. In hac parte, quae vs. 55 — 82. apud nos efficitur, poëta Nemesis avaritiam conqueritur; illic autem puellae secessum deflet. Hic lineas et imagines a corruptis effeminatis-

Ferrea non Venerem, sed praedam saecula laudant;
Praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc caedes, mors propiorque venit;
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.

que urbanae vitae moribus ductas, illic omnia in agro agi videmus. Ut autem utriusque partis argumentum satis diversum conspicitur, ita compositione et numeris posteriorem partem longe a priori dissidere quisque sentiet. His quidem caussis adductus nobis in vss. 55—82. fragmentum carminis relictum esse suspicor, neque ad H. Vossii partes accedere possum, qui eosdem versus pro integro carmine habens novam inde elegiam incipit. Secus mihi visum est. Nam sententia ab initio posita ita est comparata, ut a ceteris demum, quae interierint, lucem acceptura fuisse videatur. Deinde exclamatio a v. *At tu facta*, quae alias indignationi vel admirationi declarandae bene inservit, h. l. nimis abrupta et aliena habetur, neque Hor. Epod. 5, 1. a Voss. allato excusari potest. Igitur id cum Bauero agendum censebam, ut, numero versuum continuato, seiungerem ea, quae in vulgg. edtt. post 32. interiecta sunt.

55 sq. Quicunque infelices experiatur amores, is meam domum intret, ubi castra sunt amatoria, et apud me magistrum ducemque tirocinium huius militiae ponat. Eandem rem alio usus figmento expressit I, 4, 77 sqq.
tristi cui e Berol. 1. 3. Monach., Reg. sive Dresd. Voss. 4. cum H. Vossio, pro vulg. *cui tristi*. Ista collocatio magis Tibulliana et praedicato gravitatem, quae convenit, addit.

58. *praeda* hic et in seqq. non quodvis tantum lucrum, sed cupiditas quoque illud acquirendi, et gravius ponitur pro avaritia. *mult. mal. oper. est* mala committere solet.

59. Broukh. *acuit crudelibus*. Illud e Colb. et Thuan., probante Lenzio, qui conferri iussit Hor. II, Ep. 2, 26 sq. Recepta melius convenit *armis*, et vindicatur Virg. Aen. XI, 536. II, 749. *crudelibus* aliquot Broukh., Reg., Corv., Berol. 1. 3. sed contra veram poëtae mentem. Nostram tuetur Virg. Georg. II, 459. In vs. seq. ex aliquot libb. Broukh. *furor* add. Berol. 1. 4. Receptae patrocinatur Ovid. Fast. VI, 599. *Hinc cruor, hinc caedes; infirmaque vincitur aetas*, cl. Trist. I, 11, 32. *Cruor* sign. vulnera cruenta. Ad rem cf. I, 3, 49 sq. 10, 3 sq.

61 sq. Avaritia instigati ad proelia maritima prolapsi sunt

Praedator cupit immensos obsidere campos,
Ut multo innumeram iugere pascat ovem;
Cui lapis externus curae est; urbique tumultus,
Portatur validis mille columna iugis;
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi laeta trahant Samiae convivia testae,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

homines, ita ut periculo, quod vel ipsi mari inest, alterum accedat ab hostibus vel piratis.

64. Hanc omnium fere libb. et vett. eddt. scripturam non deserendam duxi, quippe quae constructione v. *pascere* probetur. Dicunt Latini: *ovis pascit campum*, ut IV, 1, 186. cl. II, 5, 25. aut *pastor pascit ovem*, v. Virg. Ecl. X, 18. Georg. II, 155. Num vero bene constare possit: *pastor pascit iugera ove*, admodum dubito. Qua ipsa caussa mihi displicet lectio: *multa innumera iugera pascat ove*, quam e Scal. recensione H. Vossius exhibuit, mutato *multa* in *mille* ducibus Pocchi Excerptis. In nostra lect. *multo iug.* suppl. *in*, ut Ov. Met. III, 408. VI, 394. Berol. 1. *multa* [superscr. *e*] *innumeras iugera* [superscr. *e*] *oves*.

65 sq. *Cui* sc. praedatori. *lap. ext.* marmor e Phrygia afferri solitum. Sequentia ita expedi: et cui columna, urbi tumultus, mille vāl. iugis portatur. Sensus: Lucri cupidis magni aestimatur marmor peregrinum, cuius columnae a validis iumentis per urbem advehuntur, ut terror et tumultus iniiciatur, ne, vicis intrementibus, aedes ruant. Lectionem: *mille*, miro libb. mss. et edd. consensu firmatam, ii sollicitarunt, qui vocem illam ad *columna* referebant; ideoque *multa* substituere maluerunt. Hoc in aliquot libb. legi nuntiavit Synclit., et receperunt Stat., Aldin. H. Voss. Ad vulg. tuendam facit Seneca, Epist. 90. *Non tecta coenationi parabantur; nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur* longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, *ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.* Ceterum H. Voss. ex ingenio: *Quin* lapis – –.

67 sq. Intelligendae sunt piscinae maritimae, quae, molibus in altum iactis, eo fieri a ditioribus Romanis solebant consilio, ne piscium marinorum diversi greges, vel maxime mari

Heu, heu! divitibus video gaudere puellas;
Iam veniant praedae, si Venus optat opes,
Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis.

tempestatibus agitato, deessent. Quam quidem luxuriam praeter alios queritur Hor. III, od. 1, 33 sq. In verbis *lentus* cet. vere poëticam rationem observabis, translatis ad piscem affectibus, qui proprie hominibus conveniunt; sic *sentiunt* de piscibus in Hor. loco appos. *minae* s. tempestates hiberno tempore saevientes, cf. Aen. VI, 113. X, 695.

69 sq. Frugalitatem Nemesi commendat. Pedestris ratio ferebat ita: celebrentur tibi convivia, ubi vasa fictilia Samia et Cumana usu frequentantur, igitur modica et frugalia. Ad vs. 70. cf. Stat. IV, Silv. 9, 43. *Cumano patinas in orbe tortas.* De *Sam. test.* adscripsit Br. Plaut. Capt. II, 2, 40.

71—80. Frustraria esse vota querens, quum non nisi muneribus animus puellae conciliari possit, opes sibi expetit poëta, quibus avaritiae illius satisfaciat.

76. Broukh. intelligit vestes auro variegatas, virgis aureis inter telas procurrentibus. Simpl. *vias* de subtemine accipit Heynius, cl. Virg. Aen. IV, 264. XI, 75. Constructio verborum: *aur. disp. vias* ut molliretur, Ayrmannus proposuit: *auratis-viis.* Haud opus est correctione, si quidem saepius pronominis alius casus, ac praecessit, assumendus est, v. ad I, 8, 32.

77—78. Mancipia ex India sive aliis Asiae australis regionibus arcessita prosequantur illam. Laudarunt intpp. Terent. Eun. I, 2, 85. *Nonne ubi dixti, cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quaesivi?* Mox *ignis inficit adm. equis Solis* e. fuscum colorem proximus, igitur nimius sol Indis contrahit, cf. IV, 2, 20. Prop. IV, 3, 10. *Ustus et Eoo decolor Indus equo.*

Illi selectos certent praebere colores,
 Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor; regnum ipse tenet, quem saepe coëgit
 Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

79 sq. *Nota loquor* eorum est, qui sese correcturi nihil verbis et querelis profici fatentur, tanquam: vana loquimur. Clarius expressit Tib. I, 5, 67. *canimus frustra.* Sensus verb. seqq. hic est: Amator, qui olim in venalium servorum censu habitus nunc divitiis pollet, mihi praefertur. Pro *ipse* H. Voss. favente Heynio, *iste* in textum intulit, ut contemnentis esset ratio. Meo quidem sensu vulg. non sollicitanda. Ironice attribuit Tibullus rivali quandam dignitatem, quae verbis seqq. mirum in modum minuitur. De *catasta* v. ind. *barbara* quod mangones, qui servos venales in catasta exponebant, vel ipsi *servi* erant exteri, v. c. Syri, Aethiopes.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

Summo amoris in Nemesim flagrantis cruciatu vexatus — 10 quum carmina ad puellae mores pervincendos animumque illius sibi conciliandum non quidquam profecisse vidisset — 20 quovis vel maxime illicito modo munera, quibus avaram capiat, sibi parare apud animum constituit — 26. Cuius vero impietatis ira adeo accenditur atque indignatione, ut modo avaritiae tanquam malorum, quibus ipse prematur, fontis auctores exsecretur, caussamque illius vitii detestetur — 34. modo, ne pulchritudo adsit avaris, optet — 38. modo diras iis, quae lucri illecebris ductae venalem reddiderint amorem, gravissimas voveat — 45. felicissimas omnium praedicans eas, quae continentes et ab omni habendi cupiditate alienae sint — 50. At neque preces neque carmina quidquam ad mentem amicae convertendam valere quum sentiat Tibullus, gravem scilicet illius legem se accepturum esse pollicetur, ut animum, venditis bonis paternis, expleat largitionibus, et quocunque onere suscepto sibi conciliet.

Haec elegia ut loco ita argumento proxime superiorem sequitur.

Hic mihi servitium video dominamque paratam;
 Iam mihi libertas illa paterna vale!
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
 Et nunquam misero vincla remittit Amor.

1. *Hic* plur. ap. Stat., sex ap. H. Voss., Ber. 4. a m. s., ed. pr. In aliis: *Sic* vel *Dic*. Quae varietas scribarum consuetudini debetur, primam vocis ab initio carminis positae litteram omittendi. Aliquot enim libri nostro loco habent: *IC*, quod aliis *Sic*, aliis *Dic* explere visum est. *Servit. dom.* per hendiad. dictum pro: servitium dominae, quod clarius dicit Tib. IV, 13, 22. *paratam* non sensu obscoeno pro: facilem aditu, cum Burm. ad Prop. I, 9, 25. accipiendum, si quidem Nemesim ad amorem non esse paratam queritur poëta. Expl. potius: constitutam, certam.

2. Imitatus est nostrum Marullus II, epigr. 32. *O ubi libertas nunc prior illa iacet!* Ceterum v. *servitium* non *servitus* in rebus ad amorem spectantibus proprie usurpatur, quandoquidem huic voci notio patientiae inest, cf. II, 1, 41. Ov. Art. III, 488. Amor. I, 2, 18. Prop. I, 5, 19. Comparationem suae fortunae cum sorte servi male habiti misera instituit poëta cruciatus amoris vividius declaraturus; huc spectant vv. *teneor cat.*, *vincla*, *faces*.

3. *triste* ob avaritiam puellae. Sprengel. in libello: [Neue Kritik der röm. Dichter, Berl. 1815.] p. 138. ita corrigere maluit: *Heu! mihi serv. — paratam. Iam mihi* [*libertas - vale*] *Servitium heu! triste datur* cet. Interponere autem sententias non amat Tibullus.

4. H. Voss. *ut - remittat.* hoc Lips. Exc., unus Stat. Col. ed. firmant; illud de coniectura Statii. Quid de hac lectione iudicemus, ex not. ad. I, 2, 82. cl. II, 1, 64. patebit. E pluribus

Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit;
Uror io! remove, saeva puella, faces.
O ego ne possem tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,

membr. Broukh. *remittet.* Sic ed. pr. Reg. Lep. aliae. Receptam Aldd., Venet., Scal. exhibent. Futurum tempus interpolarunt, qui ad *nunquam* id postulari putabant. Perperam. Part. *nunquam* notione negandi locupletata saepius pro *non* ponitur, v. Virg. Ecl. III, 49. *Nunquam hodie effugies.* Aen. II, 670.

5. Quod dudum conieceram: *Heu heu! quid m., heu* — id deinde Vind. cod. firmatum et Goerenz. probatum videbam. Bunsenii correctio: *Eheu* quid — [v. Lachm. ad Prop. p. 126.] non est, quod palmaria dicatur, v. ad II, 3, 2. Heynius suspicabatur: *Et saevit Veneris, si quid peccavimus, ira.* Slothouw. in Actis Soc. Trai. t. III. p. 148. *meruit* hoc sensu: sive mea domina quid meruit, sive ego peccavi, uror. Nunc vero nihil mutandum censeo. Ad vulg. vindicandam facit Terent. Andr. I, 1, 112. *Quid feci? Quid commerui, aut peccavi pater.* cf. Epist. crit. p. 23. *urit* cum aliis ap. H. Voss. Angll. B. C. D., Beroll., Corv., ed. pr., Vicent., Reg. Ven. 1475. testantur. Subint. Amor. *Ἔρως αἴθει ψυχήν*, Polystrat. I, 1. Angl. E, Aldd., Muret., Ven. posteriores, Dous. *uror*, quod vel ipsum non spernendum, si quidem in deliciis T. huius modi repetitiones habentur. Enallagen numeri *merui* et *peccavimus*, quae librariis frequenter fraudi fuit ansamque corrumpendi dedit, exemplis vindicavit Burm. ad Lotich. p. 275.

6. Sprengel. l. supra posito placuit: *saeve puelle*, nam Amori, non puellae, tribui faces. Exempla tamen non desunt, ubi haec vox ad eos etiam transfertur, qui aliquem ceperunt eiusque amorem incenderunt.

7 sq. *possem*, pro vulg. *possim*, tuentur praeter alios apud Br. et Voss. Angl. B., Beroll. 1. 2. 3. Brix. Venet. Wund., Vossius. Id ratio grammatica, seq. *mallem*, postulat: Ad sensum cf. III, 4, 82. H. Voss. *mallem gelid.* sine codd. auctoritate, docens, pr. *in* a poëtis nunquam ita in his loquutionibus collocari, ut primariam quandam sedem teneat, laud. Ov. Met. VII, 746. *montibus errabat.* Non semper huic canoni se adstrinxisse poëtas, videbis ex Ov. Met. XIV, 38. *Glaucus et in summis nascentur montibus algae.*

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
 Naufraga quam vasti tunderet ira maris!
Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est;
 Omnia iam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo;
 Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul Musae, si nil prodestis amanti!
 Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,

10. *ira* Florent., Colb., Thuan., Voss. 5. Broukh., Vossius. Vulg. *unda* ex interpretatione exquisitioris lect. Dicunt scilicet, *ira m. tund.* i. q. iratum, tempestatibus agitatum mare, pro elegorum humilitate nimis gravem et epicam esse vocem. Mihi non ita visum. Observasse potius videor, Tibullo, concitatiori percusso spiritu graviores etiam voces et dicendi formas in deliciis fuisse. Et *ira maris* in oratione vel maxime sedata poëtae nonnunquam dixerunt. Locis in epist. crit. p. 23 sq. allatis adde Ov. Met. XI, 729. ibi Heins. XII, 36. Burm. ad Heroid. XVIII, 2. Similem fere audaciam in v. *insanis* ad *ventis* translato habemus. *naufraga* sensu transitivo, naufragia faciens, cf. *navifragum mare* Ov. Met. XIV, 6. al. Vulp. ad n. l.

11—12. Quodcunque temporis momentum acerbissimos mihi affert dolores, si quidem mihi non suppetit, unde puellae amorem capere possim. Ad sensum cf. Ov. Her. XIII, 104 sq. *Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis; Nocte tamen, quam luce magis.* Verb. *madere* a re infectoria translatum copiae atque ubertati significandae inservit. Exemplis illustr. Mitsch. ad Hor. III, 21, 9.

14. *cava manu* significantius dictum ad avaritiam notandam. De loquutione docte egit Casaub. ad Suet. Aug. 91. Pertinet huc χεὶρ κυλλή.

15. *nil* Flor., Guelf. 3. a m. s. Voss. 2. 3. 4. 5., Vind., Mon. testantur. Sic etiam Aldd., Dous., Cantabr. Broukh. In aliis: *non.* V. *pretium* pro donis quibusvis.

16—18. Neque de bellis, nec de rebus ad naturam coelumque spectantibus condo poëma. Sprengelius coni. *rogo* hoc sensu: Non ego vos interrogo, quomodo cet. Parum probabiliter.

Nec refero Solisque vias, et qualis, ut orbem
Complevit, versis Luna recurrat equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.
Ite procul, Musae, si nihil ista valent!
At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
Ne taceam clausam flebilis ante domum;
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis;
Sed Venus ante alios est violanda mihi.

17. *ut* suffrag. Angll. B. C. D., pluribus ap. Br. et Voss. ex Aldd., Ven. Bas., Muret., Pass. aliisque ante Scalig. editionibus cum Vossio et Bauer. reposui. Vulg. *ubi* Scaligero debetur. De v. *ut* pro: postquam, v. Tursell. de part. p. 1135. Similiter Gr. ὡς utuntur. Verba iungas: *Non ego - colo*, *Nec ref. et Solis v.*, *et qualis Luna rec.* cet. Hoc vero monui, ne quis sibi persuaderet, ex aliquot libb. et edd. legendum esse: *nec qualis.* Fefellit correctores structurae varietas, qua priori membro substantivum tamquam obiectum, posteriori autem verbum additur. Similis est ratio I, 7, 13. *An te, Cydne, canam — Quantus et alat.* II, 5, 71 sq.

18. *recurrat* Angll. B. C. D., duo ap. Br., Colb. Hamb., Voss. 4. Zw. 2. Corvin., Reg. Sic ed. Ald. 2. Muret., Dousae, Pass., Cant. aliae. Scaligerum, *recurrit*, quod cum reliquis Beroll. testantur, revocantem male Broukh., Vulp. sequuti sunt. Nostra debetur Heynio. Indicativum in oratione obliqua more Graecorum frequentarunt Virgilius, Horatius, Propertius et alii; nec vero Tibullus, quamquam codd. I, 7, 21. variant in *abundet* et *abundat*, cf. Huschk. ad illum locum.

21. Goerenz. mavult: *An* signo interrog. post. *fanis* vs. 23. posito. Meo quidem sensu *At* sententiae, novum quid et abominandum innuenti, et Tibulli irato animo egregie convenit, cf. I, 10, 5.

22. Fuit, qui mallet: *clausae*, ne bis syllab. *am* recurrat.

23. *insignia* donaria, gr. ἀγάλματα, templis suspensa. Nota res. Broukh. in anecd. comp. Val. Fl. VII, 48. *Cur age, non templis sacrata avellere dona Omnibus.*

Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
Dat mihi; sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tinguit ovem!
Haec dat avaritiae caussas et Coa puellis
Vestis et e rubro lucida concha mari.
Haec fecere malas; hinc clavim ianua sensit,
Et coepit custos liminis esse canis.

25. Venus sacrilegium suadere fingitur, quoniam amatoris est consilium capiendi ardenter amatam, idque non nisi donis fieri potest.

27. De part. *que* non suo loco posita v. ad I, 1, 51. Debuit esse: *et quicunque — Et...*

28. *ovem* audacius pro: *lanam*. Gr. *ὄϊς* pro *μαλλός*, Soph. Trach. 696. cl. Theocr. II, 2. *Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ*. Ad rem cf. Tib. III, 3, 18. Formam antiquam *tinguit* pro vulg. *tingit* a Broukh. restitutam et codd. Voss. 1. 2. 3. 5. firmatam cum Voss. et Wund. reposui. Eandem meliores libri ad Virgilium exhibent. Sensus vss. 27—30. hic: In malam abeat crucem, qui puellis pretiosas gemmas et purpureas vestes donat, siquidem his donis puellarum avaritia gignitur alitur que. Huschkii emendationem: *Haec* dat ... unice veram [v. Analect. litt. I, p. 175.] in textum recipere non dubitavi. Vestigia illius cernuntur in var. *Hac*, *Nec*, quas aliquot libri praestant. Vulg. *Hic* sc. quicunque legit cet. male seqq. cohaeret; nam 29 sq. res adiungit, quae eadem exsecratione dignae sunt, qua inventorem antea devoverat. Recepta *Haec* ad *ovem niv.* referatur, cui bene subiungitur *vestis Coa* et *concha*. Cum Broukh. legit H. Voss. *Hic dat - hinc Coa*, qua quidem ratione periodum conturbari et sensum recte monuit Huschk. *et* praeter complur. ap. Br. et Voss. testantur Angl. E. Beroll. et Fea ad Hor. t. I, p. 174. Quod Br. ducibus Pal. 6. Colb. Ber. 2. *stimulos* inculcavit, pro mero habes interpretamento vocis *caussas*.

30. *e*, non *a*, quod cum Ven. Broukh. et vulg. habet, res ipsa postulat, et optt. libr. etiam Angll., Ber., Zw. 1. 2. firmatur. Sic ed. pr., Reg. Aldd., Muret., Pass. aliae. cf. Fea ad Hor. l. c. Prop. III, 13, 7. *Et venit e rubro concha Erycina salo.* Nobiscum facit H. Vossius.

31. *malas* i. q. avaras, opp. *bona*, vs. 45. *clavim* Br., Voss., Wund. recte reposuerunt, teste Charisio Instit. Gramm. I. Vulg.

Sed pretium si grande feras, custodia victa est;
 Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
Heu, quicunque dedit formam coelestis avarae,
 Quale bonum multis addidit ille malis!
Hinc rixae fletusque sonant; haec denique caussa
 Fecit, ut infamis sic Deus esset Amor.
At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
 Diripiant partas ventus et ignis opes.

clavem. Sensus: Avaritia fecit, ut puellae fores occlusas et custodiam haberent, ut amatores, qui admitti vellent, auro aditum sibi redimere cogerentur. Ad rem conf. Prop. IV, 5, 47. Antipat. in Br. Anal. II, p. 109.

35. Sprengel. placuit: *avaris.* Memor esse debuit poëtarum rationis, in sententiis generaliter enuntiatis singularem numerum pro plural. usurpandi. Mox idem *quantis* pro: *multis.*

36. *Quale* = quam triste, noxium, quia pulchritudo avaritiae addita nova caussa fit doloris ac malorum. Notio v. *add.*, vi oppositionis augetur. *Abdidit* cum Dous., Pass., Cantabr. aliisque dedit H. Vossius, et expl. sensu metaph. obscuravit, pulchritudinis splendorem avaritia imminuit. Prorsus hoc a mente Tibulli alienum. Vulg. defendisse videtur Huschk. ad I, 1, 50.

37. *Rixae fletusque* ex aliquot libb. ap. Br., Guelf. 1. Ed. pr., Ven. Reg. Lep., Brix. Rom., praeeunte H. Vossio, ordinavi, rei natura sic volente. Vulg. *fletus rixaeque.*

38. *sic* ex Heinsii emendatione Heynio mihique in Epist. p. 24. probata cum H. Voss. et Bauero recepi. Iung. *sic infamis*, pro: tam, adeo. Hanc voc. *sic* posituram in usu fuisse Tibullo, docet I, 4, 8. Vulg. *hic* Wund. defendit et expl. Amor, qui nunc est, de quo usu pron. *hic* Ruhnk. egit ad Vellei. I, 11. Vereor autem, ne haec ratio aeque admodum langueat quam aliorum, qui ad vett. edtt. *hinc* exhibent. Recepta et sensum et metrum egregie adiuvat. Broukh. in mentem venit: *Nunc deus erret.* Feliciori sane conatu Waardenb. in opusc. p. 181. proposuit: *Nec* hoc sensu: ut Amor infamis nec amplius Deus esset. Veteres rebus dubiis ac desperatis facile impulsos fuisse, ut deos esse infitiarentur, e pluribus locis poëtarum docuit auctor, laud. Barth. ad Claud. I. in Ruf. init.

39. *victos* quippe qui nequeunt tantum lucri puellae largiri, quantum alii.

40. *Dirip.*, quod Broukh. e libris nonnullis restituit pro:

Quin tua tunc iuvenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
Seu veniat tibi mors, nec erit, qui lugeat, ullus,
Nec qui det moestas munus in exequias.
At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo,

Eripiant, optime ad impetum violenti ignis declarandum posuit Tibullus, neque mutandum in *Abripiant*, quod Voss. in obss. placebat. cf. I, 6, 54. Pro *partas* Comel. et ed. Ven. 1487. *positas*.

43. *Seu* i. q. Vel si, v. ad I, 6, 21. cl. Prop. II, 26, 29. *Veniat* ex optt. membran. ap. Broukh., Sfort., Angll. B. C. D., Beroll. 1. 3. 4. Guelf. 2. Hamb. cum Scalig., Broukh., Voss., Wund. revocavi. Vulg. *veniet* minus iucunde tristem casum tanquam certum annuntiat, et suspecta habetur a seq. fut. *erit*. Collocatio Broukhusiana: *Seu tibi mors veniat* gratior quidem auribus, at non verior ad rem. *nec* constanter fere libri et edd. vett. legunt. Vulg. *neque* ex Ald. 2. Parum quidem refert, hoc an illud scripserit poëta. At vero in his quoque rebus levioribus circumspiciendum, quid cuique scriptori sit proprium, ne suo defraudetur ab iis, qui euphoniae consulere student mutata lectione. Quod nostrum attinet locum, *nec* retinendum puto, propterea quod Tib. non inter eos est, qui varietatem *nec* - *neque*, vel *neque* - *nec* amant, ut Horatius, alii. v. I, 1, 71 sq. 10, 11 sq. 8, 3 sq. II, 4, 13. Ad h. versum Br. in anecd. apposuit: Virg. Aen. XI, 372. Serv. ad VI, 325. Barth. ad Stat. Theb. XII, 152. Ov. Ibis 163.

44. *exequias* Heyn. pro cinere ac tumulo, et sane hoc fieri potuit; etiam *funus* pro cinere Prop. II, 13, 34. Tunc faceret huc Ov. Her. VII, 192. *Iam dabis in cineres ultima dona meos.* Melius autem *exequ.* proprie de pompa funebri, ad quam agendam amatores et cognati pecuniam conferre solebant, cum Wund. et Voss. intelligere. Bene contulit ille Terent. Andr. I, 1, 81. *In* cum accus. iunctum denotare consilium, finem, vel tironibus notum. Vid., si tantum, Ruhnk. ad Vell. II, 41. Seyff. Gr. t. II. p. 277 sq. Quod si mente tenuisset Sprengelius, non finxisset commentum, cui omnia repugnant: *moestis* - *ab exequiis*. [Niemand, welcher das Schauspiel eines traurigen Leichenzuges gebe.]

Et, bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securae sit super ossa levis!
Vera quidem moneo; sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas;
Ite sub imperium, sub titulumque, Lares!
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,

48. Ritum coronandi non mortuum solum et lectum eius, quum efferretur, sed sepulchrum etiam, illustravit Kirchm. de Fun. Rom. p. 373 sqq. cf. nostr. II, 6, 32.

49 sq. *Et discedens* sc. qui veteris amoris memoriam colit, *dicet: bene plac. quiescas. securae* genitiv. accipit Heynius et iungit: *super ossa securae* quod sit pro vulg. *ossa tua.* Nimis vulgare. Equidem *sec.* tertio casu accipi malim, subint. tibi. Ad rem. cf. Graecum illud: *Κουφὴ γῆ τοῦτον καλύπτοι.* Kirchm. libro laud. p. 248 sqq.

51. Berol. 1. 3. cum aliquot ap. Broukh. *quid prosunt* pedestri collocatione. Berol. 4. *verba* frequenti errore, v. Burm. ad Ov. Her. XVIII, 119. ad Phaedr. II, 6, 14.

52. Sensus: Non nisi conditionibus ab amica praescriptis, ut nimirum pecuniam afferam, amorem illius conciliare mihi possum. *leges* pro: conditiones etiam alias dicuntur, v. c. Liv. I, 24.

53 sq. Domum a maioribus mihi relictam si vendere iubeat avara puella, id facere non recusem. De dict. *ire sub imper.* et *titulum* cf. ind. H. Vossio *imperium* explicanti: sub imp. dominae, ut ire sub iuga, sub furcam, ne suffragio accedam vel maxime obstat verborum iunctura.

55 sqq. Poëta vult sibi hoc: a me puella impetrabit, ut gravissima quaeque subeam. Hoc ita extulit, ut se vel quodvis venenorum genus epoturum esse diceret. Sensu ita cum Heynio constituto signum lacunae delendum putavi, quod in ed. Heyn. versum 55. praecedebat. Wunderlich. v. *habet* expl. ita: quidquid veneni habere videmus Circen vel Medeam apud poëtas. Quod quidem ex mente satis conturbata Tibulli ut vere dictum sit, admodum vereor. Indignatione accensus et ad summum audaciae abreptus Circen et Medeam tanquam praesentes animo sibi obiicit.

Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

gregibus h. l. equis, etiam aliis de armentis haud insolens. Broukh. in anecd. apposuit Plin. VIII, 1. Flor. III, 20, 7. Serv. ad VI. Aen. 38. Ecl. VI, 55. Cic. in Verr. I, 10. Sen. Herc. fur. 226. 451. De *hippoman.* v. intpp. ad Virg. Georg. III, 280 sq.

59 sq. Quod structura vix nativo ordine procedit, conturbationi mentis facile tribuas. Sprengel. p. 138. *aliis philtris* pro: *alias herbas.* Commentum sane monstrosum. Valcken. ad Ammon. p. 222. *malas* pro: *alias*, cl. I, 2, 53. ut ingeniose ita non necessario. *herbas* e. herbarum succos, quos superioribus venenis *admisceat.* V. *miscere* de venenis e pluribus herbis coctis proprium. v. Virg. Georg. III, 283.

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

Marco Valerio Messalino, e filiis M. Valerii Corv. Messalae maiori natu [1]), quod in collegium Quindecimvirorum [2]) cooptatus fuerat, gratulatur Tibullus. Apollinem, ut Sacerdotii auspicia sua praesentia condecoraret, cantusque in Messalini honorem instituendos adiuvaret, vocatum — 10 orat, ut ipse omnium

1) *Alter idemque minor natu, L. Aurelius Cotta Messalinus Volusus dictus, genti Aureliae in adoptionem datus familiariter utebatur Ovidio, quem vid. in Pont. III, 2. Consulatum ille gessit cum Cn. Corn. Cinna Magno, a. 757 a. u. c. Igitur longe inferiorem aetate Tibulli hunc habemus. Alter filiorum, de quo hic agitur, consul erat una cum L. Cornelio Lentulo Getulico, a. 750 a. u. c., agebatque, quum in Collegium Quind. cooptaretur, vigesimum vitae annum. Hinc facile colligi potest, nostrum carmen anno 730 assignandum esse. Ceterum de hoc ipso Messalino vid. Vellei. II, 112.*

2) *Fuerunt hi Apollinis sacerdotes, quibus solis erat potestas libros, quos vocant Sibyllinos, adeundi, et quae legissent, renuntiandi ad Senatum. Eorum quoque erat, ludos Saeculares celebrare et omnia, quae Sibyllinorum carminum iussu facienda erant, peragere. Testes habemus Dion. Cassium, Dionysium, Livium, Tacitum.*

divinationis generum auctor et Sibyllinorum praeses Messalinum ad oracula clare perspicienda et rite exponenda erudiat — 18. Muneris dignitatem aucturus librorum fatalium fidem et auctoritatem interposita vaticiniorum a fatidicis mulieribus, Sibyllarum nomine insignitis, de Lavinio, Alba, Roma editorum narratione probat atque confirmat — 78. Commemoratis etiam tristissimis, quae eventum habuerint, prodigiis, laetiora in futurum successura esse tempora e faustis signis sperare iubet — 104. Denique, quod graviori carmini condendo impar sit, excusationem petit ab amore Nemesis parum secundo — 112. et ipsam obtestatur puellam, ut sese mitem exhibeat, ne prorsus destituatur facultate, Messalini triumphum, quem ab Apolline precatur, carmine celebrandi.

Phoebe fave! Novus ingreditur tua templa sacerdos!
Huc, age, cum cithara carminibusque veni!
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc, precor, ad laudis flectere verba modos.

1 sqq. Apollinem cur invocarit poëta, duplicem habemus caussam. Primum huic Deo sacerdotium, quod Messalinus auspicabatur, proprium erat ac consecratum, si quidem ipse omnium vaticiniorum praeses, libros Sibyllinos tuebatur atque servabat et quidem in templo, quod ab Augusto a. 726 in monte Palatino sibi exstructum erat. Suet. Aug. 31. *solos retinuit Sibyllinos; hos quoque delectu habito; condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Deinde vocavit Apollinem, poëtarum tutorem, ut se iuvaret in carmine condendo. Praeclarum hoc est poëtarum phantasma, quo Dii sacris suis adesse, pompam sacram ipsi ducere chorosque in ipsorum honorem institutos agere finguntur, v. Mitsch. ad Hor. t. I. p. 534. Haec si animo tenemus et omnia in templo agi animadvertimus, in promtu erit videre, unde carminis exordium augustam quandam speciem atque festivam acceperit.

1. *sacerdos* e. Messalinus.

3—4. Qualem alias choragum, cum voce tum cithara chorum moderantem, fingunt, talem oculis obiecisse hic videtur Apollinem. Hic nimirum poëtae cantum regere modis citharae suae sive accinendo fidibus repraesentatur. Et sane hunc sensum unice praestat lectio, quam libr. Matt., Guelf. 3., Lips. Exc., Voss. 4, Monach. firmatam cum Bauero reposui. Similiter Ov. Met. X, 40. *nervosque ad verba moventem.* Vulg. *ad laudes - meas* eum exhibet, qui suum cantum moderetur ad verba poetae, igitur hunc tamquam choragum sequatur. Parum scilicet dignum Deo! H. Vossius: *Nunc opus ad laudes flectere verba modis* quod

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
 Dum cumulant aras, ad tua sacra veni;
Sed nitidus pulcherque veni; nunc indue vestem
 Sepositam; longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
 Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides; tibi debitus augur
 Scit bene, quid fati provida cantet avis;

interpretatur: numeros et verba sc. poëtae metiri lyrae modis, i. e. accommodare. *Opus* in uno cod. Ursinus reperit. *modis* e Voss. ingenio. Utri ergo lectionum maior fides tribuenda sit, unusquisque sentiet. *modos* numeros citharae. *flect. ad verb. laud.* meis cantibus accommodare.

6. *cumulant* plenius dixit Virg. Aen. XI, 50. — *cumulatque altaria donis.*

8. *Sepositam* i. e. ad laetos et festos dies reservatam, *quae semel toto vestis sumitur anno*, ut Ov. V. Trist. 5, 7. Dicuntur enim *seponi*, quae ad usum aliquem destinata sunt, v. Gierig. ad Plin. Pan. LVII, 4. Ov. Met. V, 380. — *de mille sagittis Unam seposuit.* Hinc apparet, unice veram esse receptam, quam Angll. C. D. E., Beroll. omnesque apud H. Voss. tuentur. Aliquot: *Depositam*, sic ed. pr., Reg. Lep., Rom., Vicent. Ald. 1. varietate saepius obvia. Ceterum int. pallam, quae proprie decebat Apollinem citharoedi partibus susceptis, cf. III, 4, 35.

9. Pro *memorant* in Sfort., Angll. B. C. D., Berol. 1. 3. Witt. 2. *referunt*. Exquisitior autem et ad rem aptior est vulgata. Gerh. Voss. in Instit. Orat. III. nostro in usum adhibito loco dicit: „Ἐπινίκια originem habere ab Apolline dicuntur, qui, cum Iupiter armis fugasset Saturnum e regno, lauro coronatus ac purpurea ornatus toga, carmine ad citharam victoriam celebravit Iovis, Deosque omnes, qui convivio intererant, oblectarit mirum in modum.“ Ut in nostro *memorant*, sic in Horat. III, 4, 42. v. *scimus* ad argumentum spectat, quod poëtarum carminibus frequentatum fuit. *Qualem* i. e. quo culto et ornatu.

11—16. Apollinem omnium vaticinandi generum auctorem laudat. *debitus* qui fidem tibi promisit. Multo gravius hoc quam *deditus*, quod ante Scalig. constanter legebatur. Vulg. tuentur Berol. 1. 3. 4. Voss. 2. 4. Vindob. Utrumque frequenter in libris

Tuque regis sortes; per te praesentit haruspex,
 Lubrica signavit quum Deus exta notis;
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla,
 Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
 Vatis, et ipse, precor, quod canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
 Dicitur et raptos sustinuisse Lares.

confusum, v. Cortium ad Sallust. Iug. XIV, 3. Lennep. ad Ov. Her. VII, 103. In Quintil. Inst. IV, 2, 62. nullus dubito, quin rescribendum sit: *Non sunt huic parti proprie assignata et velut debita.* Hoc mihi necessarium videtur propter antec. *velut.*

14. *not. signavit* e. notavit. Nam si exta erant splendida, bene colorata, integra, plena et absque ulla labe et macula, appellabantur bona sive felicia. cf. II, 1, 25.

15. *Sibylla* omisso *est* cum plerisque libb. etiam exhibent Angll., Beroll. Sic ed. pr., Ald. 1. aliae. Verbum subst. hic bene abest, quum sententia nondum absoluta sit. H. Vossium sequutus sum.

16. Hinc colligere licet, hexametris libros Sibyll. exaratos fuisse.

17 sq. *chart. sacras vatis* i. e. Sibyllae libros, quos profani non adspicere, nedum tangere et evolvere poterant. *doce* sc. Messalinum. *Quod* Angll. B. C. Zwicc. 1. 2. Hamb., plur. Voss. Ed. pr. ceterae vetustissimae. Et sane hoc servari debuit, neque cum Broukh. *Quid*, quamquam hoc ipsum libri complures, Ber. 2. tuentur. Pronom. *Quid* et *quod* in his loquutionibus ita differunt, ut hoc ponatur, ubi res ipsa tanquam certa et explorata cogitatur et per se consideratur, quam ob caussam subint. potest *id;* v. c. Nep. Epam. VIII, 1. *qui* [sic enim legendum, non *quod*] quod *diceret non haberet.* cf. ibi Brem. Quum vero res aliter se habet, et pronomen resolvi potest in *quid sit*, *quantum sit* cet. *quod*, requiritur *quid.* Ov. Met. VI, 580. *Nec scit*, quid *tradat in illis* i. e. quid sit, quod cet. cf. nostr. 12. IV, 6, 15. Receptae patrocinatur Hand. ad Stat. t. I. p. 250. H. Voss. *quoi* ex ingenio, et expl. cuius fata vaticinata fuerit Sibylla. Probetur aliis, mihi non probatur. In multis: *quos.*

20. *raptos* Angl. E., Vind., Voss. 1. 2. 3. Sic praeeunte

Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos:
Romulus aeternae nondum formaverat Urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae,
Et stabant humiles in Iovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales;

Scal. ceteri. In aliis: *captos*, quod Bauer. revocasse miror. Rapt. e. raptim secum portatos, Virg. Aen. I, 378. *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum.* Hinc simul manifestum fit, *Lares* h. l. pro Penatibus positos. Vulg. structura ferebat: postquam, ut dicitur, ille sustinuit cet.

21. *Nec*, in permultis *Haec*. In marg. Langerm. *Hic* i. Aeneas. Litterarum *H* et *N* in codd. eadem fere scriptura, inde frequenter confusae. v. Burm. ad Gratii Cyneg. 300. Idem factum esse suspicor in Ov. Her. I, 103, qui locus varie turbavit vv. dd. Meo certe sensu vss. 99—102. pro interpositis accipiendi, et vs. 103. leg. *Nec faciunt* — Oratio ita progreditur: Nihil efficere possumus contra procorum licentiam, nihil efficit boum custos cet., nihil ipse Laertes.

22. *ard. deos* e. templa omniaque in iis sacra, statuas. cf. Virg. Aen. II, 311. Berol. 2. *focos*. Berol. 4. *domos*. Utrumque ex gloss. enatum.

23—38. Haec pro episodio habentur, quo vetus locorum circa Romam situs describitur. Quae Sibylla dederit oracula Aeneae, inde a vs. 39. exponuntur.

23. *form.* sic optimi libri ap. Broukh., plur. ap. H. Voss., Beroll. et vindicatur a Burm. ad Ov. Met. XV, 434. et ad Prop. IV, 6, 43. Exhibent eandem Ed. pr. Ald. 2., Reg. Lep., Ven. 1487. Scalig., Broukh., Vulp., recentt. *Form. moenia* propr. primam urbis delineationem describere, regnique fines primi. Huc conveniunt *forma urbis* Ov. Met. l. c. *imago urbis*, Flor. I, 1. Ov. Fast. IV, 819. *Apta dies legitur, qua moenia signet aratro*, cl. 825. nisi cum Heynio pro: condere, exstruere accipere malis. *Urb. formare* etiam metaph. dicunt, Iustin. V, 8. *In has leges traditam sibi urbem Lacedaemonii formandam Lysandro tradi-*

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Et calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illâ saepe gregis diti placitura magistro
Ad iuvenem festa vecta puella die est;

derunt. Ne ita interpreteris h. l., obstat *moenia.* In Angll. B. C. D. E. Vind., Colb. *fundaverat*, quod et ipsum non contemnendum. Virg. Aen. VII, 410. Sil. XIII. *et primis fundarunt moenibus urbes.* Unus Br., Cyll., Voss. 1. *firmaverat*, quod a Statio probatum et Santenio H. Voss. reposuit. Qua lectione aliquid elici ex mente poëtae puto, quod alienum erat ab illa. De permut. verb. *firm.* et *form.* Sant. ad marg. laud. Bentl. ad Hor. III, 24, 54.

26. *in Iov. arce* i. e. ubi postea templum erat Iovis Capitolini in rupe Tarpeia. Mox *lacte mad.* cf. I, 1, 36.

32. *Et* ducibus uno ap. Br., Perrei. Exc., Guelf. 2. cum H. Voss. et Wund. recepi, fav. Heyn. Vulg. *Nam.* Voc. *usque*, ut *semper* vs. ant. non de tempore, sed loco cap. pro: continua serie, deinceps.

34. *linter* h. l. masc. gen. ad gr. ὁ λιντήρ. Alias foem. genere usurpatur v. Ov. Fast. VI, 779. Prisc. V.

35. *Illâ* sc. aqua. *diti* unice verum. Ita enim Tib. substantivum a praedicato disiungere solet, ut ab antecedente adiectivo animus legentium ad ipsum substantivum praeparetur. Tuentur Corv., Voss. 4., Mon. Sic Muret., quem una cum Dousa, Pass., Cantabr., Vulp., Vossio, Bauer. sequutus sum. Vulg. *ditis* voc. *magistro* ea vi defraudat, quae h. l. conveniat. H. Voss. *pia cura* ex ingenio dedit pro *placitura*, quod parum honeste de puella dici opinatur. Me quidem iudice mirum in modum convenit simplicitati agrestis puellae, quod *festa die* i. Palilibus sive aliis rust. festis, elegantius vestita ad iuvenem, cuius amorem captura est, vehi lintre fingitur.

36. *est* ad finem reposui ducibus Guyeto, Broukh., Vulp., Wund., suffrag. Voss. 1. 2. 3. v. ad I, 1. 34.

Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
 Caseus et niveae candidus agnus ovis.
„Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
 Troïa qui profugis sacra vehis ratibus!
Iam tibi Laurentes adsignat Iupiter agros;
 Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
 Unda Deum coelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes;
 Tandem ad Troianos diva superba venit.

39 — 64. Sequitur ipsum Sibyllae vaticinium, in quo de sedibus Aeneae atque honoribus inter Laurentes perceptis, de Turno Rutulorum rege occiso, de pluribus condendis urbibus, de Romulo eiusque fratre et initiis Romae agitur. Ab hoc versu libri et edd. veteres novae elegiae initium faciunt. In Ald. 2. asteriscus. Superioribus autem haec primus iunxit Muretus, quocum faciunt Synclit., Scalig. Cyllen. et recentiores. Redit oratio ad vs. 22.

40. *Troïa* ad gr. *Τρώϊος* compositum Angl. B., Voss. 2. Bern. firmant. Ante Broukh. legebatur *Troïca*, quod ipsum Berol. 1. cum ceteris exhibet. Recepta toti carminis indoli melius convenit altera, quae aliis quoque locis debetur correctoribus, v. Ov. Met. XII, 70; Trist. III, 4, 49. Heins. ad Her. I, 28. Ne tamen abutaris hac observatione, monet Hand. ad Stat. t. I. p. 81 sq. et Ruhnk. ad Vell. I, 5. Qualia fuerint *sacra*, docet Virg. Aen. II, 717. et ad hunc Heyn. Exc. IX.

42. *vocat*, gratam sedem ostendit et praebet. Quam rationem ab Heynio propositam probavit Mitsch. ad Hor. II, od. 3, 10, ubi *umbra* dicitur *hospitalis* i. e. quae invitat iucundamque commorationem ostendit.

43 sq. *sanctus* e. tamquam Deus habitus. Ad Numicium fluvium proelio cum Etruscis vel Rutulis facto occidisse Aeneam tradunt. Livius I, 2. Iustin. 43, 1. Alii alia de morte Aeneae ferunt, v. Broukh. Observa exquisitam dictionem: Unda ven. Num. misit coelo [ad coelum] Deum Indig., pro: Aeneas ad deos abiit, postquam, quidquid mortale in illo erat, hoc flumine ablutum fuerat. Huic certe rationi favet Ov. Met. XIV, 581 sqq.

45 sq. Respicit victoriam a Troianis in proelio cum Latinis

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris!
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavinî est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos,
Ilia, Vestales deseruisse focos;
Concubitusque tuos furtim, vittasque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc tauri septem de montibus herbas,
Dum licet; hic magnae iam locus urbis erit.

facto reportatam. H. Vossius: *volitans - puppes!* praeeunte uno Statii libro. Num vegetiori orationis colori particip. magis congruat quam verbi indicativus, penes alios sit iudicium. Ego quidem vulg. retinere malui.

47. *incendia* i. q. faces, ut Virg. Aen. IX, 71. Ov. Met. XIV, 539., quibus Turnus classem Troianorum exurere parabat, tradente Virg. l. c. *castris* pro in castris. *barbare* cum Heynio et Bauer. *crudelis*, *ferox* interpretari malim, quam *Itale*, *Latine*, ut Stat., Br., Vulp. Cui quidem rationi adversantur narrationes de Turno Graia stirpe oriundo, v. Heyn. Exc. ad Aen. VII, 371.

49. Broukh. in anecd. coni. *Latini*, Virg. Aen. VII, 559. I, 270. VI, 84. ibi Serv.

51—54. Referuntur haec ad Iliam sive Rheam Silviam, Numitoris filiam, quae sacerdos Vestae deseruerat focos, ut peteret aquas e fluvio Anieno. Ad huius ripas a Marte compressa est, unde gemelli Remus et Romulus uno partu editi sunt. Ad rem v. Liv. I, 3 sq. Virg. Aen. I, 273 sq. Ov. Fast. III, 17 sqq. *tuos furtim* i. q. furtivos, furtim peractos; quem adverbiorum usum, nisi si qua temporis aut loci notationem haberent, negans Vossius *datos* pro *tuos* de coniect. posuit. Wund. vulg. vindicandam censuit Liv. loco, XXV, 33. *ut non plus sui roboris suarumque proprie virium in castris habeant.* Neque ego hunc graecismum, de quo v. Zeun. ad Vig. p. 376., a Latinis poëtis alienum esse existimo. Schrader. tentavit: *urnam.* Bauer. mavult: *Custodesque tuos, zonam . . .* Vindob., nuntiante H. Voss., *custodesque* testatur. *Zonam* autem nimis a vulg. scriptura recedit.

55. *Septem de* ex Angl. B. cum H. Voss. collocavi. Vulg. *de septem.* Vix consentaneum mori Tibulli.

Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de coelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.

57. E Cod. Pal. 1. et Guelf. 3. H. Voss. legit: *rebus* pro *terris*, quod seq. versui male convenit. Vulg. Broukh. Virgilii testimonio, Aen. I, 337 sqq. bene vindicavit. *tuum nomen* bene et graviter dictum pro *tu. fatale* a fatis destinata es, ut orbis terrarum imperium teneas.

59 sq. Amplificatio versus superioris: per orientalium et occidentalium terrarum orbem imperium Romanum extenditur. cf. Horat. IV, od. 15, 13—16. H. Vossius: *rutilantibus* ex ingenio dedit, ut occasus solis vividius describatur. Vulg. *fluit.* otiosum esse opinatur. In his tamen descriptionibus singula epitheta non urgenda sunt.

61. *Troia* tanquam nova, si quidem ex iis, qui excidio superstites erant, tanta urbs surrexit, amplitudinem suam mirabitur.

62. Plerique fere omnes libri: *longam - viam*, quod Burm. ad Ov. ex Pont. II, 9, 34. interpretatur: in utilitatem Troiae statuisse et effecisse, ut bene illi cederet. Fuit etiam, qui defenderet istam lectionem e Iustin. 42, 5. *Cum multa crudeliter consuleret.* Hic tamen *consuleret* i. q. deliberaret, animo agitaret. Nihil amplius. Turbavit interpretes vel potius scribas absolute positum verbum adeo ut obiectum supponendum censerent, hinc corruptela *longam - viam.* Rectius vidit Scalig., abl. reposito iungendum esse: dicet, vos sibi bene cons. i. e. bene prospexisse. Hanc emend. firm. Voss. 1. et prob. Crusius in Probab. crit. p. 161. Synclit. adscripsit: *In aliis codd. legitur: fugam, quia fugit a patria. Sensus: vos feliciter fugisse ex Troia et venisse in Italiam.* Huic tamen lectioni parum fidei tribuas. Non poenitebit contulisse Iust. XXXI, 8, 3.

63 sq. Fidem vaticiniis conciliatura obtestatur laurum et virginitatem perpetuam. Lauri folia, quae futuri praesensionem afferre credebantur, vates et poetae manducabant, v. quos in hanc rem laud. Broukh. *innox.* passive, cui non nocetur. *Vescar* h. l.

Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus
　Vescar, et aeternum sit mihi virginitas!"
Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,
　Iactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit;
　Herophile Phoebo grata quod admonuit;

cum quarto casu, ut apud poëtas saepius, in prosaicis rarius. cf. Phaedr. I, 31, 11. *coepit vesci singulas.* Exempla congessit Broukh. ad nostr. *aeternum* cet. Deo consecratae sacerdotes, vates feminae perpetuam retinere virginitatem credebantur. Sic Sibylla de se iactat Ov. Met. XIV, 141 sq. — *Contemto munere Phoebi Innuba permaneo.* v. Broukh.

66. Iungas: et iact. comas ante caput fusas. Pedestris sermo ferebat: iactavit adeo ut comae ante caput funderentur, spargerentur. Crines fundere, caput iactare de vaticinantibus proprie dicitur. Eurip. Iph. T. 282. Ἔστη, κάρα τε διετίναξ' ἄνω κάτω. cl. Iph. Aul. 762 sq. et Arist. Lysistr. 1314. σείειν τὰν κόμαν. v. intpp. ad Gregor. Cor. p. 184 sq. In numis et aliis monumentis Sibyllae eodem, quem hic describit T., habitu apparent, v. Wernsdorf. commentat. de Constantiniana Daphne in Actis soc. lat. Jen. v. I. p. 273 sqq. In Perrei. Exc. *fusa - coma.* Hinc Scalig. *iact. fusa sed - coma*, quod Dousa, Cant., Vulp., Broukh. servarunt. Perturbat haec lectio et sensum et structuram. Audacius de coniectura H. Vossius reposuit: *Iactat diffusa dum caput a. coma.* Membr. Goth. et Voss. 1. cum Berol. 2. *fuscas.* Berol. 3. *iactavitque.*

67—78. Sequuntur quae ceterae praeter Cumaeam Sibyllae de futuris Romae calamitatibus et periculis e bello civili imminentibus praedixerunt. Horum quoque vaticiniorum prudentem ut reddat Messalinum a Phoebo precatur poëta. Relatis igitur his versibus ad v. 18. lacunae signum cum Voss., Wund. delevi. Concitatiori spiritu percussus poëta spernit sententias, quales alias diversis rebus nectendis interponi solent. Vulgaris ordo ferebat: Doce Messalinum quidquid Mermess. cet.

68. *grata quod adm.* Angll. B. C. D., Ber. 1. 3. 4., quinque ap. H. Voss. Ald. 2. Muret. Scal. Pass. Vulp. Dous. Br. Voss. Vulg. *grataque quod mon.* parum probabilis, quum sententia hic non absolvatur, sed in seq. vs. continuetur.

Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu:
Hae fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas atque arma ferunt crepitantia coelo
Audita et lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos,

69 sq. *An.* - *Tiburs* agnoscunt Lipsii Exc. Vestigia v. *An.* docet var. *Anlena* et *Aniana*. cf. *Aniena unda*. Prop. I, 20, 8. III, 16, 4. *Tiburs* codd. 2. Ital., Ald. 1. et Livin., Heyn. probatur. Est nomen Sibyllae gentile, ut modo *Mermessia*. Mecum consentit Voss. Receptam ipsa res postulat. v. Lactant. I, 6. *Decimam* [Sibyllam] *Tiburtem, nomine Albuneam, quae Tiburi colatur, ut dea, iuxta ripas amnis Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens in manu librum; cuius sacra senatus in Capitolium transtulerit.* Vulg *Quasque Albuna - Tiberis* repugnat historiae et nominis veritati. Neque rectius se habet *Albana*, quod permulti libri habent. V. *pertul.* vix a manu T. profectum existimo. Nam quis ferat *per flum. port.* et *pertul.?* et quomodo sibi constet miraculum, quo ipsum volumen, sinu vestis involutum et aqua fluminis allutum non permaduisse traditur! Fortasse fuit: *siccas praetuleritque* e. quas sortes sinu prae se tulerit non aqua laesas. *Praet.* iam Colin. praestat. Parum lucri capitur e lect. *perluerit*, quam ex fide libb. Angll. aliorumque cum edd. vet. Br. et Vulp. retinuerunt. Argutius H. Voss. *praelueritque* expl. praeterluerit. Heyn. coni. *Portavit - pertulit inque sinu.* Non accedo. Servari coniunct. ratio grammatica postulat. *Q. sortes portarit* cet. solvenda sunt: quales, cuius argumenti sint sortes, quas portavit cet.

71 sq. Expedi haec ita: Sibyllae dixerunt, cometen et ut multus lap. in t. deplueret, [haec] mala belli signa fore. Similem fere structuram in II, 4, 17. vidimus. Cometen et lapidum pluvias in ominibus, quibus belli civilis terrores portenderentur, haberi solita fuisse, e pluribus poëtarum locis apparet, v. Virg. Georg. I, 488. Lucan. I, 526 sqq. Ov. Met. XV, 782.

74. Memoratu digna est lectio: *Audita atque lupos praecicinisse fugam* in Berol. 4. Lupos etiam urbi accedentes sive eam pervagantes ululando inter mala portenta habebant Romani. v.

Et simulacra deûm lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerunt olim. Sed tu, iam mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus,
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus eat.
Laurus uti bona signa dedit! gaudete, coloni!
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Virg. Georg. I, 485. Iul. Obsequens c. 123. *Lupi in urbe visi, nocturni ululatus flebiles canum auditi; simulacrum Martis sudavit* cet.

75. *lumina* ex uno cod. Broukhusius recepit. At in Tibulli carminibus Romanas loquutiones peregrinis anteponendas esse bene iam vidit Vulp. *defectus pilis* dixit Phaedr. V, 6, 2. Mox *nub. annus vidit* cet. denotat solis lucem per totum fere annum pallidam et languidam.

77 sq. Quamvis neque *tepentes* neque *praem.* oculis usurpari possunt, caveas tamen lectionem sollicites. Haud inusitatum est id zeugmatis genus, quo ex uno sentiendi verbo alterum in seqq. membris assumitur.

79. *fuerunt* Ber. 3. Voss. 4. Scal. ed. 1607. Silv. 1685. Dous. Cant. Vulp. 1. Hoc unice verum, quandoquidem in sententiis absolutis perfecti usus proprius est. v. Catull. IV, 25. *Sed haec prius fuere: nunc* . . quem locum ad nostram lect. vindicandam bene contulit Klindw. ad I, 10, 11. Broukh. ex ingenio: *fuerint*, quod deinceps amplexi sunt. Inepte hoc, quamquam Monach. et Voss. 5. suffrag. In libris: *fuerant*, sic ed. pr. et pleraeque ante Broukh. Corrigendi ansam dedit correpta syllaba *fuĕrunt*. Exempla huius licentiae v. II, 3, 12. IV, 5, 4. In seqq. rogat Apollinem, ut non amplius mittat prodigia, qualia ante Romam conditam apparuerint, sed signa det pacis et fertilitatis. *prod.* omnes res, quae malum quid portendere credebantur, eamque ob caussam in mare proiici vel igne aboleri solitae. Hunc expiandi ritum tetigit Val. Max. I, 4. *Bello punico* cet.

81. Boni ominis erat, si clare laurus crepuisset; mali, si nullo crepitu deflagravisset. v. Plin. hist. XV, 30. Ov. Fast. I, 344. Mox *eat* precantis oratio flagitat. E libb. Guelff., Reg., Corv., Voss. 2., Hamb. restitui sequutus Aldd., Muret. Ven. Scalig. Dous., Pass., Voss., Bauer. Idem iam Heyn. maluit. cf. Gier. ad Ov. Fast. I, 26. Vulg. *erit* quam parum contextui quadret, unusquisque sentiet.

83. *uti*, *ut*, notionem auctam vocis *quam* habet, cf. II, 2,

Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficientque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet; a stabulis tum procul este lupi.
Ille levis stipulae solennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.

17. 1, 15. Ov. Fast. I, 75. *Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether.* In libris, acc. Angll., Beroll., Zw. *ubi;* hinc vulg. *io* concinnavit Heinsius. Propius autem a codd. scriptura abest, quod cum H. Vossio reposui, eoque ducit: *Ut laurus bona* . . in Guelf. 1. 4. nonnullisque edd. vett. Corrupt. *At* exhibet Ald. 1. et Scalig.

86. *deficient* ad fid. codd. Voss. 5. et nonnull. ap. Br., Ed. pr., Reg. Lep., Ven. 1475. Lips. cum H. Vossio, probatum etiam Wund., restitui, sensu futurum exigente. Feriendo uvas continuabit rusticus, donec deficient cet. cf. I, 4, 65. Virg. Aen. I, 607 sqq. Prop. I, 14, 14. *Quae maneant, dum me fata perire volent.* Tritissima est observatio, futurum indicat. part. *dum* adiungi, ubi mera temporis futuri notatio fiat; praesens autem coniunctivi, quum finis et consilii significatio accedat. Haec tamen notio in nostrum locum minime cadit. Hinc apparet, vulg. *deficiant*, quod Br. e libris dedit, non ferri posse. Nec magis verum est *deficiunt*, quod edtt. vett. addic. Guelf. 1. 4. agnoscunt. Praes. ind. utramque rem vel actionem per unum idemque temporis spatium continuatam significat, quod h. l. vere absurdum esset.

88. *a stabulis* cet. quandoquidem haec festa etiam pro lupis arcendis instituebantur. De Palilibus v. Ind. hist.

89 sq. Palilium die, combusta victima, pastores aqua spargebantur, coenae apparabantur, et vesperi sub noctem ignes ab agricolis excitabantur e stipula, quos ter transiliebant, hoc modo se expiari credentes. v. Ov. Fast. IV, 781. Prop. IV, 1, 19. 4, 77. Post v. *sacras* gravius distinguendum esse cum Broukh. aliisque

Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit;
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta; coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.

edtt., iam viderunt Voss. et Wund. Ceterum in his vss. et seqq. describitur ea temporum felicitas, quae amoris lusibus aliisque vitae iucunditatibus faveat.

95 sqq. De hac hilaritate rustica v. II, 1, 21—24. *antiquae* e. annosae, eoque latioris foliis et umbra, cf. *antiqua cupressus*, Plin. Ep. VIII, 8, 1. *Sertis* e. ramis ac frondibus, quibus flores et folia non destricta sunt, ita ut ad viminum et iuncorum morem pro vinculis esse possint.

97. *aut e veste sua* confirm. Beroll., quorum primus a marg. *sacris* exhibet, et ed. pr.

98. *ipse* calix, cum aliis Berol. 2. 4. et Ed. pr. *ante* Broukh. restituit, quod absolute positum saepius fefellit librarios. Testatur Ber. 1. 3.

99. De his dapibus, a rusticis, postquam sacra erant peracta, parari solitis, cf. Prop. IV, 4, 74. *Annua pastorum convivia, lusus in urbe*, *Quum pagana madent fercula deliciis.* Eodem fortasse respexit Hor. II, od. 3, 6—8.
alte Bauer. mutari mavult in *arte*.

101. De his lusibus amoris in artes, quae paci debentur, relatis cf. I, 10, 53 sq. Vulp. legendum existimat: *mala multa*, cl. Plaut. Bacch. IV, 8, 34. Men. V, 1, 17. Burm. ad Ov. Trist. V, 10, 39. *mala dicta* e cod. Matt. affert, cui acc. Guelf. 3. Ber. 3. Acquiescendum in vulg., cui comp. I, 10, 57. Sunt vero *male dicta* convicia, cf. Ov. Art. II, 533.

103 sq. Conf. I, 10, 53—56.

Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor;
Ars bona; sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
Heu heu, quam multis ars dedit ista malum!
Et mihi praecipue, iaceo cum saucius annum,
Et faveo morbo; tam iuvat ipse dolor!
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, iustos aut reperisse pedes.
At tu, nam divûm servat tutela poëtas,
Praemoneo, vati parce, puella, sacro,

105 sqq. Curis Amoris cruciatus omnem amorem e genere humano sublatum vult poëta. Id suo more dixit imagine ab arcu et sagittis Amoris petita. Quum vero sagittas et ipse Phoebus gestet, excusandi caussa adiecit: *Pace tua*. *Ars bona* sc. arcum et sagittam tractandi. *sumsit sibi* scil. quae sibi proprie non conveniunt. Significationem arrogantiae et audaciae latere in hac loquendi forma, nullus dubito, neque igitur Vossio assentior legenti: *sua* e duobus libris.

108. *ista* cum contemtus notione positum vulgari: *illa* cum H. Voss. praeferendum duxi. Firmant Guelff. 2. 3., Angll. B. C. D., Beroll., Guarn., alii ap. Br. et Voss.

109. Verius fortasse, quod Livinei. maluit, et unus ap. Br. et Flor. cum ed. pr. tuentur: *At* mihi - - ut opponantur gravius sibi: *multis* - *mihi*. Mox *annum* e. diu, cf. Petron. 44, 2.

111. *Usque* libb. Angll., Beroll., Sfort., Flor., duo Stat., sex H. Voss., Guarn., Zw. 1. 2. et edit. vett. ne pr. quidem excepta. Vulg. *Vixque* a Scalig. propagata. Nostram revocavit Wund. in ed. 1., quem Voss., Bauer. sequuti sunt. Sant. in bibl. crit. p. 87. dicit: „Audacior quis fortasse tentaret: *Urit amor Nemesis* ut ad hunc T. versum respexerit Martialis XIV, 193. *Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum.*"

112. *reperisse* ex auctorit. Beroll. et Guelf. 2. cum Voss. reposui. Vulg. *reperire*. Aoristi autem forma delectari Tibullum, supra docui. cf. II, 1, 10. Ov. Am. I, 4, 38. 13, 5. Art. III, 455. Mart. de spect. VIII, 2.

116. Currum triumphalem Romani Imperatoris praecedebant simulacra oppidorum, quae ille ductu suo expugnaverat et in ditionem redegerat. Ita explices *opp. victa*. Haec quia ferculis imponebantur, *feret* bene delectum posuit.

Ut Messalinum celebrem, quum, praemia belli,
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus; lauro devinctus agresti
Miles, io! magna voce, Triumphe, canet.
Tum Messala meus pia det spectacula turbae,
Et plaudat curru praetereunte pater.
Adnue; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror!

117. *Ipse* sc. Messalinus; oppos. *miles.* Rationem laurus a militibus gestatae reddit Festus Pompeius: „Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a caede humana intrarent urbem.“ Form. *laurus* nobiliorem esse altera: *lauros*, quam praeter alios Beroll. 1. 2. 3. habent, H. Voss. monuit. Negari autem non potest, eandem illam in loquutionibus satis vulgaribus etiam occurrere, v. Hor. II, 7, 19. Catull. Epith. 290. ubi tamen cod. Riccard. *lauros* exhibet. Broukh. in anecd. coni. *laurum*, quod poëtam parum decet.

118. accurate adumbravit Ov. I, Am. 2, 34. *Vulgus, io! magna voce Triumphe canet.*

119. *Tum* e libb. nonnullis Stat., Beroll. 1. 3. Zw. 1. 2. Ed. pr. aliisque cum Br., Vulp. Vossio reposui. Vulg. *Tunc.* V. *pia sp.* erat ipse pater, filii triumpho plaudens. Langerm. *sua* mavult pro *pia.*

121 sq. Per tuos, Phoebe, promissos capillos, et per sororis Dianae virginitatem te obtestor, ut adnuas et me exaudias. De v. *sic* v. Index.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Avaritiam Nemesis indignatus quum ad Aemilii Macri exemplum de stipendiis faciendis cogitasset, 1—10. huius consilii nunc se poenitet, quippe qui, quoties se ad puellam nunquam esse rediturum iurasset, mox tamen ad illam redierit — 14. Optat autem, ut remittantur amoris cruciatus, quibus adeo vexatus fuerit, ut de morte sibi consciscenda agitaverit, nisi spes puellae amore potiundi tales cohibuisset conatus — 26. Qua quidem non prorsus ex animo abiecta Nemesim, ut facilem se exhibeat, per Manes sororis obtestatur — 42. et, moribus ipsius laudatis, in lenam, cuius malignitate exclusus fuerit a puella, imprecationes transfert.

In tempore, ad quod haec elegia spectat, constituendo non est quod haereamus. Aelium Gallum, Aegypti praefectum, in Arabiam beatam mittere in animo habebat Augustus [quo refertur etiam Hor I, 29]. Isti quidem expeditioni Aemilius Macer se adiunxit. Nihil igitur obstat, quo minus ad annum 730. hanc elegiam referamus.

Castra Macer sequitur; tenero quid fiet Amori?
Sit comes, et collo fortiter arma gerat?
Et, seu longa virum terrae via, seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca!

1—4. Macrum in militiam abiturum an Amor sequetur tanquam armiger? Scalig. *Si comes et collo f. a. geret*, *Et - - volet*. Sensum et ordinem vehementer turbat. Negative enim interrogare, nec vero Amorem vere comitantem sibi fingere vult.

3. *virum* i. Macrum. In ceteris poëticam agnosce rationem. Vulgaris fuit: seu terra sive mari iter faciat. Mox *volet* Vulp. cum Mureto a *volare* deducit. Parum apte. Non offendere potest commutatio praes. coni. et fut. ind. in *gerat* - *volet*, si quidem subiunctivo saepius futuri vis ac notio inest maxime in oratione interrogativa, cf. Matth. Gr. gr. p. 730.

5 sq. Quum tibi, Amor, non conveniat calonis partes suscipere, retrahe Macrum ex militia, eumque *ure* cruciatibus, eum ulciscere propter perfidiam. Macer enim in militiam Amoris sacramento adactus fingitur. Notum est poëtarum phantasma, quo tam Amor militis personam induere, quam ii, qui amorem exercent, militiam agere repraesentantur. v. Hor. III, od. 26. Ov. Art. II, 235 sqq. De v. *urere* cf. I, 9, 21.

6. Invitis libris H. Vossius intulit: *Erronemque retro.* Vulg. autem genuinam esse, docet var. *et verum* in Berol. 1. a marg. et Vat. Nihil similius in libb. deprehenditur syllabis *it* et *u.* Qui *verum* legebant, versum interponendo *Et* complere tentabant. *Iterum* ad signif. vocis *retro* saepe accedit, ut gr. πάλιν in formis πάλιν ἥκειν, ὑποστρέφειν cet. v. Valck. ad Eur. Phoen. 732. Marcl. ad Eur. Suppl. 460. At ne haec quidem ratio necessaria. V. *iterum* propria sua vi accipiatur pro secunda vice. Nam Macer, amore captus, iam semel sub Amoris signa vocatus erat.

Quod si militibus parcas, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus, valeantque puellae;
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.
Magna loquor; sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.
Iuravi quoties, rediturum ad limina nunquam!
Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas
Ilicet exstinctas adspiciamque faces!

7. *Parcas* ad fid. Guelf. 3. Mon. cum H. Vossio. Vulg. *parces* eadem fere caussa suspecta habetur, qua v. *veniet* in II, 4, 43. Goth. *parcus* eodem ducit. *hic* i. ego ipse: sic enim *Hic* verbo tertiae personae δεικτικῶς iungitur, v. Vulp. Graeci: *ὅδε*, v. Soph. Oed. t. 1018. 1136. Quapropter non opus est Dousae P. correctione: *ero et hic* . .

8. Infimi ordinis milites, calone destituti, aquam victumque ipsi petere cogebantur, ad quam rem galea uti solebant, v. Prop. III, 12, 8. *Potabis galea fessus Araxis aquam.* Lucan. IX, 502. Claud. Cons. III. Hon. 49. Broukh. in scriptis indicavit Freinsh. ad Curt. V, 13, 24. *Levem* bene signif. celerem aquae cursum. Voss. laud. Hor. Epod. 16, 47. Virg. Cul. 146. Ov. Fast. V, 662. Adde Val. Fl. I, 389. Alii cum Statio interpr. *exiguam*, *vilem*, quod parum poëtam decet. Neque facio cum Broukh. *levi*, quod Flor. Ber. 4. exhibent. Nostram exigit Tib. consuetudo praedicati hoc modo a substant. disiungendi, de qua v. ad II, 5, 35.

10. *facta* vindicat Ov. Trist. I, 3, 83. *Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus.* E gloss. profectum puto *grata* quod paucorum libb. auctoritate Muretus recepit. Sensus: Ego quoque stipendiis faciendis par sum atque idoneus.

12. *fortia* qualia sunt fortis, bellicosi, alias intrepida, minacia, Ov. IV, Met. 652. H. Voss. ex Italicis Heinsii Excerptis dedit: *grandia* cuius interpret. habeatur *fortia.* Contrarium ego existimo. Et ipsum verb. *excut.* multo melius vulgatae respondet, v. Epist. p. 24.

13. *rediturum* sc. me esse. H. Vossius pro participio accepit novumque loquendi genus excogitavit, quod nescio quomodo exemplis collatis confirmare gestiverit. Omnia enim ita sunt

Tu miserum torques; tu me mihi dira precari
Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto; sed credula vitam
Spes fovet et melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno foenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

comparata, ut pron. *me, te, se* subcogitandum esse appareat. Prudenter de hac re monuit Huschk. p. 37 sq. Mox *ipse* i. e. ultro, cf. I, 3, 45.

17. *miserum* int. me. De v. *torquere*, lento cruciare amore, cf. I, 4, 81. Mox *mihi dira* puto: vitae finem. *nefanda* ad deos respicit, cf. III, 5, 14.

19 sqq. Scaligerum ad fid. Exc. suorum legentem: *Finirent multi leto mala; credula* et inde novae elegiae initium facientem perperam sequutus est Broukh. Sententiarum nexum perspicere in promtu est. Vulgaris iunctura ita ferebat: *Iam fin. mala leto, nisi spes foveret* cet. Ad nostram loquendi rationem contulit Wund. Ovid. Art. III, 43. Her. XV, 88. 92. E Graec. Hom. Od. XI, 564. De laud. Spei cf. Pind. fragm. p. 80 sq. Ov. ex Pont. I, 6, 29 sqq.

20. *et melius-ait* verba sic ordinata reddunt Angl. E. Zwicc. 1. 2. Brix. Ms. et edtt. vett. ad Heynianam usque recensionem, qua vulgatur: *et fore cras s. ait melius.* Antiquum ordinem cum Vossio restitui, quippe quem non tantum versus concinnitas, sed notionum quoque vis ad poëtae mentem et sensum revocanda exigit. Ad sens. cf. Theocr. IV, 41.

21 sq. *Credit - reddat* ad eam ref. dictionem, de qua ad II, 3, 36. egimus. Versum 22. imitatione adumbravit Ovid. Rem. 174. *Quae* [semina] *tibi cum multo foenore reddat ager.* Heins. ad Sabin. Ep. III, 91. correxit: *multo.* Frustra. Etiam Ov. I, Fast. 694. *ingenti foenore* dixit.

24. Burm. ad Prop. II, 25, 50. *arte* leg. proposuit, quod idem Broukh. in uno libro pro var. lect. invenit. Receperunt Vossius, Bauerus, expl. dolo, ut Liv. I, 15. Ov. Met. XV, 473.

Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.
　　Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam!
Parce, per immatura tuae precor ossa sororis;
　　Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro
　　Et madefacta meis serta feram lacrimis;
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
　　Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem;
　　Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto,

Non accedo, quamquam utramque vocem frequenter esse confusam probe scio, v. c. III, 1, 10. Suppl. *pisces*, quibus hami obiiciuntur, ut natando in illos incidant. Ergo proprie ac suavi positum *ante*. Ad rem cf. Ov. Rem. 209 sq.

27. *negat* abs. de amore difficili, v. ad I, 4, 15.

28. *vincere* Spem dicitur puella, si quidem, quae Spes ostendit, non praestat, solvit, eoque ipso dignitatem Deae imminuit. *dura* retinendum monet contextus. Angl. C. *lenta*. Recepit H. Voss., tanquam elegantius et necessarium sit propter 36. qui huc referatur. Mihi quidem vel praec. *facilem* vulgatae videtur favere.

29 sq. *immatura - ossa sor.* e. immatura morte, ante diem in ossa mutatae. Alias ad ipsos homines *immaturus* refertur, v. c. Prop. IV, 11, 17. Hor. II, Sat. 8, 59.
tenera probe dictum ratione illius formulae: *mollis*, *levis sit tibi terra*, habita. Santen. in bibl. crit. p. 87. malebat: *tenui*. Citra necessitatem. v. I, 7, 30.

31. *sancta* non modo de mortua, diva, ex more Manes vocandi *sanctos* intelligo, v. Virg. Aen. XII, 648. sed integritatem morum et pietatem, qua soror, dum vivebat, conspicua erat, significatam existimo.

34. Ad sororis tumulum confugere, et Deorum Manium auxilium tanquam servum male habitum implorare, apud animum constituit. cf. Soph. Electr. 453. Aesch. Choeph. 331 sqq. a Wund. appositi. *cum cin. muto* i. coram Manibus; sic Petron. XVI, 3. *cum rustico steterat*. Fortasse eodem modo explices verba Ov. Met. I, 733. *cum Iove visa queri est*.

Ne tibi neglecti mittant nova somnia Manes,
Moestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis, ab excelsa praeceps delapsa fenestra,
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi.
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces.
Lena nocet nobis; ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.

36. Iung. veto verbis illius, ut sis mihi lenta. *Ut* i. q. tanquam.

37. *nova* quae cum aliquo terrore animum percellunt, v. Broukh. cf. I, 2, 1. Testantur hoc unus Stat., Perrei. Exc. Voss. 1. 2. 3. Berol. 1. Scal., Broukh., Vossius, quos sequutus sum, vulg. *mala* pro interpret. habens.

39. *Qualis* sc. quoad formam et habitum. Vulgaris enim superstitio erat, tales apparere Manes, quales vita excesserint. Illustr. intpp. ad I, 10, 37.

41. *Desino* correpta ultima syllaba; quod quidem in carminibus levioris, neque vero grandioris argumenti potest ferri. De qua re copiosus est van Lennep. ad Ov. Her. XV, 32.

42. sensus: Non is ego, non tanto superior sum Nemesi, ut ipsam doloribus afficiam, nimirum memoria mortuae sororis renovata. Wund. appos. Ov. Her. VII, 45. *Non ego sum tanti, quamvis merearis, inique, Ut pereas* cet.

43. *digna est foedare* observa graecam structuram, qua infinitivus activi pro passivo quibusdam adiectivis additur, v. c. *ἄξιος ἀκοῦσαι*, e. dignus qui audiatur, v. D' Orv. ad Char. p. 386. 534. De v. *nocet* cf. I, 5, 47.

45. Omnes fere libb., quibuscum consp. Angll., Beroll., novem ap. H. Voss., Ed. pr. et vet. reliquae ante Broukh. tuentur: *vetat*, i. e. excludit, aditu intercludit. cf. Virg. Aen. I, 38. *Quippe vetor fatis.* Exquisitior hic usus Italicos latebat, ideoque corrigebant: *necat*, quod Broukh. in vulg. ed. propagavit. Alii supplebant: *Lena vetat miserum recipi.* Fuit quoque, cui arrideret: *vocat*, quod quomodo huc valeat, non assequor.

Saepe, ego quum dominae dulces a limine duro
Agnosco voces, haec negat esse domi.
Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuisse minas.
Tum morior curis, tum mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis;
Tum tibi, lena, precor diras; satis anxia vivas
Moverit e votis pars quotacunque deos!

47. *duro* a Broukh. repositum exhibent praeter alios Angll. B. C. plur. ap. H. Voss. edit. pr., Reg. Lep., Ven. aliae. In Beroll., Goth., Hamb. *diro*. Sic Aldd. Muret. Utraque vox in membranis saepe confusa. v. intpp. ad Ov. Met. III, 354.

50. *minas ext.* i. q. periculum aliquod, cf. II, 3, 68. Prop. III, 11, 42. *Ext.* agnoscunt Angll. et Ber. 4. firmatur Ovid. Her. XVII, 83. *Et saepe extimui, ne vir meus illa videret.* Cum aliis Beroll. 1. 2. 3. *pertimuisse.*

51. *Tum* cur vulg. *Tunc* praetulerim, ex nota ad I, 1, 21. videbis. *Mori curis, perditum esse* de iis, qui summa aegritudine affecti, vel curis ad mortem afflicti sunt. Nihil amplius.

52. Huc pertinet Ovid. Am. II, 8, 27 sq. *Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi, Narrabo dominae, quotque quibusque modis.*

54. Synclit. „*precor tibi* i. e. in te, ut scil. vivas satis anxia." Haec nota respicit ad lectionem: *dure* quam aliquot praestant. De locutione *anxia vivas* cf. Plaut. Trin. II, 2, 108. *lepidus vivis.* Ad emendationem *vives*, olim a me receptam, etiam nunc amplectendam proclivis sum, praeeuntibus Valck. in Catull. Callim. p. 143. Hand. in Obss. ad Cat. p. 57. Coniunctivum unice verum existimarem, si absolute esset positum *satis.* Quum autem seq. versus a nostro pendeat, et poëta non tam precantem, quam certo praesagientem agit, ita ut notio voc. *satis* determinetur, futurum praeferre malim. Accedit, quod futur. in his loquutionibus Tibullo frequentatur, v. I, 2, 41 sq. cf. Ov. Trist. I, 6, 35 sq. *Quantumque - valebunt Carminibus vives.* Virg. Aen. XI, 848 sq. Mox *moverit* ita ut me exaudiant et istam lenam castigent.

ALBII TIBULLI LIBER III.

ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Calendis Martiis, quo die anni initium fiebat, et mariti amantesque munera sibi invicem mittere solebant, indictis — 4. a Musis, a se interrogatis, quid Neaerae dono mitteret, responsum accepit poëta, ut carmina eademque in volumine eleganter adornato perscripta illi donaret — 14. Deinde ipsis Musis hoc munus amicae offerendum tradit, rogatque illas, ut amorem, quo ipse sit captus, testatae coniugium Neaerae sibi expetant.

Martis Romani festae venere Calendae;
Exoriens nostris hic fuit annus avis;
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos.

1. *Cal.*, non *Kal.*, ut in vulg. edd., exarandum ad inscript. et Grammaticorum fidem, v. Fea ad Hor. III, od. 8, 1. Littera *K* utebantur tantum, quum v. *Cal.* primam per litteram indicabant. Testem huius rei habemus Quintil. I. Inst. 7, 10.

2. Principium anni Romulus a mense Martio constituerat. *hic* omnium fere codd. auctoritate firmatum ex edd. vet. revocavi. Vulg. *hinc* Scalig. e cod. rec. dedit, acced. Voss. duobus, Mon., Bern., nec vero Ber. 1. Deseruit hanc Vulp. 1749. Recte. Calendae enim ipsae anni faciebant initium; *hic* igitur, hoc ipso temporis momento annus exoriebatur. Prop. IV, 4, 73 sq. *Urbi festus erat, dixere Palilia patres, Hic primus coepit moenibus esse dies.* Aeque bene *hic* servatur Prop. III, 3, 17. *Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti;* ubi vv. dd. *hinc* malebant. *Exor. fuit* non idem atque *exortus fuit* significat. Participia cum verb. subst. iuncta non simpliciter ponuntur pro verbis, e quibus formata sunt; sed denotant actionem vel statum, qui proprius alicui sit, et solitus, vel certis temporibus redeat. Quod loquendi genus a Graecis, v. intpp. ad Vig. p. 342 sq., ad Latinos transiit, v. Bauer. ad Sanct. t. I. p. 665. N. Heins. in scriptis: *fluit.* Ambigue dictum.

3. *Ut* pro *Et* H. Voss. e duobus Guelf. et ed. Rom. recepit, tanquam esset vividius. Ego quidem vulg. existimo propius accedere ad dictionem Tibullianam. Ceterum nexus verb. hic est: nunc vaga munera undique certa pompa disc. per vias urb. perque domos. Mitsch. tentantem: *crebra* sequutus est Lachm. ad Prop. p. 164. Santen. ad marg. ed. Br. „an *crebra*, aut *celebri*,

Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen?
„Carmine formosae, pretio capiuntur avarae;
Gaudeat, ut digna est, versibus illa tuis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas;

Ov. de Art. I, 147." Bene vulg. se habet. *certa p.* sign. munera, quae singulis certisque sive maritis sive amantibus destinata mittuntur. Similiter Virg. Aen. II, 212. Oppos. *incertus* i. e. huc illuc missus vel agitatus, v. c. *aquae incertae*, Ov. Met. VIII, 166. Berol. 3. *non ceıtae - pompae*, quod propter *vaga* vix ferri potest. De permutatione *nunc* et *non* v. ad I, 1, 25. Ov. Fast. I, 333. *per vias urbis* nimirum amicis, *per domos* maritis mittenda. Rem illustr. Tertullianus de Idololatria: *Saturnalia*, *et Calendae Januariae*, *et brumae*, *et matronales frequentantur*, *munera commeant*, *strenae commeant*, *lusus*, *convivia constrepunt*. Etiam Virgil. Aen. II, 364. distinxit: *perque vias* et *perque domos*.

6. Neaera, seu mea, seu fallor i. e. non mea, cara tamen.

8. *digna est* sc. gaudere. Haec structura v. *dignus* cum infinitivo vere Tibulliana habetur, cf. II, 6, 43. IV, 6, 10. *tuis* cum Mureto et H. Vossio. In Berol. 4. hoc superscript. exstat vulgatae *meis*. Teneamus, responsum hic a Musis datum haberi, quod v. 15. postulat. Heynio quidem haec ratio parum probabilis videtur, quoniam in elegiae genium non cadat, saltem a simplicitate et munditie Tibulli alienior sit. Mihi vero eadem illa ratio bene convenire videtur genio, quem huius libri elegiae spirant.

9. *sed* ut vs. 27. corrigendae priori sententiae sive conditioni declarandae saepius inservit, docente Ruhnkenio ad Vellei. II, 4. *niveum* quia volumen ipsum papyri erat candidae Aegyptiae. *membr.* est involucrum, tegumentum, cuius *comae* s. pili pumice tollebantur, hinc laevigatum ipsum erat involucrum. Hor. I, Epist. 20, 2. *pumice mundus*. Cat. I, 2. *libellum pumice expolitum*.

10. *Pumex et* ad fid. Guelf. 2. Perr. Exc. aliorum Heins. libb., 3. 5. Voss. cum Mureto, Scal. ceterisque servavi, quippe Tib. maxime accommodatum. Maior codd. et vet. edd. pars: *Pumicet et*, quod enatum putant e scriptura: *Pumix*. Heinsius: *Pumice quae*. Recepit H. Voss. Firmari hoc censet lectione: *Pumiceque et* in

Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen littera facta tuum;
Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
Sic etenim comtum mittere oportet opus."
Per, vos, auctores huius mihi carminis, oro,
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,

Guelf. 1., et *tondeat* pro tondeatur dictum esse statuit. Passiv. quidem sensu *tondere* de hominibus dicitur, v. Virg. Ecl. I, 29.; an vero metaphorice de rebus idem usurpatum sit, recte iam Wund. dubitavit. Quam ob caussam non probatur Burm. ad Lot. p. 366. coniectura: *Pumice sed.* Berol. 4. a marg. *Et pumex* – *ante* superscript. *arte*.

11 sq. Sensus: in superficie membranae praefigatur inscriptio tui nominis. H. Voss. *pacta* libris repugnantibus ex aliquot edd., v. c. Basil., recepit. Vulg. non deserenda. *litteram facere* e. arte et diligentia scribere, cf. Ov. Her. V, 2. Hor. Sat. I, 10, 58. *tuum* opt. codd. ap. Broukh., Heyn., et Vossium, Angl. E., Beroll. firmant, idem Ed. pr., ceterae vet. exhibent. Broukh. e paucis: *meum*, quod recent. servarunt. Nostrum favet rationi, qua Musae loquentes cogitantur, ideoque recte a Vossio revocatum. Mox de *cornua* et *frontes* v. ind. s. his vv.

14. H. Voss. *tenerae* de coniect. scripsit pro: *etenim*. Ingeniose, at non necessarie, v. ad I, 4, 38.

15 sqq. Ad Musas orationem vertit et, ut Neaerae afferant libellum, precatur. Iunge: *Oro vos* (Pieridas) *auctores mihi hui. carm. per umbr. Castal.* cet. De praep. *per*, in formulis obtestandi longe a suo casu remota, v. Gron. ad Liv. XXIX, 18. Heins. ad Sil. I, 658. cf. Tib. IV, 5, 7. Virg. Aen. X, 369.

18. *erat* e. eo ornamento, quo conspicuum a me accepistis. Sic H. Vossius et Bauer., praeeunt. Aldd. recte reposuerunt. In Vat. aliisque libris id Statius reperit. Vulg. *erit* vix bonum praebet sensum: etiam si corruptus et attritus esset habitus libelli.

19. *Illa* n. Neaera *m. referet* per vos, Musas. Santen. ad marg. maluit: *Ille* nim. libellus. Bauer. in notis proposuit: *Ulla* int. Musarum. Neque hoc, neque illud satis probabiliter. *Referet* ad Angll. C. D. E., Flor., Guelff. 1. 2., Guarn., tres ap.

Ite domum, cultumque illi donate libellum,
 Sicut erat; nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, nostri sit mutua cura,
 An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam larga donate salute,
 Atque haec submisso dicite verba sono:

H. Voss. Ber. 2. 3. 4. cum Venet. 1500. 1520. Dous., Pass., Scal., Vulp., Br., Cant., Lips. 1812., Voss., Wund. reposui. Vulg. *referat* male ex mente Tibulli.

19. *nostri – cura* sic ordine et sensu exigente cum H. Vossio exarari iussi. Vulg. *si nostri mutua cura est* pluribus laborat difficultatibus. Nam si qui part. *si* pro *an* accipiunt, iis repugnat coniunctivus *decid.*, quamvis haud negari potest, alias part. *si* pro *an* poni et cum indicativo iungi, v. Terent. Heaut. I, 1, 118. *Ibo, visam, si domi est.* Bentl. ad Hor. I. Epist. 3, 30. Neque magis expedit altera ratio, qua verba ista: *si – est* pro interpositis accepta parenthesi includere velis. Male seq. vs. congrueret. Ad lectionem receptam ducit: *Nostri si*, quod praeter alios Beroll. 1. 3. exhibent. Bene notavit Broukh.: „Tres hic sunt gradus in amore; et primum quidem ardor mutuus, ac partes amoris aequae; deinde cura minor et tepidior; denique oblivio secura pristinae flammae." Heins. in marg. Ald. coni.: *An maneam, toto p. an exciderim*, vel: *Immemori totus p. an excid.*

21. *meritam larga* libri Angll. C. D. E. Berol. 4. Dous., Ven. 1487. 1520. Pass., Voss., Wund. Vulg. *nympham longa* Vulpio debetur. *Meritam* test. Berol. 2. superscr.; Pal. 6. Comel., Hamb., Voss. 2. alii. Et hoc genuinum esse, docent depravationes: *Marathum*, *myrthum* in libris obviae. Ber. 3. *praemium nymph.* Fefellit librarios *meritam* i. e. bene merentem, sive dignam, absolute positum. *larga* miro codd. consensu et vet. ed. firmatur. Scalig. *longa*, Broukh. *merit. longa*, in anecd. adscripsit: Virg. Ecl. III, 79. quod parum huc facit. Bauer. *Nympham larga.* Notum est: *salutem ferre*, *afferre*, *accipere*. Ov. Met. XIV, 11. 271. — *dicta, acceptaque salute.*

22. *submisso – sono* id quod timidorum sive verecundorum est. cf. Ov. Met. VII, 90. — *auxilium submissa voce rogavit.* Simil. *voce parva* Ov. ib. XI, 187.

Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit, et, accipias munera parva, rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniux, sive futura soror.
Sed potius coniux; huius spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

23 sq. Plenius dixisset: Haec tibi *Tibullus* futurus coniux, nunc amator mittit. In his autem loquendi formis omittere amant substantivum, ad quod cetera per appositionem accommodantur. Wund. contulit Prop. II, 28, 61. *Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae;* ubi suppl. *Isidi.* Mox *ut acceptes* superscr. *accipias* Ber. 2.

27 sq. Sensus: Sperare coniugium tuum non desinet, nisi mors eum prius abstulerit.

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Aegritudine ex discessu Neaerae oppressus et vitae taedio victus postquam animum cogitatione mortis defixum declaravit — 8. id unum precatur, ut amica una cum matre cineri suo iusta persolvat omnesque ritus funebres pia peragat mente.

Qui primus caram iuveni, carumve puellae
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio; frangit fortia corda dolor.

1. *carumve* ex libb. Angll. C. D., Ber. 1. 2. 3. Voss. 4. Mon., Hamb., aliis ap. Br. cum H. Vossio reposui. Vulg. *carumque* admodum languet. Duplex diversumque discidii genus innuere voluit poëta. De frequenti vv. *que* et *ve* permutatione v. ad I, 4, 28.

3. *Ferreus ille fuit* repetunt Pocchi et Perr. Exc. et alii Heins. libri. Favere huic lectioni videtur Sant. in bibl. crit. p. 72., coll. Ov. Her. XV, 154 sq. XIII, 140. Art. I, 536. Parum autem apte h. l. repetitio fit, quum ad novam transeat sententiam, neque *et* bene carere possimus. Mox *coniuge* pro puella amata, ut Gr. γυνή, Theocr. VI, 26. Virg. Ecl. VIII, 18. ibi Heyn. Repetitum *qui* - *qui* non ad diversas personas, sed ad unam eandemque spectat, et quandam vim sententiae conciliat. Wund. laud. Hor. Ep. II, 3, 180. Ov. Met. XI, 729 sq. Iuv. VII, 54. cf. Tib. III, 3, 36.

5. *hoc* quarto casu accipias, tanquam sit: firmus ad hoc ferendum aequo animo.

6. *ingenio* e. nativae indoli.

7 sq. Iunge: fateri taedia nata meae vitae tot mala, i. e. tot aegritudines curasque perpessae.

11 sqq. Imitat. Lotich. II, 5, 79 sqq.

13. *comit. dol. matr.* exquisitius pro: com. matre dolente, cf. *error Herculis* Prop. I, 20, 15.

14. *Genero* et *viro* quales sunt ex animo amatoris, igitur futuri. Ceterum haec verba sexto casu accipio, ut I, 10, 64. Nam

Nec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
 Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
 Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat, longos incomta capillos,
 Et fleat ante meum moesta Neaera rogum;
Sed veniat carae matris comitata dolore;
 Moereat haec genero, moereat illa viro.
Praefatae ante meos Manes animamque precatae,
 Perfusaeque pias ante liquore manus,
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
 Incinctae nigra candida veste legant;

si tertii casus essent, tunc ipsa persona tanquam praesens vel saltem viva adhuc cogitari deberet, cf. Prop. I, 12, 15. Hinc *flere* dicimur alicui loco, si quidem huic metaph. sensus quidam tribuitur, v. Prop. I, 20, 16.

15. *Praefatae* propr. dixit, quoniam ante ossilegium Manes nomine compellabantur. De more v. Hom. Od. IX, 64 sq. et quos comp. Kirchm. de fun. Rom. III, 9. *precatae* referunt ad solenne illud Have, anima, vale, leviter quiescas. Parum commode, quandoquidem ista acclamatio fiebat a discedentibus, postquam omnes ritus funebres peracti erant, v. Virg. Aen. II, 644. Hic autem in seqq. demum praecipit, quae observanda sint circa sepulturam. Doeringio mera prioris membri videtur expositio. Mihi quidem v. *precatae* corruptum esse videtur. Librorum maior pars: *Rogate*, alii: *rogantes*. Suspicor in h. v. epitheton ad animam spectans latere. Codd. vestigiis insistens existimo fuisse: *recentem* i. e. quae modo corpore excessit. Ov. Met. VIII, 488 sq. *Vos modo fraterni manes, animaeque recentes Officium sentite meum.* H. Vossius mavult aut: *rogatam*, quod Heins. coni., aut: *rogando*, cl. Ovid. Fast. VI, 303. *precando adfamur Vestam.* Verba ita cohaerent: *Praef. ante* – *Perf. ante* – *legant ossa, quae pars* cet.

18. *candida ossa* Hom. Il. XXIV, 793. Ὀστέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοί θ', ἕταροί τε. *incinctae* igitur solutis fluxisque vestibus. Contrarium tanquam insolitum narrat Suet. Aug. 100. *Reliquias* [Augusti] *legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti, pedibusque nudis*, v. ibi Casaub.

Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
　　Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
　　Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic, quas mittit dives Panchaia merces,
　　Eoique Arabes, pinguis et Assyria,

19. De hoc ritu v. Hom. Od. XXIV, 72. Non hic agitur de rogi adspersione, sed de ossibus vino, lacte irrigatis, quibus, ut seq. docent, humor iste tollebatur carbaso.

21. *velis* ad Mureti emend. uno Heins., Berol. 3., trib. ap. Voss. firmatam cum Dousa, Pass., Broukh., Vulp. et recentt. servandum censui, quanquam nondum persuasus, hanc esse Tibulli scripturam. Libri unanimiter fere: *ventis*. Et hoc sane saepius e *velis* depravatum videmus, ut Ov. Her. X, 149., ubi, a Burm. et Lennepio si discesseris, plures edd. *vento* perperam exhibent. Ad tuendam *velo* facit ipse Ov. Her. XIII, 134. At vero quid nostro sibi volunt *venti carb.?* Cum Cyllen. Scal. de ventilatione carbasi agitatae, Broukh. de veste ex carbaso fili multo tenuissimi intelligit. His addit Br. in anecd.: „Ventus sumitur pro veste tenuissima, quaeque subtilitate aequaret propemodum ventos. Turneb. I, 15. Huet. ad Anthol. p. 10.“ Quam quidem rationem adiuvare videtur P. Syrus ap. Petron. LV. *ventum textilem et nebula linea.* *Νεφέλαι*, *νέφεα* Graecis dicuntur retia tenuissimis linis contexta ad capiendas aves. Arist. Aves 527. Hesych. s. v. *Νέφεα*. Quam parum haec omnia ad nostr. loc. faciant, non est quod demonstremus. Aliquot libb. *vittis*, *vinclis*. H. Voss. de coniectura: *villis*, quod interpr. villosis carbasis, feinleinene Zotten. Dum melius quidquam excogitatum fuerit, in vulg. *velis* acquiescimus. Haec nimirum vox non ad naves tantum spectat, sed pro cuiusvis generis integumentis sive amictu ponitur; Cic. Cat. II, 10. socii Catilinae dicuntur *amicti velis, non togis.* Plaut. Amphit. I, 1, 101. *velatis manibus orant.*

23. *Illic* sc. in marm. domo, i. e. sepulcro, quod ex marmore exstructum erat. Vulg. *illuc* Pass. ingenio debetur. Recte hanc quanquam Vindob. exhibitam H. Voss. reiecit. Nam *illuc — eodem* utrumque ad ossa relatum mire friget. Fuerunt quoque, qui *dom. marm.* de capulo sive sarcophago intelligerent, in quo condere soliti fuissent beatiores urnam sive ollam ossuariam. Res erat exemplis probanda.

Et nostri memores lacrimae fundantur eodem;
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neaerae,
Coniugis ereptae, caussa perire fuit.

25. *nostri mem. lacrim.* cf. Hor. III, 11, 51. *nostri memorem querelam.* cl. III, 14, 18.

27. *litt.* titulus, inscriptio, cf. III, 1, 12. Ad rem v. Broukh. et Kirchm. III, 20.

29. Berol. 4. *Lygdamus* superscr. *Albius.* De nomine v. Comment. crit. *cura* ad bonos aliquot libb., duce Mureto, Stat. et Br. reposuerunt, quos recentt. sequuti sunt. Accedunt Ber. 4. a marg., Voss. 1. 4. 5. Goth., Bern. Librorum scripturam: *c̄a* alii in *caussa*, alii in *cara* depravarunt. Posterius Beroll. 1. 2. 3. De commutatione vv. *caussa* et *cura* cf. Ov. Am. II, 12, 17. Burm. ad Her. VIII, 15. Fast. III, 249.

30. *perire* e graecismo poëtis haud inusitato, pro: *pereundi.* Scriptoribus etiam solutae orationis interdum haec structura placuit, v. Nep. Lys. III, 1. ibi Brem. Exempla ad nostr. loc. Vulp. congessit. Ante oculos noster fuit Lotichio III, 6, 60. *Huic desiderium caussa perire fuit.*

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Precibus ad Neaeram factis se nihil effecisse conqueritur poëta et omnia vota atque sacrificia non pro divitiis impetrandis, sed ut longissimam sibi vitam cum ipsa transigere contingeret, se instituisse declarat — 10. Opum enim amplitudinem, quippe qua curae hominum non mitigentur, nullius sibi esse pretii — 22. paupertatem non recusaturo, dummodo Neaerae coniugio potiatur — 26. Quod nisi sibi contigerit, omnibus vitae bonis contemtis mortem sibi precatur.

Quid prodest coelum votis implesse, Neaera,
 Blandaque cum multa tura dedisse prece:
Non ut marmorei prodirem limine tecti
 Insignis clara conspicuusque domo.
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri,
 Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
 Inque tuo caderet nostra senecta sinu

1. Pro *votis* Voss. 3. Zw. 1. Ed. pr., Reg. Lep., Vicent. *flammis* nim. sacrificii. An fortasse fefellit *coelum* pro Diis positum? cf. Ov. Met. XIII, 857. Vulg. bene se habet. Virg. Aen. IX, 24. *oneravitque aethera votis.* Similiter dixit Phaedr. IV, 19, 24. *coelum fatigas periurio.*

3. Vulg. *prod.* e *lim.* Duce Corv. et Heynio favente cum H. Vossio praepos. omisi. Hic vir ill. comp. Ov. Am. III, 11, 13. *cum foribus prodiret.* Mox Dousa ex uno libro commendavit *templi* pro *tecti.* Etsi illud de amplis aedificiis bene dicitur, ideoque ex melioris notae libris Catullo Epith. Pel. 75. *templa* pro vulg. *tecta* restituendum erit, hic tamen contra codd. auctoritatem nihil mutare ausus sum. Ipsam *tecti* vocem Broukh. satis splendidam et magnificam dicit, comp. Cic. Parad. I, 2. et 4. Virg. Aen. VII, 168. et alia.

7. Nexus membrorum est hic: *Quid prod. - non ut - aut ut - sed ut . .* Similis occurrit structura Hor. Epod. VII, 5—9.

8. *nostra sen.* ego senex. cf. III, 2, 13. Prop. I, 6, 21. *tua aetas* i. tu per vitam tuam totam. Ex eodem II, 10, 22. Wund. apposuit: *Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.* In vs. antec. *sociarem* nostri testantur libri et ed. pr. Scalig. suffrag. aliquot libris: *satiarem.* Sic Venet. Parum verecunde. Saepius in his verbis peccarunt librarii. Lucan. I, 315. retinendum est: *satiabunt.*

Tum, quum praemensae defunctus tempore lucis
Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare, sive tuis, sive, Caryste, tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?

cf. Ov. Met. IV, 758. ibi Burm. Sensus: ut tecum una caperem longae vitae gaudia, et senex in tuo amplexu diem obirem extremum.

9 sq. Sensus: quum tempore vitae a Parcis in ipso lucis exordio mihi assignatae expleto ad inferos transveherer. *tempore* ad optt. librorum etiam Angll., Ber. 1. 3. 4. et edd. Ven., Dous., Pass. al. fidem cum H. Vossio reposui. Vulg. *tempora* habet quidem, quo defendatur, v. II, 5, 63. Nep. Dat. I. et retinuit Mitsch. ad Hor. II, 9, 13.; at dubitavi insolentem formam loquendi inculcare, ipsis libris meliorem et Tibulli puritati aptiorem afferentibus. *praemensae* Berol. 1. tuetur. In ceteris variant: *permensae* et *permenso*. Mox *nudus* e. opibus destitutus, cf. Sil. V, 267. Plenam declarat sententiam Prop. III, 5, 13 sq. *Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas, Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.*

11 sq. Divitias ab auro et arvis plerumque August. aevi scriptores designare solent, v. ipsum Tib. I, 1, 1 sq. I, 9, 31. 33. Hor. ad Pis. 421.

13. *Phryg.-col.* sc. marmoris Phrygii. v. ind. et Prop. III, 2, 9.

15. Respicit ad beatiorum Romanorum luxum, qui viridaria in tecti impluvio consita alebant. Hor. III, 10, 5 sq. — *nemus Inter pulchra satum tecta;* cl. Epist. I, 10, 22. *Nempe inter varias nutritur silva columnas.* Sen. Ep. 123. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant* cet.

16. *Aur. trabes*, eaedem Statio memorantur Silv. I, 3. 15. In aedium lacunaribus auro tegendis mira fuit Romanorum luxuria. Trabes totae auro solido convestiebantur; hinc Lucanus X, 112 sq. — *Laqueataque tecta ferebant Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.* v. Lips. de magnit. Rom. III, 14. Usos fuisse ad hanc lautitiam domorum auro Dalmatico, testatur Stat. Silv.

Quidve in Erythraeo legitur quae littore concha,
 Tinctaque Sidonio murice lana iuvat,
Et quae praeterea populus miratur? In illis
 Invidia est; falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes homini curaeque levantur;
 Nam Fortuna sua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera;
 At sine te regum munera nulla volo.

I, 2, 153. *marm. sol.* i. e. pavimentum tessellatum, seu vermiculatum crustis varii marmoris, quale Hymettium erat, v. Hor. II, 18, 3. Cic. Par. VI, 3.

17. *Quid vel* H. Vossius contra libb. auct. exaravit, pro: *Quidve in.* Haud opus. Iisdem enim verbis novas incipere sententias solet Tibullus, ita ut *Quidve* e vs. 13. repetitum nihil offensionis habeat.

18. Alteram v. *Sidonio* syllabam, praeeunte Virg. Aen. IV, 137., corripuit Noster; alii producunt, ut Prop. II, 16, 55. Sil. I, 444.

19 sq. *Et quae - miratur* dependet a v. *Quidve - iuvat.* Mox *In illis - est* frustra turbavit Heynium. Signif. invidiam excitant, caussae sunt invidiae. Et sane si placuit Latinis vel ipsi Ciceroni: *habet res invidiam*, eodem iure dici poterat. *in rebus est invidia.* Vulg. defendit Slothouwer. in actis soc. Trai. t. III. p. 149. comp. Tib. III, 6, 49. add. Plin. Pan. 88. *cui plus invidiae, quam pulchritudinis inest.* Ceterum lect. *Invid. est* test. Ber. 4. a marg. Plurimi: *Invida quae.* Mox *falso* per se periodum facit, recte monente Br. Expedias: falsa, vana sunt plurima, quae vulgus amat. Nep. Alcib. IX. Eandem fere energiam aliis vocc., v. c. *frustra*, *nequidquam*, inesse, ad Nep. l. c. observ. Brem.

21 sq. ad sent. cf. Epigr. Anth. t. I, p. 512. *Non fit thesauris, non auro pectu' solutum* cet. *homini* ad quatuor Pal., duo Br., Voss. 1., Bern. ex Aldd., Muret., Bas. 1546. 1569. 1592. H. Voss. revocavi. Vulg. *hominum.* In v. *levantur* zeugma, cui simile habet Nep. Thras. IV, 1. Aliter *lev. animus*, aliter *cura* dicitur; hic enim *tollere*, illic propr. sensu explicandum. Plura attulit Wund. Sententiae ita procedunt: Errant, qui divitiis inhiantes tranquillitatem in iis quaerunt; hae enim innumeris fortunae casibus obnoxiae sunt, ut vitae nostrae conditiones. *gerit* omnium fere codd., quibus Beroll., Zw. 1, 2. accedunt, et

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversa non meus aure deus,
Nec me regna iuvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec, quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant; liceat mihi, paupere cultu,
Securo cara coniuge posse frui.

ed. pr. al. vet. auctoritate cum Broukh. et Vulpio retinui. Cum Mureto, Scalig. Pass. Dousa ex paucis libris Ital. recentiores exhib. *regit.* Pro qua lectione stare videtur Sallust. Iug. 101. *humanarum rerum Fortuna pleraque regit;* et Iustin. I, 9. *fortuna tamen ita regente, illo incolumi magus interficitur.* Non tamen video necessitatem, ut librorum scriptura deseratur. *Gerit* e. gubernare, administrare. Broukh. comp. Publ. Syrum: *Male geritur, quidquid geritur Fortunae fide.* Propius a nostro abest Ov. Met. III, 316. *Dumque ea per terras fatali lege geruntur.* Lactant. I, 2. *sitne providentia, quae rebus omnibus consulati an fortuitu vel facta sint omnia, vel gerantur,* ubi perperam nonnulli maluerunt *regebantur* contra codd. fidem. Repetitio eiusdem syllabae *- ge - ge*, vere Tibulliana, v. I, 1, 5. 8. I, 3, 28. I, 4, 6.

24. *At - volo* huic lectioni plus elegantiae et gravitatis inesse, quam *Et - velim*, quod H. Voss. ex aliquot libb. reposuit, vel oppps. *tecum - sine te*, luculenter docet. Wund. *Et - volo* minus probabiliter, coniunctivo praecedente, exhibuit, ut ed. pr., Ald. 2. Reg. Ven. Bas. *regum mun.* amplissima, splendida, cf. I, 8, 34.

28. *meus* emph. propitius, hinc *non m.* inimicus, iratus. cf. Virg. Aen. II, 396. XII, 540. *aversa aure aud.* e. omnino non exaudiat. Contrar. dixit Prop. I, 1, 31. *Vos remanete, quibus facili deus annuit aure.* De his ablativis absol. v. Crus. Prob. crit. p. 123 sq.

35. *reditum* subint. Neaerae. *Reditus* Venet., Brix., Wund. in ed. min. Lips. 1812. Pluralis autem cur ponatur, nulla hic apparet caussarum, quas notavimus ad I, 3, 13. Defendere quoque liceret plur., si de pluribus, qui redituri sint, hominibus ageretur, ut Virg. Aen. X, 435 sq. — *sed quîs fortuna negarat In patriam reditus.* Mox *trist. Sor.* sunt Parcae.

Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas, concha, Cypria, vecta tua.
Aut si Fata negant reditum, tristesque Sorores,
Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt:
Me vocet ad vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

36. *canunt* ex Heinsii emend. ad Ov. Her. XVII, 194. primum Br. recepit. Agnoscunt illam Berol. 3. a m. s., Monach. Eodem ducit *nount* Voss. 4. Quanta enim similitudo litt. *c* et *o* intercedat, ubique libb. scriptt. observare licet. In codd. et vet. ed. magno consensu legitur: *Neunt*, quod quidem per se ferri possit. Hom. Od. I, 17. *Τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι* cet. cf. Mart. I, 98. *Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.* Esset igitur *neunt* i. q. nendo constituunt, moliuntur. Displicet tamen haec ratio ab iis, quae praecedunt: *stam. q. ducunt.*

37. *ad*, pro vulg. *in*, cum H. Vossio, quanquam nullo libro add., in textum immisi. Morientes non *in*, sed *ad* Stygem descendere vel vocari dicuntur. Negligentia librarii e vs. sq. depravatum. Locis a Voss. laud. adde Ov. Met. III, 272.

38. *Orcus* e. Pluto, cf. Graev. ad Hes. p. 91. Burm. ad Suet. Ner. 39.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

Per somnium sese monitum esse de Neaerae inconstantia poëta narrat deosque, quanquam ad fidem somniis habendam parum proclivis sit, implorat, ut mala sibi ostensa benigne avertant — 16. Tempore somnii curatius descripto et forma habituque, quo sibi apparuerit Apollo, suavissimis coloribus depicto — 42. ipsum Apollinis vaticinium de amicae perfidia sibi editum exponit — 60. monentemque facit deum, ne quum obstinata illius mens precibus flecti possit, exemplo a se petito omnia subire onera dubitet — 76. Deinde suadentem fingit Apollinem, ut haec monita exponendo Neaeram ab alieno amore dehortetur — 80. Quo quidem oraculo exterritus etsi de Neaerae duro animo non persuadere sibi potest, tamen detestatur visum idque ut dii irritum faciant, precatur.

Dî meliora ferant, nec sint insomnia vera,
 Quae tulit extrema pessima nocte quies!
Ite procul, vanum falsumque avertite visum,
 Desinite et vobis quaerere velle fidem.

1. *Dî mel. fer.* solenni ex formula eorum, qui mala a se deprecantur et a Diis felicem ominum eventum expetunt, cf. 95. Simil. *Dii melius dent* Ov. Met. IX, 496. Mosch. II, 27. *Ἀλλά μοι εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρίνειαν ὄνειρον.* v. Briss. de form. p. 94 sq. *insomnia* praeter alios apud Br. et H. Voss. testantur Beroll. 2. 3. 4. In aliis: *mihi somnia*, vel *mea s.* Vulgatae inesse terroris notionem, passim observatum est. cf. Virg. Aen. IV, 9. *Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!*

2. *extrema* i. q. extrema noctis parte, *νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἔγγυθι δ' ἠώς* Mosch. II, 2 sqq. Quantum fidei somniis hocce tempore visis veterum superstitio tribuerit, notum, cf. Ov. Her. XIX, 195 sq. Plerique libri: *hesterna;* sic ed. pr., aliae ante Scalig., frequent. aberratione, v. c. Prop. III, 8, 1. ubi nuperum editorem *hesternas* vulgatae *extremas* male praetulisse existimo. *pess. quies* quod in hac quiete res pessimae, sinistrae ab Apolline praenuntiatae fuerunt poëtae.

3 sq. Ut horum vss. explicatio rite instituatur et interpolationis suspicio tollatur, teneamus haec: Tibullus viso nocturno exterritus et incitatiore animi impetu agitatus ad ipsa somnia convertit sermonem, et visum suum amovere iubet. Quod somniis visum sive faciem, quae nunc adverti, nunc averti possit, poëta tribuerit, offensioni erat librariis et editoribus; hinc profectae sunt variae textus correctiones. Angll. A. B. Zw. 1. 2., Goth. una cum aliis: *vani.* Synclit. „mendaces vel somni vel homines.“ H. Vossius: *Ite procul, Somni, falsumque — Des. in vanis* — Waardenb. tentavit: *I. p., vates; falsum ne advert. visum; Des. in somnis . . vel: Desino et in vobis . .* Vulg. *vanum* conf. Angl. C. D. E. Beroll., Lipsii Exc., Corv., alii. Mox *et vobis* ductus vestigiis scripturae Guelf. 1. *desine et in votis*, fa-

Divi vera monent venturae nuntia sortis;
Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere iubent.
At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale.
Sed tamen, utcunque est, sive illi vera monenti,
Mendaci somno credere sive volent,

vente Lenzio in Eph. Heid. II, 12. in textum admisi. Vulg. *in vobis* parum latina. Dicunt enim, *sibi quaerere fidem*, v. Ov. Art. I, 612., et copulativa non bene abest. Ceterum *vobis* Scaligeri ingenio debetur. Libri mss. et editi: *votis*, crebra commutatione, v. Ov. Art. I, 580. Mureti emendatio, *vanis* ab H. Voss. recepta ideo displicet, quod parum ex mente poëtae habetur. Nam hic non distinguit *vana* et *vera*, sed omnino somnia eorumque visa reiicit. Sensum: *Nolite exigere, sperare, fidem vobis haberi*, sequentia postulant: *Non somni, sed Dii vera monent.* Propius ad mentem Albii accederet, si legeretur: *Ite procul vanis, falsumque advertite visum; Desinite a nobis* . . . i. e. aliis iisque credulis visum vestrum obiicite falsum, non mihi, qui nunquam vobis fidem habebo. Thierschius: *in nobis* quod certe ambiguum esset.

5 sq. Distinguenda sunt duo divinandi genera: Deorum monitus seu per vates, sive per oracula, et aruspicina. Vulgaris ordo: *monent;* — *sortis Vera m.* — — vix ferri potest propter v. *Vera* in vs. 6., quod multa cum gravitate repetitum novae sententiae praeponitur. Nostram iungendi rationem cum Cyllenio aliisque vet. edit. H. Vossius revocavit.

8. *vana* de coniectura scripsit H. Voss. pro: *falsa*, quia hoc molestum sit post *fallaci* vs. ant. *vana* deturbatum esse in vs. seq., ubi multi: *vanum* pro *natum* exhibent.

9. *omina noctis* s. somnia, in quibus omina animo obiiciuntur. cf. *omina Lunae* Prop. IV, 4, 23. et alia ap. Broukh. Comp. *timores* v. 13. i. e. somnia formidolosa.

10. Turis et molae salsae in expiandis prodigiis vel Diis placandis sollennis est mentio. cf. Hor. III. Od. 23. extr. Virg. Aen. V, 747. *sal.* quod alias micante.

11 sq. Iungas: *Sed tamen, sive illi* [homines] *vol. credere vera monenti* [i. e. aruspicibus omnibusque oraculorum divinorum interpretibus] *sive m. somno* [fallacibus somniis], *utcunque*

Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum praetimuisse velit;
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec laesit magnos impia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae.
Somnus sollicitas deficit ante domos.

est [quidquid alii malint] equidem precor, ut *efficiat Lucina* s. Diana *timores noct. vanos* infausta somnia averruncet et irrita reddat. *Sed* pro vulg. *Et* a Guyeto e tribus libb. mss. notatum cum H. Vossio et Wund. dedi. *monenti vera*, oppos. *mend. somno*. Scaligerum, Broukh. et Vulp. sequutus H. Voss. legit: *moneri*, quod sensum nimis ambiguum et obscurum facit. Aliud est: *credere moneri*, aliud: *cred. monenti*.

15 sq. Nullo crimine seu factis sive verbis admisso in deos se meruisse fatetur puellae perfidiam, quam insomnia sibi minata essent. *Si* h. l. affirmandi sensu pro: *quoniam*, de qua signif. v. Bauer. ad Sanct. t. I. p. 108. Aliquot membran. ap. Br. et H. Voss., quibus Beroll. 1. a m. s. et 2. 3. Zwicc. accedunt, *Sic* praestant Ed. pr., Reg. Lep.; hoc tamen, ubi sensu obtestandi occurrit, coniunctivum postulat.

17—20. Plurima noctis parte iam exacta somnus me nondum complexus erat. *emensa* conf. Angl. E. Guelf. 3. Mon., Voss. 2. et 5. a marg. Zw. 1. Beroll. 1. 3. Edit. pr., Reg. Lep., Bas. 1530. aliae. Et hoc unice verum, quum de exeunte nocte agatur, quam ut Deam descendere in Oceanum sibi fingebant veteres. In aliis libb. et nonnullis vet. ed. *emersa*. Utrumque interdum confusum, v. Ov. Fast. III, 399. ubi *emersa* bene se habet. De somniis, quae circa auroram pro verissimis habebantur, Broukh. in anecd. laud. Delr. in Sen. Troad. 435. Meurs. ad Theocr. p. 110. Ov. Her. XIX, 195 sq.

aeth. mundum = coelum. *Mundus* de quovis ingenti spatio veteres dicebant, hinc addita voce *coeli* sive *aetherius* pro ipso coelo, v. Enn. ap. Macrob. VI, Sat. 2. Virg. Cul. 101. Senec. Hipp. 332. Deinde absol. mundus pro coelo, v. intpp. ad Val. Fl. I, 563. Drack. ad Sil. XII, 336. Sic apud Graecos *κόσμος*, v. Wess. ad Diod. t. I. p. 225. *aetherea domus* eodem sensu dixit Prop. II, 16, 50.

19 sq. Praeeuntibus Cantero in nov. lectt. I, 18. et H. Vos-

Tandem, quum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauru
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non vidit quidquam formosius ulla priorum
Aetas, humanum nec fuit illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant;
Spirabat Syrio myrtea rore coma.

sio distinxi post *aegrae* et *Somn.* cum sequentibus iunxi. Nam in generali dictione, qualem v. 20. habemus, male desideratur subiectum. Vulg. ordine *Somnus* ad vs. 19. referunt. Quis autem sit *Deus m. aegrae utilis*, e verbo *sop.* satis manifestum. *deficit*, desideratur in illis domibus, in quibus homines curarum pleni habitant. Ad rem cf. Eurip. Orest. 205 sq. *Ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου, Ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε.*

21. Describitur Phoebus primis radiis suis terras illustrans. *ab ortu* comp. Wund. Virg. Aen. VII, 25. *aethere ab alto Aurora — fulgebat.*

23. *Hic* de tempore pro: *tum* accipias, cf. Phaedr. I, 11, 6. intpp. ad eund. I, 14, 5.

25 sq. Ad Heynii emendationem hos vss. cum Strombeckio exhibui. Vulgatam: *Non illo quidquam form. . . . nec videt i. o.* verborum structura admodum laborare iam alii viderunt. Parum subsidii afferunt libri mss. In priori vs. omnes consentiunt demto Ber. 3., qui *quisquam* vitiose exhibet. In pent. pro *videt* Vat. et Goth. *fuit.* Ber. 4. et unus Br. *valet.* H. Vossius *quidquam* corruptum censens servato pron. *illo* versus ita concinnavit: *Non illo vidit formosius ulla priorum Aetas* [*humanum nec fuit illud*] *opus.* Cui vero ista parenthesis placuerit, neminem puto. Et *illo* facilius quam pron. *quidqu.* caremus. *Opus* respicit ad singularem formae pulchritudinem, qua Apollinis apparent imagines in artis monumentis. Melius autem videtur *op.* ad naturam referri, tanquam homine natus. Sic Drusus dicitur *Caesaris opus* Albinov. Eleg. in mort. Drusi 39. Meo quidem sensu nihil desideratur, dum hoc distichon abest; Heynio saltem supposititium esse videbatur.

28. *Spirabat* ad codd. Ber. 2. et Vind. iam a S. Fabricio ad Terent. Adelph. I, 2. e scriptis notatum praeeuntibus Plant., Gryph., Pass., Morell. aliisque cum ed. Lips. 1812. Voss. Wund.,

Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
 Et color in niveo corpore purpureus;
Ut iuveni primum virgo deducta marito
 Inficitur teneras, ore rubente, genas;
Ut, quum contexunt amarantis alba puellae
 Lilia; ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla;
 Namque haec in nitido corpore vestis erat.

fav. Lenzio, revocavi. Vulg. *Stillabat* suspecta est ab interpolatione ex II, 2, 7. vel I, 7, 51. De structura v. *spirare* cum casu sexto appos. Wund. Virg. Aen. I, 417. Stat. Silv. III, 3, 211. Add. Anacr. IX, 3 sq. *πόθεν μύρων τοσούτων — πνέεις τε καὶ ψεκάζεις;* cll. Epigr. in Misc. Lips. nov. vol. IX. *μύροισιν ἔτι πνείοντες — στέφανοι.* *Syrio*, pro quo plerique: *Tyrio* habent, unice verum, ut in omnibus iis locis, ubi de unguentis omnibusque odorum generibus agitur, v. III, 6, 63.; *Tyrio* restituendum, ubi de purpureis vestibus cet. sermo est, v. c. I, 7, 47. II, 4, 28. In Hor. III, od. 29, 60. parum abest, quin ad 5 codd. Vand. et 1. Broukh. *Syriae* praeferam vulgari *Tyriae*. In Cir. 512. recipi debebat *Syrio* — amomo, quod vel Heyn. suspicatus fuit.

30. *niv. corp.* ap. Musaeum 58. *χιονέαι παρειαί.* cf. I, 4, 12.

31 sq. *iuveni - marito* e. in domum mariti ad coniugium rite firmandum. *Inficitur* h. l. signif. rubore offunditur. Sic alias quoque hoc verbum absol. positum e nexu verborum lucem accipit, v. II, 2, 20. II, 3, 78. Hic usus verbi et part. *ore rubente* H. Vossium impulit, ut de coni. scriberet: *Inf. teneras* tota rubore *genas*, cl. Ov. Her. XXI, 112. *Sensi me totis erubuisse genis.* At vero, si quae *tota* i. e. toto ore, rubet, genae simul rubentes cogitentur necesse est. Molestum igitur ac ieiunum satis hoc commentum! Si quid mutandum, ad meliora ducere poterit Ov. Am. III, 3, 5 sq. *Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit; niveo lucet in ore rubor.* Huc pertinent *genae roseae*, Virg. Aen. XII, 605. Particip. *ore rub.* non solvendum, *ita ut*, sed, *dum os erubescit. Rubere* hac signif. etiam Ciceroni usurpatum. Ad comparationem cf. Ov. Am. II, 5, 35 sq.

33. *amarantis* cum Voss. et Wund. exaravi, pro vulg. *amaranthis;* nam forma graeca habetur: *ἀμάραντος.*

35 sq. Apollo somnianti apparet palla ornatus ad pedes de-

Artis opus rarae fulgens testudine et auro,
Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce loquuti,
Edidit haec dulci tristia verba modo:
„Salve, cura deûm! casto nam rite poëtae
Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent.

missa, qualem a vatibus et citharoedis ad hunc deum transferre solebant, v. Heyn. ad Aen. VI, 645. et Ov. Met. XI, 165 sqq. Am. I, 8, 59. Nec vero non ceteros deos maiorum gentium hic ornabat amictus, tamquam maiestatis ac potentiae index. v. Aen. I, 404.

Illud. talis de palla ad imos pedes demissa, cf. Virg. Cir. 144. *Suspensam gaudens in corpore ludere vestem*; alias *ferire pedes*, Prop. III, 17, 32. Pentameter iis, qui uberiorem pallae descriptionem expectant, frigere videtur. Et sane admodum tenuis et ieiunus est. Attamen non inducor, ut existimem, corruptum vel supposititium esse illum, v. ad I, 4, 38. Recte etiam Huschkius p. 21. nativae Tib. simplicitati hunc versum vindicavit. In libris nulla varietas. Gryph. ed. 1573. *hoc;* qua lectione ductus H. Voss. de coni. scripsit: *Quae cocco nitido corpora vestierat.* De veritate ipsius loquutionis dubitamus, ne quid gravius de plusqpf. *vestierat* moneamus. Parum lucri suppeditat Baueri emendatio: *Vincta haec in nitido pectore vestis erat.*

37. cf. IV, 2, 22. De variis lyrae exornandae modis, nimirum auro, gemmis, ebore, testudine, v. Broukh. ad h. l.

39. *Hanc* lyram *modulatus* pulsando modos exercens, quibus cantus instituatur. *Modulari* de cantu, verbis proprie dictum h. l. ad lyram transfertur. Comp. Hor. I, od. 24. 13. Claud. XXXIV, 15. *modulatus pectine nervos.* Igitur *mod.* probum neque sollicitandum. *Prim. veniens* e. extemplo, statim quum veniret. Burm. et vir d. in Iournal class. Lond. Nr. 20. maluerunt: *feriens*, per se quidem bonum, cf. Sen. Herc. Oet. 1069. *ferire chelyn;* at h. l. otiosum propter seq. *modulatus.*

41. H. Voss. ex Angl. B. *digiti fuerant.* Mox *tristia* tanquam Tibulli votis contraria.

44. Ad eundem fere numerum decurrit versus Ov. Fast. IV, 289. *Brontesque et Steropes Acmonidesque solent.* v. Burm. ad Lotich. p. 217.

Sed proles Semeles Bacchus doctaeque Sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens:
At mihi fatorum leges aevique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego qui dicor non fallax, accipe, vates,
Quodque deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro,

45. *Semeles* plurimi ap. Br. et H. Voss., Angll. A. B. E., Beroll. 1. 2. 3. Zw. 1. 2. Edd. pr., vett. ante Broukh., qui *Semelae* revocavit, quem recentiores sequuti sunt, nec vero Wunderlich., v. ad I, 2, 54.

46. *sequens*. Versus in particip. *ns* exeuntes reprehendit Serv. ad Aen. III, 300. Et sane in operibus perfectioris generis perraro inveniuntur; Ovidius interdum admisit, docente Burm. ad Lotich. t. I, p. 239.

48. *posse* non otiosum, sed necessarium esse, docuimus ad I, 8, 56. Ceterum vere Tibulliana loquutio: *dedit posse videre*. De Apolline ea vaticinante, quae Iupiter praediceret cf. Aen. III, 251. Br. ad loc. nostrum. Adiecit haec Apollo, fidem suis verbis conciliaturus.

49 sq. Vulg. *quae dico* propter seq. *feram* suspicione corruptelae non caret. Praeterea nihil frigidius dici poterat, quam quod haec verba e vulg. lectione continent. His caussis adductus e lib. Angl. B. *qui dicor* in textum admisi, ita interpr. *Quare accipe* sc. a me, [cf. Virg. Georg. I, 104. *Quid dicam* – *qui* pro de eo, qui —] *qui non fallax vat. dicor*, *Quodque* i. e. quodcunque *deus Cynth. v. o. feram*. Saepius fefellit usus pron. *quisque* pro relat. *quicunque*. Non repudiarunt illum optimi scriptores, v. Brem. ad Nep. Pel. II, 1. Seyff. Gr. lat. t. II. p. 133. In libris plerisque: *Quidque*. Cur autem *Quid* ferri nequeat, patebit ex nota ad II, 5, 18. H. Vossii lectione: *quid dicam* — *Quidque* non tolluntur difficultates, quae vulgatam premunt.

51 sq. *Cara* int. Neaera; arctius haec et seqq. cum vs. 58 iungenda sunt. *quantum* - *viro*. Haec comparatio cum amore matris in filiam et mariti in uxorem cur mira Heynio visa fuerit, ego caussam non assequor. Bene contra illum monuit Waardenb. in op. p. 183. „His comparationibus duplicem illam amoris vir-

Pro qua sollicitas coelestia numina votis,
Quae tibi securos non sinit ire dies,
Et, quum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis ludit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis, formosa Neaera
Alterius mavult esse puella viri;
Diversasque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
Ah pereat, didicit fallere si qua virum!

tutem complecti voluit, integritatem puta et ardorem," appos. aliis locis, ubi comparationes a cognatorum caritate desumtae sunt, v. c. Catull. 68, 119 sqq. Prop. I, 11, 21.

54. *ire* de tempore frequenter ponunt, cf. Ov. Met. II, 331. Angll. B. C. D., unus Br. *esse*. Fortasse scripsit: *isse*. In temporum mutatione librariorum ignorantia saepe deprehenditur, v. ad II, 5, 112. Ov. Met. X, 173. Et ipsum verb. *sino* praeterito infinitivi iungitur, v. Ov. ibid. V, 119.

56. *ludit* Angll. B. C. D., Ber. 2., Guelf. 3. pro var. lect., Colb., unus Broukh. et Heins., Vindob. Cum H. Vossio praetuli vulg. *fallit*, quod e gloss. intrusum existimo. Comparari Vossius iussit Virg. Aen. I, 411 [407]. *Quid natum — falsis Ludis imaginibus?* Eidem viro de coni. legenti: *vanis nocturnum* non suffragor. Frustra de latinitate v. *vanus* dubitavit, modo capiatur cum Heynio ad Aen. X, 631 de eo, qui vana et inania sibi persuadet. Verius quoque v. *Vanum* habet positum, quam *Vanis*.

59. Sensus: Ingrata puella in alios traducit suas amoris curas, non reddit parem tibi voluntatem. *suas* e. sibi proprias easque *diversas* a tuis alienas. Pronominis *suas* vi neglecta Lipsius correxit: *tuis*, quod inde a Broukh. in vulg. abiit. Librorum scrptt. et edd. vet. lectionem H. Voss., Lips. editor 1812., Wund. revocarunt. Eadem propria gravitas pron. *suus* inest in Ov. Trist. III, 12, 52. *Iamque suum mihi dat pro Lare Poena locum*, ubi frustra tentavit Burm. *novum - focum*. Dousa et Muret. malebant *suis* i. e. propinquis. Alienum hoc a mente Tibulli.

Sed flecti poterit; mens est mutabilis illis;
 Tu modo cum multa brachia tende prece.
Saevus Amor docuit validos tentare labores;
 Saevus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveos pavisse iuvencos,
 Non est in vanum fabula ficta iocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere canora,
 Nec similes chordis reddere voce sonos;
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
 Ille ego Latonae filius atque Iovis.

60. Iung. *N. gaudet N. nupta* i. e. nubere, structura graeca, in iis quidem verbis solita, quae notionem sentiendi vel declarandi habent. Agathias: *αἰδέομαι γιγνόμενος* e. me pudet esse. v. Valck. ad Eur. Phön. 711. p. 310. Virg. Aen. II, 376. *Sensit medios delapsus in hostes.* cl. ibid. 509. Hor. Epist. I, 7, 22. — *et sapiens dignis ait esse paratus.*
casta e. integra, pura, neque sceleribus contacta, qualem poëtarum, cf. v. 43., vel etiam agricolarum vitam esse fingunt, v. Virg. Georg. II, 524. Ceterum int. *in* cast. domo.

61. *nec fid. nomen f.* Dicunt *nomen* pro ipsis hominibus. Recte. At non simpliciter, neque sine structurae diversitate. Genitivus personae quum additur voci *nomen*, plerumque notionem dignitatis ac celebritatis habet. Adiectivum autem si ita appositum est, ut nostro loco, commune aliquid et cuidam generi proprium significat, v. quos laud. Hand. ad Stat. t. I, p. 44.

63. *illis* sc. feminis, assumendum ex *fem. nomen.* Hoc non intellexerunt, qui *illi* exhibebant, ut Berol. 2. Zw. 1. 2. alii, et ed. pr. cum ceteris ante Scalig.

69. *canora* a marg. Gryph. et Lips. edit. H. Vossius recepit. Secutus sum. Vulgata: *sonora* quamvis citharae a deo pulsae non prorsus incommoda sit, admodum tamen suspecta est propter *sonos* in vs. sq. Locis a Voss. laudatis ex Hor. I, od. 12, 11. Sen. Troad. 321. *fila canora lyrae.* Claud. XXXIV, 14. adde Virg. Aen. VI, 119. *Threicia fretus cithara fidibusque canoris.* Qui vulgatam tueri malunt, iis inserviet III, 5, 25 sq.

Nescis, quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas
Immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas;
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse;
Felix hoc! alium desine velle virum."
Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
Ah ego ne possim tanta videre mala!

74. Amicam duram ac superbam. Nihil amplius. *Coniux* enim ut pro amica, sic *coniugium* pro amoris foedere, idque pro puella ipsa. Lectionem: *dominam*, a Broukh. perperam in *dominum* mutatam ex uno libro, confirmat Lotich. II, 3, 18. *Et facilem dominam, coniugiumque bonum.*

76. Broukh. in scriptis coniecit: *Vincentur* cl. 63. Sententiae communiter enuntiatae praesens magis convenit futuro. Alia ratio est verborum: *Sed fl. poterit.* Ceterum *mollis* et *durus* hic opp. ut Ov. Fast. VI, 120. *Ad duram verbis mollibus usus erat.* Wund. gr. *μαλακός* comparavit ex Hom. Od. I, 56.

77. Observes loquendi usum, quo *oracula* canere vera pariter dicuntur ac *dii* canere oracula.

79. Langerm. maluit: *permittit.*

80. *fel. hoc* n. coniugium. Pronominis repetitio gravitatem antec. sententiae addit. Scalig. absolute haec verba posita censet: Felix hoc sit! Parum commode. Ad nostram rationem comp. Heynius Prop. II, 2, 35 sq. *Haec tibi contulerunt coelestia munera divi; Haec tibi; ne matrem forte dedisse putes.* Muretus: *Felix. hoc alium* i. e. alium quam hunc. De hoc usu v. *alius* cum casu sexto iuncti cf. Hor. Epist. II, 1, 240. *Ne quis sese alius Lysippo duceret aere.* Phaedr. prol. III, 41. Heins. ad Ov. Am. I, 4, 1. Eadem fere ratione genitivum addunt Graeci v. *ἄλλος*, v. Vig. p. 75. Schaef. ad Greg. Cor. p. 582. At *hoc* ita explicatum non magis friget, quam v. 25. *illo* ex vulg. et H. Vossii lectione. Broukh. et Vulp. *Felix hoc* iungunt et expl. coniugio vel viro. Satis durum et alienum! In libris *ac* vel *at.* Illud Aldd., Ven., ed. pr. Utrumque autem e comp. scriptura $\bar{c}$ enatum.

Non ego crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectori inesse tuo.
Nam te non vasti genuerunt aequora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimaera fero,
Nec consanguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllave virgineam canibus succincta figuram;
Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis;
Sed culta, et duris non habitanda domus,

81. *corpore* plurimorum libb. scripturam ex ed. pr. aliisque ante Scalig. revocavi. Vulg. *pectore* displicet, quum *pectora* v. 76. et *pectori* v. 84. recurrant. Nostrae patrocinatur Lotich. II, 4, 72. *Corpore defluxit somnus, et orta dies.* et Zanchius VI, 1. *Quum mihi iucundus defluxit corpore somnus.* Utrumque voc. saepius confusum. In Catull. 64, 92. *corpore* agnoscunt 5 codd. Plut. in bibl. Laurent. et Riccard., pl. alii. cf. Ov. Fast. II, 327. Met. VI, 489. Drack. ad Sil. XVI, 479. Ad nostr. facit Virg. Cul. 205. — *intravit levior per corpora somnus.*

83 sq. *Non ego cred.* ad Angl. A., duo Stat., Thuan., Goth. cum H. Vossio, Heyn. favente, reposui. Eodem ducunt *Haec ego* in Colb. et *Nec ego* Ber. 2. vulg. *Nec tibi* turbat structuram. *pectori* tuentur Angl. C. D., Berol. 4. Hamb., Guelf. 1. alii; Scal., Broukh. Voss., Bauer. Vulg. *pectore* vix apta verbo *inesse.*

85. *non* pro vulg. *nec* e libb. Colb. et Thuan. cum Vossio exhibui, ne fastidiose repeteretur *nec.*

87. *cons.* ad plur. libb. etiam Zw. 2. et Ber. 2. fidem cum Broukh. ceterisque recentt. servavi. H. Voss. ex aliis codd. et edd. vett. revocavit: *canis anguinea.* Sed forma *anguineus* suspecta, neque exemplis probari potest ac confirmari. Iam dudum viri docti illam correxerunt, v. Prop. IV, 8, 10. Ov. Trist. IV, 7, 12. In Cat. 64, 193. ex melioribus libb. Is. Vossio praecipiente *anguino* recipi debebat. *Cons. caterva* exquisite dicuntur serpentes Cerbero adhaerentes, quia Cerberus ipse ex Typhone et Echidna natus, igitur serpentes ei fratres erant. Ad totum locum 85—92. comparari potest Cat. 64, 154—56. ubi leg. cum Voss. puto: *rapax,* non *vorax.* Hoc enim epith. Charybdi, illud Scyllae magis convenit, et libris Statii firmatur. cf. Hom. Od. XII, 245 sq. Cic. Phil. II, 27.

Sed longe ante alias omnes mitissima mater,
 Isque pater, quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia vertat,
 Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

93. *Sed* Angl. B. et Goth. Cum H. Vossio recepi pro vulg. *Et*. Repetitio illius v. prorsus Tibulliana et in his sententiis graviter declaratis admodum suavis, cf. ad I, 7, 44. Cat. 64, 141. Simil. *at* repetitur a Virg. Georg. II, 468 sq. De vv. *et* – *sed* in libris perperam commutatis v. Drack. ad Liv. XXI, 26, 6.

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

Ad amicos in thermis Etruscis commorantes scriptum est hoc carmen. In periculo mortis versans iram deorum, tanquam morbi caussam, nullo crimine meritam, deprecatur — 14. queriturque immaturam sibi esse mortem propter iuventutem — 20. Praemissis ad Infernos precibus de vita conservanda — 28. sese amicorum memoriae commendaturus rogat, ut pro salute sacra faciant Plutoni.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus:

1. *fontibus* propter *manat* et *unda* ineptum iudicans H. Voss. in textum admisit *montibus*, quod cum Vatic. unus Br. a marg. et Voss. 5. agnoscunt. Ego quidem aquis calidis undam *fontibus* magis quam *montibus* manantem convenire arbitror. *Fons* et *mons* in mss. sexcenties confusa sunt, v. c. Ov. Pont. IV, 5, 43. ubi aliquot *montes* pro *font.* exhibent. cf. Hor. I, od. 29, 12. Sil. V, 624. Prudenter monet Broukhusius: „Quum nobis parum constet, quas tandem Etruriae thermas designet Albius noster, [et sane complures in ea regione fuisse didicimus] haud facile est certi aliquid constituere."

3. Laudem undarum Etrusc. celebraturus dicit, illas, quae per dierum canicularium aestum non adeundae sint, cum Baianis, vere ineunte, certare vel immo superiores ac nobiliores esse. Quaeritur autem, quomodo hic sensus e verbis elici possit. Lubricam fere atque incertam facit interpretationem voc. *maxima*, quia vis superlativi non locum habet, quum Etruscae et Baianae undae loco diversae sint, neque igitur absoluto superlativo comparari inter se possint. Quod quidem Broukh. sentiens *Baias* quascunque thermas appellative dici statuebat. Heyn. verba iungit et interpretatur sic: *unda maxima lymph. sacr. Bai.* praestans, praeclara per s. propter aquas h. fontes suos salubres, quos *lymphas Baiarum* appellat a similitudine. Alii, ut Boissonad. ad Greg. Cor. p. 113. Sch. et Weichert. ad Pomp. Mel. p. XII. superl. pro comparativo positum esse volunt, in usum adhibentes Graecorum morem, quem illustr. Herm. ad Vig. p. 718. ed. nov. alii, quos nominavit Matth. Gr. gr. p. 641. Itaque *max.* pro maior, praestantior, accipiunt. Haec autem ratio ut possit apud Latinos

At mihi Persephone nigram denuntiat horam;
Immerito iuveni parce nocere Dea!
Non ego tentavi, nulli temeranda virorum,
Audax laudandae sacra docere Deae;

idoneis probari ac confirmari exemplis vehementer vereor. Ea saltem non satisfaciunt, quae intpp. ad Sanct. t. I. p. 314. apposuerunt. Alii locum corrigendo iuvare ausi sunt. Scioppii et Heinsii emend. *proxima* in text. admisit Vulp. 1749. et ad amplectendam proclives erant Broukh., Wund., Bauer. alii. Esset *unda pr. lymph. Bai.* prox. dignitate, conditione et praestantia. Et sane hic usus v. *prox.* poëtarum est, docente Heyn. in obss. cf. Virg. Ecl. VII, 22. Neque desunt exempla permutationis verb. *pr.* et *max.* v. Heyn. ibid. H. Voss. *Nunc aequans sacris B. munia lymph.*, interpr. ein Quell, der mit heil. Nymphengabe sein wohlthätiges Amt eben so geschäftig als Baiae ausübt, d. i. der gleich viele Gäste in der Pflege hat. De qua lectione quid iudicandum sit, iam alii monuerunt. Partic. *autem*, in epicis vix toleranda, ab eleg. tenuitate non aliena, neque offendere debet, v. Cat. 64, 319. Prop. II, 32, 29. Aliud autem vulnus nostro loco inflictum esse videtur, quo factum, ut *max.* non haberet, quocum iungeretur. Scripsisse poëtam suspicor: *Nunc autem* ante *sacras B. m. lymphas.* Praepositio *ante* propter similitudinem antec. *autem* postquam exciderat, corrigebant accus. in ablativum, ut qualiscunque sensus loco redderetur. Comparatio autem ita instituitur, ut Etrusca unda Baiarum lymphas nobilitate superare efferatur, sc. tunc, quum vernum tempus exoriatur. De usu loquendi cf. Virg. VII, 55. — *petit ante alios pulcherrimus omnis Turnus.* Tib. III, 4, 93. Priorem vocis *sacras* syllabam nunc produci, nunc corripi, v. I, 7, 48. II, 4, 23. II, 5, 17. *Maxima* e. celeberrima, nobilissima, ut *magni fontes* Prop. III, 3, 5. Ceterum vs. 2. 3. eiecit Strombeck.

7—14. Synclit.: „ostendit T. se fuisse pium erga deos et propterea mereri, ut diutius vivat, cum nullum crimen commiserit, quo mortem mereatur.“

8. H. Voss. de coni. scripsit: *cernere sacra Deae* tanquam inepte poëta dicatur docere ea, quae ipse non viderit. Ausim vero contendere, vulgatam multo efficaciorem Vossiana esse, si quidem scriptores non in singulis tantum verbis, sed in plenis etiam sententiis id praeponere solent, quod tanquam consequens cogitari debet. Unum e multis exemplum proferam e Nep. Att.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
 Dextera, nec cuiquam certa venena dedit;
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes;
 Nec cor sollicitant facta nefanda meum;
Nec nos insanae meditantes iurgia linguae
 Impia in adversos solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos;
 Nec venit tardo curva senecta pede.

XVII. *Se* [Atticum] *nunquam cum matre in gratiam redisse.* Ceterum sacra Bonae Deae sive Cybeles eadem sunt, quae occurrunt I, 6, 22.

10. *certa* Angll., Ber. 1. 2. 5., Guarn., Zw. 1. 2., septem ap. Voss. alii; Ed. pr. omnesque vet. ante Scal., Voss., Bauer., vindicat. etiam a Burm. ad Lot. p. 672. Signif. venena praesentissima, indubitatam mortem inferentia. Similiter dic. *sagitta certa*, *arcus certus*, Hor. I, 12, 23. Ov. Met. I, 519. *hasta certa*, ib. XII, 83. Vulg. *tetra* ex *trita* in Cuiac. libro a Scal. correctam Sfort. Ber. 4. a marg. et Guelf. 2. p. v. lect. agnoscunt. *Trita* et *tetra* permut. Prop. II, 17, 14., etiam *certus* et *tritus*, v. c. Ov. Met. II, 668. Pro vulg. stat Prop. II, 24, 24. *Trita* defensorem nacta est Lachm. ad Prop. p. 164. Recepta exquisitior et maiori libb. auctoritate munita. Berol. 3. a marg. *torra*.

11 sq. Petron. 133, 6 sq. — *Non sanguine tristi Perfusus venio; non templis impius hostis Admovi dextram.* Scaligerum perperam vexavit *sacrileg. ignes*, quam ob caussam futilem Cuiac. scripturam importavit: *sacrilegi - ergo*, quod poster. voc. depravatum videtur ex *aegros*, quod plerique codd. praestant. Vulg. satis proba. *Sacrilegus* non modo designat templorum spoliatorem, sed ad omnia seu dicta sive facta transfertur, quibus aliquis se sacrorum contemtorem et insolentem in deos exhibet. Gebhard. bene comp. Quint. decl. XI. *Sacrilegum continuo flagrasset incendium.* cf. Ov. Met. IV, 23.

12. H. Vossius: *ulla*, quod pro *facta* Angll. C. D., unus Br. afferunt. Ut per se probum, ita non necessar., dummodo *facta nef.* in specie dict. accipias pro *impetus* grassatorum et latronum, v. Wund.

13 sq. *linguae* duobus Broukh., Angll. B. C. D., Vind., Mon., Voss. 5. Ber. 3. a marg. firmatam cum edd. vet. et rec.

Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis,
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei!
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethaeamque ratem, Cimmeriosque lacus,

servavi. Aliquot libri: *mentis* forsitan e gloss. ortum, quanquam id Lachm. ad Prop. p. 15. tueri mavult. Broukh. ad emendationem Lipsii: *insana - mente;* sic Voss. 3. cf. Tib. II, 6, 18. Vulg. non dedecet poëtam. cf. *insana iurgia* Ov. Fast. I, 73. Prop. III, 8, 2. *Vocis et insanae tot maledicta tuae.* Ad sensum vss. 13 sq. cf. I, 2, 81 sq. IV, 4, 14. III, 4, 15 sq.

15 sq. Nondum capilli sunt cani, neque propinqua est senectus. Iunge: *curva p. tard.*, non *venit tard. p.*; nam senectus, mors celeriter venire dicuntur, cf. I, 10, 40.

17 sq. Quomodo hoc distichon vindicandum sit Tibullo, in comment. crit. docuimus. Designat autem Lygdami natalem, qui inciderit in eum annum, quo Hirtius et Pansa, consules, in proelio Mutinensi contra Antonium commisso vulnerati interierant, i. e. ann. 711. v. Vellei. II, 61. Suet. Aug. 11. Nostrum distich., Heynio aliisque faventibus, exturbavit Strombeck.

19 sq. Ad praematuram mortem significandam utitur comparatione a fructibus, qui decerpuntur immaturi, petita, cf. Mitsch. ad Hor. II, 5, 12. *mala* perniciosa, Virg. Ecl. III, 11. Plin. Ep. VIII, 5, 1.

22. *tertia regna* i. inferos, quorum imperium Plutoni ex sortitione obvenit. cf. Ov. Fast. IV, 584. *dura* aeque convenit ad *regna*. Proba atque optimorum script. exemplis confirmata est ratio, uni substantivo duo epitheta, nulla copulativa accedente, iungendi, quanquam pro vitiosa illam habebat Serv. ad Virg Ecl. III, 38. aliosque locos. Alterum epith. ad claram plenamque substantivi notionem reddendam necessario requiritur et cum hoc ipso unum tanquam dictum efficit, igitur illud proxime substantivum aut praecedit, ut h. l.; III, 3, 38. Nep. Dat. III. *agresti duplici amiculo circumdatus;* aut sequitur, ut Ov. Fast. I, 637. *Candida - lux* proxima. Sen. Med. 110. *Candida Thyrsigeri pro-*

Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
Languent ter quinos iam mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
Et facilis lenta pellitur unda manu.

les generosa Lyaei. Alterum vero epith. ornatus vel amplificationis caussa additur, et sedem a subst. remotiorem obtinet. v. Cens. doct. in Eph. litt. Jen. 1812. N. 160. p. 247. Exempla male disposita dedit Broukh. ad h. l.

28. „Quindecim diebus se aegrotasse innuit" Synclit. *iam* Angll. B. C. D., 3 ap. Br., Guelf. 3. et 2. in marg., Monach. Hoc vulg. *sed* praeferendum censui, non quidem propter sedem, quam in medio versu tenet, cf. Ov. Amor. I, 5, 14., at propter sensum. Berol. 2. *mihi* pro *mea.* Fortasse scripsit Albius: *hei mihi.* Illud in libris antiquis *EI* exaratum facile abire poterat in *et*, cf. var. lect. ad Ov. Met. IX, 492. Hoc ex ult. praeced. vocis littera in *set* sive *sed* depravatum. Luc. Langerm. coniecit: *et.* Idem placet H. Vossio, et in Ms. Brix. apparet.

29. *numina l. T.* exquisitius pro ipsis lymphis Tuscis. Praesunt ut aliis, sic praecipue salubribus fontibus Nymphae, hinc *sacris lymph.* vs. 3. Aliquot: *nymphae,* cui vel *num.* adversatur. *Lympha* ubique restituendum, ubi de aqua ipsa vel humore agitur; *nympha* iis tantum locis convenit, ubi fons vel eius praeses, dea, subcogitatur. V. Hand. in Gron. Diatr. t. I, p. 179.

30. *pellitur* propr. de natantibus, cf. I, 4, 12. *lenta manu* graph. exprimit brachia natantis luctantia; bene Heyn. comp. Ov. Her. XIX, 48. XVIII, 96. ibi Burm.

31. Lips. Exc. et Ber. 2. *sed*, ex antec. *es* ortum. Colb. et Voss. 1. gloss. *quoque*, unde H. Voss. legendum: *o* suspicatur. Vulg. *et* proba, dummodo vi intendendi accipiatur, v. Tursell. de part. p. cl 83.

32. *velint* Angll., Ber. 1. 3. 4. Zw. 1. 2. plerique apud H. Voss.; Edd. pr. et vet. omnes ad Broukh. usque servarunt. Hic *volent* ex uno Stat. libro primus intulit, quod H. Voss. recte deseruit. Accommodatum enim erat a libr. futuro *erimus.* Melius triste animi praesagium incerta oratione effertur.

Vivite felices, memores et vivite nostri,
 Sive erimus, seu nos Fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
 Et nivei lactis pocula mixta mero.

33 sq. Ex atris victimis, quibus addebantur lac et vinum, constabat sacrum, quod Inferis ferre solebant. Sen. Oed. 563 sqq. a Br. laud. — *Sanguinem libat focis Solidasque pecudes urit, et multo specum saturat cruore; libat et niveum insuper lactis liquorem, fundit et Bacchum manu laeva.* De *nigris victimis* Broukh. in anecd. adiri iussit Cerd. ad Virg. t. II. p. 579. Meurs. in Lycophr. p. 306. *promitt.* alias *vovete*, Br. in scriptis laud. Freinsh. in Curt. III, 7, 3.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Neaerae animus quum flecti non potuerit, curas amoris et aegritudinem vino abigere vult poëta vocatque amicos, ut ad compotationem veniant — 12; nam, etiamsi ab Amoris potentia nihil metuendum sit, graviter Bacchum ulcisci eos, qui potare recusent — 24. Diversis sane affectibus vexatus Neaerae modo mala precatur, modo felicissima quaeque exoptat — 30 suis doloribus vino opprimendis vix idoneus — 38. Ut quondam Catullus virorum perfidiam Thesei exemplo probaverat, ita ipse viros, ut a feminarum levitate sibi nunc caveant, exemplo Neaerae proposito, graviter monet — 50. Denique curas iterum iterumque suscitatas vino levaturus sese atque sodales ad compotandum exhortatur.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis
Semper, sic hedera tempora vincta geras!
Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem:
Saepe tuo cecidit munere victus amor.

1 sq. Eundem orationis colorem habemus I, 4, 1. Sensus: oro te per vitem tibi sacram cet. Vitis, pampini, uvarum multiplex erat usus in sacris Bacchi, quae mysteria dicebantur; hinc *mystica* vitis. V. *Semper* arctius iung. cum *sic tibi sit* sc. cara et sacra. Vehementer errant, qui *semper* ad *geras* referunt, aut cum Aldd., Mur. et Statio legunt: *Sic hedera semper t. v. g.;* nam praeter hederam alios quoque flores capiti Bacchi ornamento fuisse, nota res. v. Sen. Oed. 414 sqq. Pro: *tempora* Statius e libris affert *cornua;* recep. H. Vossius. Ad vulg. servandam me impellunt et libb. auctoritas, et veterum testimonia, ex quibus uvae cornibus, hederae autem fronti tribuuntur. Locis a Br. appositis add. Ov. Met. VI, 599. — *vultus hederarum frondibus abdit*, quod vix fieri poterat, nisi frons religata fuisset hederis.

3. *par. med.* cui eandem ipsi medicinam adhibere necesse fuit, nimirum vino curas amoris pellere, quum in Ariadnen arderes. Ad rem cf. Prop. III, 17, 1 sqq. *medicande* vocativo verbo secundae personae in alloquendi formulis apposito, cf. I, 7, 53. Virg. Aen. II, 282 sq. — *quibus Hector ab oris Exspectate venis?* Ante Broukh. legebatur: *medicando.* Haec autem licentia extremam syllab. corripiendi etsi Iuvenali serioribusque poëtis non vitata sit, aevo tamen August. prorsus incognita, v. Burm. ad Anth. lat. t. I, p. 298. t. II. p. 722. et Wagner. in eleg. ad Messal. p. 1. Iam dudum loca singula, v. c. Ov. Trist. I, 3, 99. Her. IX, 126. partim e melioribus libb., partim ex ingenio correcta sunt a viris criticis. Receptam tuetur Voss. 1. Vitium unde enatum fuerit, facile perspicitur.

4. Broukh. malebat: *cessit,* quoniam *cadere* pro victum abire

Care puer, madeant generoso pocula Baccho;
I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum, curae, genus, ite labores,
Fulserit hic niveis Delius alitibus;
Vos modo proposito, dulces, faveatis, amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem.

non dicatur. At *vict. cecidit* aeque probum ac *victus iacet*, Ov. Met. I, 149. VII, 527. Alteram emendandi caussam inde petit Br., quod Noster perquam raro faciat pentametros, quorum hemistichia possint inter sese commutari. Recte; attamen huiusmodi pentametros admisit. v. I, 4, 4. II, 3, 14. al. Sensus: saepe vino amoris curae depulsae sunt ex animo.

5. *Care* Mitsch. ad Hor. II, 11, 18. maluit: *Larga.* Otiosum mihi hoc videtur propter seq. *madeant.* Et *care* certo quodam consilio alloqui poterat puerum.

7. Ducibus libb. Flor. et Guelf. 2. *dirum* recepit H. Voss. Utrumque frequenter confusum v. Ov. Met. V, 244. VIII, 65. *durum* oneri curarum, quae alibi quoque *graves* dicuntur, designando egregie aptum. Recursus litterae *u*, qui Vossio displicebat, de industria mihi a poëta admissus videtur. *labores* s. animi angores, dolores.

8. *niv. alit.* i. q. candidis avibus, prospera ac laeta nuntiantibus, i. e. bono omine, v. ad II, 2, 21. *fulserit* de die vel sole felici omine exorto, dicere solent. Catull. VIII, 3. *Fulsere quondam candidi soles.* H. Voss. *niv. alit.* de cycnis niveis ad currum Phoebi iunctis intelligit. Seqq. *Vos modo* cet. iungenda superioribus et minori signo distinguenda. Ad eloquutionis formam prope accedit Prop. II, 30, 14. Plin. Pan. 95.

10. *neget se comitem* i. q. recuset me comitari nim. bibendo. De loquendi ratione cf. Hor. I, 35, 22. *nec comitem abnegat.* Sil. III, 110. *Abnuis inceptis comitem.*

11. *mite* opp. rixis, quas ebrii Thracum more agunt, v. Hor. I, 27, 1 sq. Haud probaverim *inire*, quod, Schradero praeeunte, Burm. ad Prop. I, 5, 12. et Mitsch. malebant. Angl. B. *dulce.* Ex sup. *duce* ortum. Indicativ. *recusat* probus, cf. III, 3, 35 sqq.

Aut si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puellà dolo.
Ille facit dites animos Deus; ille ferocem
Contudit, et dominae misit in arbitrium;
Armeniasque tigres et fulvos ille lèones
Vicit, et indomitis mollia corda dedit.

Cum aliis ap. Br. et Voss. *recuset* Ber. 2. Zw. agnoscunt; idem ed. pr., Reg. Lep. Ald. 1., Scal. aliae ante Broukh.

13—16. Ad Amorem spectant hoc sententiarum ordine: Amorem, quamvis magna vis illius est ac potestas, negligite et Bacchum prae illo colite. Sane hunc ipsum intelligi volebant nonnulli intpp. Perperam. Meliora vel vs. 17 docere potuit. Ut rite expediatur locus, tenendum est hoc: Ad Amoris vim et potestatem in hominum animos describendam utuntur poëtae iisdem fere lineamentis, quae alias Baccho sunt propria; cf. Ciris 134—137. et ipse Amor in monumentis ad Bacchi figuram adumbratus apparet, v. c. caput frondibus pampineis cinctum, dextra uvam tenens, v. Hirt. Bilderbuch. II, p. 219. tab. XXXI, 6. Cernitur quoque in statua quadam poculum dextra tenens, et totum ebrii vultum atque corporis habitum prae se ferens. Hinc simul manifestum fit, lect. *dites* bene convenire Amori, alias Baccho. v. Theogn. 1125. Hor. I, 18, 5. III, 21, 18. II. Voss. e Lips. Exc. *mites*, fav. Heyn., Burm. ad Prop. I, 5, 12. Mitsch. ad Hor. t. I. p. 388. Huic lect. primum adversatur pron. repetitum *ille - ille*, quo diversae res distinguuntur, deinde vs. 16, ubi eadem res praedicaretur. Perfecta: *contudit*, *misit*, *Vicit*, *dedit* vi aoristi posita de re saepius facta, cf. Spald. ad Quint. III. Inst. 7, 15.

15. *Armeniasque* ad codd. Vind., Voss. 3. 5. Zw. 1. 2. ed. pr. alias vet. cum Vossio, nec improbante Wund. reposui. Vulg. *Armenias.* Exturbarunt *que*, quibus prior syll. vocis *tigres* producenda videbatur. Correptam autem habemus Ov. Met. VIII, 121. XV, 86. Hor. art. p. 393. *Que* sequente *et* prorsus Tibullianum. Ceterum *Armenias* adiective accip., v. ad I, 9, 33. et Gier. ad Ov. Met. XV, 86. Recte igitur reiecerunt editores: *Armeniae*, quod Br. ex emendatione, acc. Voss. 2., dedit *fulvos* — *leones* Vat., unus Stat. et Br., Ber. 2., Goth. Sic H. Vossius, qui vindicandae huic lectioni utitur locis ex Ovidio supra memoratis. Vulg. *fulvas leaenas* antec. *Arm. tigr.* commodata videtur. Br. in anecd. proponit: *saevas*, cl. III, 4, 90.

Haec Amor, et maiora valet. Sed poscite Bacchi
Munera! quem vestrum pocula sicca iuvant?
Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis,
Qui se, quique una vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium nimiumque severis;
Qui timet irati numina magna, bibat!
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor; illaque, si qua est,
Quid valeat laesi, sentiat, ira dei!

18. *quem nostrum* H. Voss. e libro Ursini et Voss. 3. Vulg. tuetur v. *poscite*.

19 sq. Pedestris ratio ferebat: aequum se exhibet Bacchus; nam qui se contemnunt, eos castigat et ulciscitur; placidus autem et propitius est iis, qui munera sua colunt et potare non recusant. Recte Wund.: quales homines, talis Deus. Gr. ἐξ ἴσου. Formula *ex aequo* suam vim ac notionem e nexu sententiarum accipit, cf. Ov. Met. IV, 62. V, 565. Plin. Pan. 83. *Conv.* absol. tanquam *pactum fit*. Mox *in illis*, quod praeter multos apud Voss. et Br. libb. Beroll., Angll. A. B. C. D. testantur, exquisitiorem esse loquendi rationem quam *in illos* quod edd. ante Br. habent, contendunt. Cf. Virg. Aen. II, 541. *talis in hoste*. Prop. III, 19, 28. *aequus in hoste*, ibi Pass. Vellei. I, 12. *odium ne in victis deponitur*. Plura cong. Burm. ad Prop. I, 13, 7. Saepius ignorantia librariorum sextum mutavit in quartum casum, qui vulgaris habetur. v. Caes. de b. g. II, 32. Nep. Dion. VI, 2. In eundem fere censum veniunt loquutiones: *ardere*, *uri*, *insanire*, *suspirare* in aliqua, de quibus disseruit Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 48. Non mihi persuadeo, veteres temere sexto pro quarto casu usos fuisse.

20. *Qui se* e. Bacchum. H. Voss. suspicatur fuisse: *Qui sua securi v.* Ingeniose quidem, tamen non necessario. Et ipsa repetitio v. *qui* vere Tibulliana.

21. *Nam* Angl. D. Ber. 4. unus Stat. Recepit H. Vossius, elliptica quadam vi hoc positum censens. Parum probabiliter. Vividius dixit poëta *Iam*, quod ab oppositione vim accipit suam. *nimium* ante adiectivum pro *nimis* ex usu satis trito. Nonnulla dedit Clud. ad Vell. I, 6.

Quid precor, ah, demens? venti temeraria vota
 Aëriae et nubes diripienda ferant!
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
 Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae;
 Venit post multas una serena dies.
Hei mihi! difficile est imitari gaudia falsa;
 Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore;
 Nec bene sollicitis ebria verba sonant.

24. *Praeda* cet. intellig. Pentheus, qui a matre, Agave dicta, Cadmi filia, furore Bacchico incensa, more praedae discerptus est.

25 sq. *hic - timor* sc. ne Bacchus nos ulciscatur. Cetera iunge: *illaque* h. e. Neaera, *si qua est, sentiat, quid val. ira laesi dei.* V. *si qua est* expl. velim: ubicunque sit, degat; nam peregre abiisse illam cum amatore, e pluribus locis colligere licet. *Si quis* pro: quicunque, in vulgus notum; v. Virg. Aen. VII, 225 sq. Nep. Epam. I, 3. H. Voss. *impia* e marg. ed. Gryph. 1573. pro *illaque* dedit. Mureto placebat: *sicca* pro *si qua est.*

28. *dirip. ferant* eadem verborum copia, ut I, 7, 40. IV, 3, 22. Hic autem, monente Wund., simul significatur, vota digna esse, quae diripiantur.

31 sq. Multis exantlatis laboribus reliquum tempus genio et iucundae compotationi deberi videtur. Ad v. *reddamus* Vulp. contulit Ov. Her. IV, 53. *securae* m. ad quam ipsi curis vacui adesse volumus. *pocula* Colb. pro div. lect. *multas* int. ex oppos. *serena* nubilas sive tristes. cf. Ov. Trist. II, 142. *Nube solet pulsa candidus ire dies.* In restituenda lect. *multas* pro vulg. *multos*, quod, seq. *serena*, vix ferri potest, ed. pr., veteres ante Scalig., et H. Voss. sequutus sum. Testantur hanc Angll. A. B. E., Ber. 1. 3. 4. Zw. 1. 2. Guelff., alii ap. H. Voss. Vulg. Scaligero debetur. cf. Seyff. Gr. lat. t. III, p. 13. Santen. malebat: *nimbos.*

34. cf. Eurip. Hec. 663 sq. — *ἐν κακοῖσι δὲ Οὐ ῥᾴδιον βροτοῖσιν εὐφημεῖν στόμα.*

35. Difficile ei est ridere, qui secus loquitur, ac sentit, et igitur non vere ridere potest.

Quid queror infelix? turpes discedite curae!
Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
Flevisti ignoto sola relicta mari;
Sed cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos fallax iurarit ocellos,
Iunonemque suam, perque suam Venerem,

37 sq. Iam redit poëta ad quandam levitatem animi, et suam in superioribus declaratam tristitiam reprehendit.

39 — 42. Communem ego cum Ariadne sortem expertus sum, quam ob caussam idem, quod Catullus de virorum perfidia, ipse de puellarum levitate monere possum. *ign. mari* tertio casu accip. secundum ea, quae obs. ad III, 2, 14. Suadet hoc etiam Catull. 61, 164. *Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris.* De huiusmodi lamentationibus cf. Epist. crit. p. 81.

41. *Sed* e libr. Dresd. H. Voss. revocavit, quem una cum Bauero et Wund. sequutus sum. Hoc vel opposita in vs. 43 flagitant. E vulg. *Sic* sanum vix sensum elicere possumus.

43 sq. *quic. dol. alt. disc. tuo* nim. dolore *posse car.* e. quicunque alieno dolore doctus sibi cavet, ne quid admittat, unde eundem capiat dolorem. Diod. I. *Καλὸν γὰρ τὸ δύνασθαι τοῖς τῶν ἄλλων ἀγνοήμασι πρὸς διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι.* *Carere* dicimur aeque bonis ac malis rebus. Vulp. comp. Cic. Tusc. I. *febri carere.* Et hoc gravius et exquisitius, quam: *cavere tuum*, quod H. Voss., paucis libb. addicentibus, intulit. De v. *posse* v. III, 4, 48.

45. *brachia* n. puellae *pend. collo* n. vestro. Mox *sord. lingua* est avarae puellae, cf. *sordidum periurium* Phaedr. IV, 19, 24. nisi pro *fallax*, *cui non fides habenda* accipere malueris. Heins. coni. *subdola*, quod Broukh. et Heynio placebat. Non ita mihi propter *blanda*.

49. Pro *inerit* H. Voss. de coni. *fuerit* sensu imprecandi. Sequentia vulgatae magis favent, et var. *Veneri*, *meritis* ad nostram ducunt.

Nulla fides inerit; periuria ridet amantum
 Iupiter, et ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellae
 Conqueror? ite a me, seria verba, procul.
Quam vellem tecum longas requiescere noctes,
 Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida nec merito nobis, nec amica merenti!
 Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat; cessas, o lente minister!
 Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si nostrae fugiat convivia mensae
 Ignotum cupiens vana puella torum,

51. H. Voss. *vota* ex ingenio scripsit, ne bis idem v. recurreret. Nihil contra mss. auctoritatem mutare volui.

53. Hunc ordinem pro vulg. *long. tecum* ad fidem omnium fere codd. et edd. vet. reduxi praeeunte H. Vossio, ne perperam voci *longas* tribueretur gravitas. Ber. 4. et Zw. 1. *mallem*, sic ed. pr.

55. Sensus: et immerito mihi perfida, neque amica mihi, qui dignus sum, quem ames. Altera ratio, qua *nec am. mer.* capitur pro: *et non merenti*, *indigno amatori*, *quae amica es*, aliquid incommodi habet. Alii cum Br. archaismum captantes librorum lectione: *inimica* servata iungunt *nobis merenti*, quae constructio monstrosa vix in puritatem Tib. cadit. Huiusmodi naevis alii quoque poëtae meliori interpunctione liberati sunt, v. Catull. 106, 5 sq. Ter. Eun. IV, 3, 7. Pluralis alibi singulari additus suas caussas ac conditiones habet, neque huc quidquam facit Aen. IX, 525. cf. Seyff. Gr. lat. t. V, p. 301. Burm. Sec. tentavit: *et immerito*.

57. *N.* — *amat* e. vinum aqua misceri et temperari postulat. Respicitur ad fabulam, qua Bacchus a Nymphis Naiadibus educatus fuisse perhibetur. Mox *annosum* e. multos annos habens, vetustum; cf. Mart. VI, 27, 5. Adiectiva in *osus* desinentia copiam significare, notum vel ex Grammaticis, Gell. IV, 9. Prisc. IV. p. 115. Cort. ad Sallust. Iug. 66, 2. Similia sunt graeca in *ωδης* exeuntia, v. Fisch. ad Well. spec. II, p. 12.

59. *nostrae fug.* collocavi cum H. Voss. ducibus Vat., Goth., Voss. 5. Ber. 2. et Angl. A. *nostrae fugit.* In v. *nostr.*, opp. *ignotum*, vis cadit. Vulg. *fug. nostr.* Burm. ad Lot. p. 453. corri-

Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

gere voluit: *convicia* s. dicteria et cantilenae iuvenum et puellarum alternae.

60. *ignot. torum* e. amorem, consuetudinem ignoti et ignobilis hominis, cf. IV, 10, 6.

63 sq. *Syria* H. Voss. tanquam nobilius, fav. Guyet. et Heins., recepit e vestigiis cod. Goth., qui *Tyria* affert. Synclit.: „*Syria* leg. Nam ubique apud poetas in foem. genere profertur; Hor. pluribus in locis.“ Utraque tamen forma suum habet locum certum atque usum, v. ad II, 2, 7. Mox *debueram* pro debuissem, vel tironibus notum; hunc autem indicativum magis frequentant, quum part. *si* vel *nisi* sequitur, v. Hor. III, 16, 3. Seyff. Gr. lat. t. V, p. 161. Observa ceterum in hoc verbo et *iam dud.* poëtam, qui vel minimam moram impatienter fert, v. Mitsch. ad Hor. I, 37, 4.

ALBII TIBULLI
LIBER QUARTUS.

CARMEN I.
ARGUMENTUM.

Laudibus Messalae canendis ingenii vires vix sibi sufficere quamvis ipse senserit poëta, tamen panegyricum se fecisse declarat, quod leve opusculum approbaturus sit fautor sequutus exemplum Apollinis, Bacchi, Herculis, aliorum deorum, qui vel parvum munus accipere non dedignati fuerint — 15. Hoc idem ubi contigerit sibi, se unicam in Messalae rebus praeclaris celebrandis operam collocaturum esse pollicetur — 27. et, ut ille maiores clarissimos fama superaturus sit, ita e laudatorum certamine victor discedat ipse, in optatis habet ardentissimis — 38. Iam vero, pacis bellique virtutibus, quibus Messalae nomen splendeat, expositis — 44. praeconium elo-

quentiae atque facundiae, comparatione cum Nestore et Ulysse instituta, adiungit — 81. Commemoratis etiam illius artibus bellicis — 105. res bello gestas recenset — 118. quibus maiores atque ampliores a consule recens facto gestum iri e felicissimis diei, quo consulatum inierat, auspiciis vaticinatur — 177. Tantis vero laudibus rite celebrandis exornandisque ut Valgio vires suppeditare, ita sibi deesse ipsi fassus — 181. etsi, quam tristibus fortunae incommodis afflictus sit, conqueritur, non tamen ad res Messalae amplissimas et virtutes carmine efferendas unquam defatigatum iri spondet, dummodo gratia fautoris perpetua frui sibi contingat — 204. Quin imo ubi ad vitam aliquando revocatus fuerit, iterum iterumque praeconia se facturum esse Messalae pollicetur.

De auctore ceterisque rebus ad hoc carmen spectantibus in commentatione critica disputatum est.

Te, Messala, canam. Quanquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae valeant subsistere vires;
Incipiam tamen. Ac meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis,

1. *Virtus* latiori sensu omnes virtutes earumque laudem complectitur, hinc *cognita* i. e. cuius fama ubique locorum circumfertur. Inde apparet, quam commode virtutes satis cognitae ac celebratae dici possint *terrere* poëtam, *ut* cet. H. Voss. ad fid. Angll. C. D. E., Hamb. *vivida* exhibuit, quae lectio ipsi Heynio non ex librarii errore nata videbatur. Non accedo. *Viv. virtus* poëtae non nisi ad fortitudinem bellicam strenuumque impetum referunt, v. Virg. Aen. V, 754. XI, 786. Hor. IV, 4, 10. Hic autem nimis anguste dictum parumque accommodatum esset verbo *terret.* Fuerunt quoque, qui *virt.* de poëtica facultate et laude caperent, ut Hor. II, Sat. 3, 13. Epist. II, 1, 183., et ad poëtam referrent. Quibus debetur *mea.* Sic plerique libri, ed. pr. aliae ante Scalig. Huic autem rationi omnia repugnant. Mox *valeant* flagitat et consensus librorum, quibus Angll., Beroll., omnes apud H. Voss., Zw. accedunt, et ratio grammatica, qua verbis *terrendi* eadem constructio convenit, quae verbis *metuendi.* Hor. I, 2, 5. *Terruit gentes, grave ne rediret.* — Recte igitur *val.* Heynio iam probatum Wund., Voss., Lips. 1812. Bauer. revocarunt. *Nequeant* a Scal. receptum Broukh. in vulg. transfudit. In hac lect. subsistens Oudend. ad Caes. de b. g. V, 47. [quod am. Seebod. mihi significavit] part. *ut* intp. adeo ut. Nim. friget.

3 sq. *Ac* pro vulg. *at* e Pocchi Exc., duobus Heins., Guelf. 2 a m. cum Mureto, Dous., Pass., Cantabr. dedi, tanquam magis commodum sententiarum nexui. In seqq. H. Voss. ad Broukh. coniecturam scripsit: *tantisque humilis.* Vim autem in v. *humilis* quaerendam esse, recte monuit Wund., qui nexum statuit hunc: Si meritas carm. laudes def., sim humilis conditor tantis actis, ac quidni sim, quum digne praeter te ipsum omnino nemo res tuas describere possit?

Nec tua te praeter chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint:
Est nobis voluisse satis; nec munera parva
Respueris. Etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit; et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera coelo,
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides, deus ascensurus Olympum,

5. *te praeter* cf. Tib. IV, 13, 3. I, 6, 57. 65. I, 7, 25. II, 6, 35. Hanc collocationem firmant Guelf. 1. 3. 4., Ber. 2., Stat. libri, duo H. Voss., Zw. et cum ed. pr. omnes veteres. Scalig. primus vulg. *praeter te* invexit, quam H. Voss., Wund., Bauer. recte deseruerunt.

7. *Est nobis* cet. iungas cum vs. 4. ita ut 5—6. pro interpositis accipiantur. Bene comparavit Heyn. locum Paneg. in Pison. 202 sqq. *Quod si digna tua minus est mea pagina laude, At voluisse sat est* cet.

8—15. Veniam exigui opusculi a Messala petiturus exemplis a fabulosa antiquitate mutuatis iisdemque perquam inopportunis [v. Ep. crit. p. 33.] adstruere conatur sententiam: ipsos Deos parvis placari muneribus.

9. *Cres* collect. pro: *Cretes*, quos, ut sacra facerent, Apollo, Pythone occiso et templo condito, delegisse traditur. v. Hom. Hymn. in Apoll. 388 sqq. De hac ceterisque mythol. rebus v. Index rerum.

11. *neget* cet. ne ob longinquam aevi vetustatem posteri fidem habere nolint iis, quae de Icaro tradita sunt.

14. *placavit* aliquot ap. Br., Guelf. 4. Dresd. et ed. Brix., Ven. 1487. Synclit. a correctione, Broukh., Voss., Lips. 1812. Wund. Prob. Heins. et Eichst. in auct. crit. ad Haberf. Schol. in Hor. Epist. I, 2, 45. Vulg. *pacavit*, qua permutatione in libb. mss. nihil frequentius. v. Heins. et Burm. ad Claud. IV. Cons. Hon. 226. Bentl. ad Hor. A. p. 197. *Pacare* eorum est, qui quosvis furores periculosos sedare et pacem securitatemque restituere conantur, v. Virg. Aen. VI, 804. Ov. Her. IX, 13. Plura congess. Fea ad Hor. II, Sat. 8, 5. ubi *placavit* bene servatur, quoniam ironice accipiendum, cf. v. 47. *Placare* nimirum de iis di-

Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque coelestes placavit mica; nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:
Qualis in immenso desederit aëre tellus;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem;

citur, qui Deorum favorem sive sacra iis offerendo seu quocunque alio modo aucupantur, Hor. I, 36, 2. II, 14, 6. III, 23, 3. Ov. Met. IV, 31. *placatus* non deseri debuit a Gierig., qui *pacatus* ex uno libro cum Heins. dedit. Idem illud verbum ad res translatum signif. mitigare, molle aliquid reddere; qua quidem caussa in Hor. I, Ep. 2, 45. Wakef. emendatio: *et incultae placantur vomere silvae* digna fuit, quae reciperetur a Fea. Broukh. in scriptis: „Alii *plac.* malunt. Vid. tamen, si Catullus hic iuvet 68, 76. *Hostia coelestes pacificasset heros.* „Hunc autem locum nostro absimilem esse, facile perspicitur. Dixerunt etiam *placare iram* v. Ov. Met. XII, 28. Sil. VIII, 234. *placare animum*, Aen. XI, 300. nisi *pacati* e pl. libb. praeferre malis.

15. Morem cornua victimarum auro ornandi tetigit vel Hom. Od. III, 384. 425 sqq. Plin. Histor. 33, 3. *Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiae, maiores duntaxat, immolarentur.* cf. Ov. Met. VII, 161.

18—23. Aliis cosmogoniam scribendam relinquit. Et sane huius generis argumenta repudiant et verus Tibullus, II, 4, 17 sq. et alii leviorum carminum auctores, Prop. III, 5, 26 sq. At vero Noster sui consilii immemor iusto uberius zonas infra descripsit.

Desed. praeter alios apud Br. agnoscunt Angl. C. D. Guelf. 2. Voss. 1. 4. et bene recentiores sequuti sunt Muretum, Dous., Cantabr.; Scalig. *in immensum des. aëra t.* Broukh. ex aliis: *descenderit.* De commutatione utriusque verbi cf. Heins. ad Aen. III, 565. Nostrae vindicandae inservit Ov. Fast. V, 13. *Pondere terra suo subsedit, et aequora traxit.* cl. Met. I, 30. Lucret. V, 496 sqq. *Sic igitur Terrae concreto corpore pondus Constitit, atque omnis Mundi quasi Limus in imum Confluxit gravis, et subsedit funditus ut Faex.* Proprie *sedere, subsidere, desidere* dicuntur, quae pondere suo deorsum feruntur.

Et, vagus e terris qua surgere nititur aër,
Huic ut contextus passim fluat igneus aether;
Pendentique super claudantur ut omnia coelo.
At, quodcunque meae poterunt audere Camenae,
Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, ultra,
Sive minus, certeque canent minus: omne movemus
Hoc tibi; nec tanto careat mihi pondere charta.
Nam, quanquam antiquae gentis superant tibi laudes,

21. Iungendum esse: *Et*, *ut huic sc. aëri* iam viderunt alii. *et*. consentient. omnibus libb. et edd. ante Broukh., qui ad coniect. Barthii *a* recepit et in vulg. propagavit, cum H. Voss. revocavi. Huc facit Lucret. V, 458 sqq. — *ideo per rara foramina terrae Partibus erumpens primus se sustulit Aether Signifer*, *et multos secum levis abstulit Igneis.* Rem illustr. Cic. de Nat. D. II, 36. *Hunc* sc. aëra *rursus amplectitur immensus aether*, *qui constat ex altissimis ignibus*; hinc *incanduit aether* Claud. Rapt. I, 252. Langerm. coni. *quam* i. e. qualis. Broukh. ad fid. paucorum codd. legit: *Hinc ut contextis p. fl. ignibus aether.* Sic Vulp. Contra sensum poëtae.

23. Ad sensum comp. Ov. Met. I, 5. — *et*, *quod tegit omnia*, *coelum*. Iung. *sup. pend. coelo.*

25. *seu* - *ultra*, hanc plerorumque libb., etiam Angll. et Ber. auct. munitam lect. olim defensam revocavi, quippe quae puerili auctoris ingenio aptissima est et simili verborum lusu excusatur, v. 202 sq. Tria posuit momenta: seu carmen ad modum sc. laudum Messalae, sive ultra modum, sive infra condatur. Vulg. *sed* - *ultro* Vulp. 1749. primus reduxit e Venet. Saepius commut. sunt *ultra* et *ultro.* Illud servari malim contra Haberf., Heind. aliosque in Hor. II, Sat. 5, 90. ubi aeque absolute *ultra* positum est, ac nostro loco, v. Fea.

26. *Movemus* ducibus Angl. E. Guelf. 1. 3. 4. Zw. 1., Vind., Mon., trib. Voss., Pal. 3. 4. 5. cum H. Vossio dedi, praeeuntibus ed. pr., Aldd., Ven. aliis. *Movere* propr. dicimus chordas, ut *pulsare*, Ov. Met. V, 112. X, 89. hinc quoque cantum, carmen, Ov. Met. XIV, 21. Denique ad omnes ingenii foetus transfertur, qui expromuntur, proferuntur, unde notionem *moliendi, incipiendi* accipit, ut gr. *κινεῖν*, *ταράσσειν*, Pind. Pyth. XI, 66. Hor. III, 7, 20. Virg. Aen. VII, 45. Ov. Met. X, 149. Vulg. *vovemus* Scal. e cod. Cui. intulit. Utrumque frequenter librarii

Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quaeris, quid quaque index sub imagine dicat;
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub stemmate facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu;
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique soluto.

miscuerunt, v. Ov. in Ib. 243. In Her. VII, 4. *movimus* van Lennep. bene restituit.

27. *pond.* i. viro tantae gravitatis, e codd. Vatic., Goth., Ber. 1. a marg. cum H. Voss. revocavi. *pondus* poëtis dicuntur ea, quae magnitudine et gravitate excellunt suo genere. Hor. Epist. I. *sic nugis addere pondus.* Claud. de laud. Stil. III. 79. *famae pondus.* cl. Ov. Met. XV, 1. Eadem fere notione *moles* Ov. Trist. II, 221. Sensum illustrat Horat. IV, 9, 30 sq. *Non ego te meis Chartis inornatum silebo.* Vulg. *nomine.* At Beroll., novem H. Voss., Zw. *carmine;* sic ed. pr., Reg., Ven., Scal., Br., Vulp. Utrumque ex interpret. ortum videtur.

28. *ant. gent.* i. e. Valeriae, a Valerio Voleso sive Voluso, qui Romam e Sabinis venit cum Tatio.

29. Non sufficiunt tibi honores et triumphi, quibus clari sunt maiores. *glor. tua* tu ipse gloria iam conspicuus. Sic *mea gloria* Prop. II, 7, 17. Mox v. index i. q. titulus vs. 33.

32. Exped. ita: qui ipse *futuris* posteris *maius es decus, quam t. mai. sunt.*

33. *stemmate* ad fid. Pocchi et Lips. Excerpt. duorumque Heins. Ital. libb. Heyn. primum restituit. Eo ducit Passer. liber, in quo: *temmate.* In libris: *nomine*, e gloss. irreptum. *stemmata* propr. serta seu vittae ex floribus textae, quibus circumdati funiculi linei ad imagines, tanquam rami ex stirpe discurrebant, adeoque familiae successionem indicabant. Hinc *stemm.* quoque vocabantur, ut h. l., ipsae maiorum imagines, quae erant signa nobilitatis. v. Rup. ad Iuv. VIII, 1. Plin. Hist. 35, 2. dicit: *Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas.* Has vero propositas fuisse in atriis docet Suet. Galb. II. *Imperator vero etiam stemma* cet.

36. Angl. B. D., unus Br. *canant.* Recepit H. Vossius, ut consilium convenientium significaretur. At hoc iam verbo *com-*

Quis potior, certamen erit; sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis!
Quis te nam maiora gerit castrisve forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus maiorve minorve;
Iusta pari premitur veluti quum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa,
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque,
Instabilis natat, alterno depressior orbe.

ponere continetur. Verba: *quique* cet. pro subiecto habenda sunt ita, ut accuratius declarent, quales sint isti *cupidi comp.* Rectius tuentur coniunctivum in Virg. Ecl. VI, 7. — *namque super tibi erunt, qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant.* Prop. III, 1, 15 sq. *Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent, Qui finem imperii Bactra futura canant.* Angl. B. *conveniant*, unde *canant* enatum suspicor. Alii: *canunt*, sic ed. pr. Ceterum e figura zeugmat. *canent* simul ad *soluto* refertur, quod proprie ad *vincto p.* tantum pertinet.

39. *Quis te nam* cum H. Vossio. Angl. C. Ber. 3. *Quis tibi nam.* Corv. *Q. te iam.* Alii: *Quisque tibi.* Vulg. *Nam quis te.* Nostram tuentur Colb. et Pal. 6. Com. *Qui te nam.* Veterum consuetudo separandi *nam* a *quis* librarios in errorem duxit. Semper fere isti coniunctionem *nam* non nisi primo loco stare posse crediderunt, monente Bentl. ad Hor. II, Sat. 6, 78. Atqui et secundum interdum locum sortita est. cf. Hor. II, Sat. 3, 20. 41. 302. Ep. II, 1, 186.

41—44. Sententiam: laudem Messalae forensem et castrensem exacte parem esse et aequalem, comparatione a libra instituta illustrat et ad fastidium amplificat. Absolvitur comparatio in vs. 41 sq. Tuae laudes sunt aequales veluti librae lances, quibus aequale pondus impositum est. Praeivit Hom. Il. XII, 433 sqq. — *ὥςτε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής, Ἥτε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει Ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται.*

43 sq. Sensus: Qualiter incerta fluctuat libra, si inaequale onus utrique lanci impositum, ita ut nunc dextra, nunc sinistra lanx magis inclinetur. *orbis* dicitur lanx sive scutula a forma.

Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat; seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus urbis Ulixen;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurreret horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,

45—81. Virtutes Messalae oratorias celebraturus superiorem illum praedicat Nestore et Ulysse, cuius errores et pericula copiose recenset. Illius facultas suasoria quam inepte comparata sit eloquentiae Messalae, docuimus in Ep. crit. p. 37.

46. *iud. ira* quae nimirum in reos exercetur. *queat* i. *potest*, sive *poterit*, *ut equidem puto*, cf. Tib. I, 8, 59. Prop. I, 6, 23.

49. Scripturam *Ulixen*, a qua codd. aliquot Ital. in *Ulyssem*, vel *Ulyxem* discedunt, Plutarchus Romanis propriam fuisse docet firmantque eam meliores libri, cf. intpp. ad Ov. Her. I, 1.

50 sq. Sensus: Vixerit Nestor tres fere hominum aetates. Sic summam, ad quam homini pervenire licet, senectutem declarant poëtae, praeeunte Hom. Il. I, 250 sqq. v. Mitsch. ad Hor. II, od. 9, 13. Ceterum monendum, auctorem v. *saeculum* pro spatio centum annorum accepisse, ut alii post Homerum, v. Ov. Met. XII, 187 sq. — *vixi* sc. Nestor, *Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas.* cl. Prop. II, 13, 46. *Nestoris est visus post tria secla cinis.* Schol. autem ad Hom. l. c. observat, *γενεάν*, saeculum apud veteres fuisse triginta annorum. *fert. horis* e. anni tempestatibus sive annis ipsis omnia secum ferentibus vel qui fertilitatem ferunt, Ὧραι εὔκαρποι Heyn. comp. *decurreret* ex auct. libb. Angll., Beroll., optimorum ap. Br., Guelf. 2. 3. Zw. 1., octo ap. H. Voss. et ed. pr., Reg. Lep., Muret., Heynio probante, cum H. Voss. revocavi. Nam sequitur poëta eos, qui Nestorem tertiam aetatem attigisse, non explevisse, tradunt. Vulg. *decurrerit* a Wund. perperam defensa iis debetur, qui temporibus sibi invicem accommodandis studerent.

52. *audax* „abusum epitheti habemus. Semper apud Hom. prudens et sapiens." Broukh. in scriptis.

Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis;
Nec valuit Lotos coeptos avertere cursus;
Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho;
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Laestrygonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda;

53. *includitur* e. ambitur ac terminatur, cf. Ov. Met. I, 30 sq. Hanc lect. longe plur. codd. et Aldd., Ven., Mur., Scal. firmatam et Heynio probatam recte vulg. *excl.* praetulerunt H. Voss., Bauer., Wund. Verb. *excl.* vix aptum exhibet sensum.

54 sqq. Nostro fata Ulyssis exponenti compar. Prop. III, 12, 23 sqq. Ov. Met. XIV, 223 sqq. praeeunte Hom. Od. IX, 39 sqq. *manus* quarto casu accipiendum esse, et contextus et metrum docet, non repugnante historiae fide. Ulysses enim, quanquam a Ciconibus multum vexatus nonnullos in primo congressu socios amisit, feliciter tamen illos debellavit omnibusque periculis ipse ereptus oppidum Ismara expugnavit. Cum nostro facit Prop. l. c. Hoc monui contra Wunderl. et Weichert. in ep. crit. p. 74 sq., qui, a Ciconibus Ulyssem repulsum fuisse contendebant, ideoque iam castigati a Wagnero ad Eleg. in Mess. p. 46. *adversis* hostilibus, epitheton de pugna, armis commune, cf. 84. *Lotos* ad fid. suorum Exc. et Cui. libri primum Scal. e vitiosa scriptura: *Cyclops* restituit. Acced. Col. et unus Heins. Ital., neque vero Ber. 1., qui cum ceteris fere omnibus *Cyclops* habet.

56 sq. Sensus: Polyphemus, postquam oculi, somno per vinum arcessito oppressi, vulnerati erant, Ulyssi cedere cogebatur. *foedat.* deformatus sanguine ex oculo effosso defluente. *lum. victa* cf. Tib. I, 2, 2. Virg. Aen. IX, 336. — *multoque iacebat Membra deo victus.* Aliquot libb. *uncta;* sic ed. pr., solenni fere errore.

61. *Solum* e. Ulyssem inter socios, qui ad Circen accesserant. *doctae* rei magicae peritissimae; nam *ipsa quis usus Quoque sit in folio, quae sit concordia mixtis, Novit* cet. v. Ov. Met. XIV, 269 sqq.

62. *Foret* commate distinxi cum Wund. a seq., ut arctius iungeretur: *Quamvis i. f. apta:* Verba *Solis genus* interposuit ad nobilitatem designandam. Ed. pr., Reg. Lep., Ven. 1475. et Lips.

Solum nec doctae verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret, Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriôn etiam obscuras accessit ad arces,
Quîs nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deûm proles levibus discurreret umbris;

ap. Heyn. *ceres* pro *foret*, unde Barthius fecit: *illaceret*, Broukh. *inliceret* recepit, *illiceret* H. Vossius. At vero verb. *illicere* absolute positum ut vix sibi constat, ita satis incommodi habet a constructione. Nam *Sol. genus* pro obiecto aliquis habere possit; et *apta* dure ad *genus* refertur, e quo *filia* assumi debet.

64. *Cimmeriôn* e graeca terminatione vulgari, ab Italis correctoribus sive potius a Broukh. inculcatae: *Cimmeriorum* ideo praeferendum, quod auctor per totum carmen graecas affectat formas. Unanimiter illud libri mss., etiam Ber. 1., et edd. vett. agnoscunt. cf. Mart. I, 2, 3. *Epigrammatôn.* Mox *obscuras* illustr. ex Hom., cui Od. XI, 15. Cimmerii dicuntur *ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι. arces* tuetur Hom. Od. XI, 14. Ed. pr., Reg. Lep. In ceteris ante Stat. legitur: *oras.*

65. Lib. Comel., duo Heins. Ital., ed. Rom. *aestu* pro: *ortu.* Recepit H. Vossius. Hic autem non de calore, sed luce agitur. Sensus: nunquam dies splendens illuxit. Vulgatae iam Huschk. p. 14. defensae patrocinantur Hom. l. c. — *οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὔθ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, οὔθ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προτράπηται,* et Ov. Met. XI, 594 sq. *Quo nunquam radiis oriens mediusve cadensve Phoebus adire potest.* Mox *super* H. Vossius. Sic ed. pr., Reg. Lep., aliae ante Scalig. Propter oppos. *infra* vulg. non deserendam censui. Wund. appos. Aen. IX, 553. *et saltu supra venabula fertur.* Verbis motum significantibus *supra* adiungunt et alii, v. Cic. de Nat. D. II, 37. Liv. III, 8.

68. *magna d. prol.* heroës, *θεῶν ἐρικύδεα τέκνα* Hom. Od. XI, 630. *lev. umbr.* inter cetera simulacra mortuorum inania, nisi potius *una cum* interpretari malueris. H. Voss. expl. *tanquam leves umbrae*, cl. Tib. III, 1, 3. *certa pompa.*

Praeteriitque cita Sirenum littora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Quum canibus rabidas inter fera serperet undas;
Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis
Non amor, et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et errorum misero, Phaeacia tellus.

70. *nantem* navigantem *inter conf. gem. mort.* nimirum Scylla ab una et Charybdi ab altera parte interitum minata. H. Voss. *Illum* per *gem.* ut Colin. 1530.

71. *ore* Scal. de suis restituit. Ante leg. *orbe*, crebra permutatione. Burm. ad Val. Fl. II, 57.

72. Diversae sunt formae ac figurae, quibus monstrum Scyllae a poëtis repraesentari solet. Epici, praeeunte Hom. Od. XII, 85 sqq., illam sex collis draconeis instructam et in canes marinos saevientem depingunt, cf. Virg. Aen. III, 424 sqq. Hos quidem Noster secutus est. Seriores speciem puellae illi tribuunt, eiusque inferius corpus canibus succinctum fingunt, Tib. III, 4, 89. Ov. Met. XIII, 732. cf. Heyn. Exc. IV. ad Virg. Ecl. VI, 74. *Scyllae impetus* cf. Lucret. II, 593. *impetus Aetnae.* h. l. in socios Ulyssis impetum faciens. *saevo ore* collective, Virg. Aen. III, 424. *Ora exsertantem et naves in saxa trahentem.* Ceterum iunge: *quum f. serp. inter und. rabid. canibus* h. e. in quibus canes marinae saeviunt. His enim *rabies* proprie convenit, Ov. Met. XIV, 66. *fera* ducibus 2 Ital. Heins., Scheff., Guelf. 2. Scal. cum H. Voss. et Bauero in textum admisi. Vulg. *freta* idoneo caret sensu, etiamsi cum Wund. dictum putes pro: *canibus adiuta.* Aliquot libri scripti et ed. exhibent: *sic in freta*, unde Heynius: *succincta.* At neque haec, neque aliae, quibus h. l. sanandum censebant vv. dd., correctiones satis probabiles, quoniam diversas fabulas commiscent. Fortasse loco medela afferri potest ex Hom. Od. XII, 95 sq.

73. *more* ut natura eius et ingenium fert. *Mos* tribuitur rebus. Noti sunt: ventorum, coeli mores, gr. ἤθη; v. Gron. Diatr. Stat. t. I, p. 303. Libri plerique: *in ore*, facili aberra-

Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem:
Sit labor illius, tua dum facundia maior.
Iam te non alius belli tenet aptius artes:
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos;
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti,
Laudis ut assiduo vigeat certamine miles:

tione, v. Burm. ad Quint. Inst. XI, 3. H. Voss. de coniectura: *orbe*. Langerm. suspicatur: *sua – morte.*

75. Prop. III, 12, 28. — *alternas scissa Charybdis aquas.* Praeivit Hom. Od. XII, 242. ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκε ψάμμῳ κυανέῃ. Aen. I, 106. *unda dehiscens Terram inter fluctus aperit.* H. Voss. ex ingenio: *infra rupto*, interpr. wenn sie mit unterwärts sich brechendem Strudel den Grund aufdeckte. Necessitatem mutatae lectionis non video. In vs. seq. *violat. pasc.* sunt armenta boum Soli sacrarum, quae mactatae sunt ab Ulyssis sociis, ipse dum absens erat.

79 sq. *cognita* quippe quae evenerunt. *inter* h. l. pro *intra*, ut Caes. de b. g. I, 36. *inter annos quatuordecim.* cl. Liv. I, 10. *novum orb.* e. partem mundi nobis occultam. Hanc a veteribus iam agitatam quaestionem tetigit Seneca Ep. 88. *Quaeris, Ulysses ubi erraverit, potius, quam efficias, ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam et Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem; neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.*

81. *labor* Ulyssis sc. maior. Digressio in fata illius instituta quam parum opportuna fuerit, ex hoc ipso versu intelligitur. Iam redit ad Messalam.

83 sqq. Proxime antec. versui haec annectuntur, ut Messalae peritia comprobetur. Ad constr. cf. I, 8, 57. *Qualiter* int. deceat. De v. *cervos* v. ind.

85—88. Optime novit Messala, qui locus castris ponendis maxime idoneus habeatur, ut et aquarum copia, et securitas ab hoste sit, utque miles exercitationi campestri, in qua alter alteri, laudis cupiditate accensus, praestare annititur, optime operam

Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Iecerit, aut lento perfregerit obvia pilo;
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, et effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere cursu;
Seu libeat curvo brevius compellere gyro;
Quis parmâ, seu dextra velit seu laeva tueri,
Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae,

dare possit. Certáminum varia genera a vs. 89. enumerat, unde apparet *Quis* non ad Messalam, sed milites referendum esse.

Vs. 88. *ut* pro vulg. *et* cum Dousa et II. Voss., prob. Wund., recepi e quatuor codd. Br. Nova sententia initium hinc capit.

90. *pilum*, docente Polyb. VI, 21. ibi Casaub., hastile ligneum trium cubitorum fuit, ferro eiusdem longitudinis ita praefixum, ut ferrum in medio hastili inciperet. Propter magnum eius pondus in usum icendi et frangendi adhibebatur, v. Liv. IX, 19. *Pilum, haud paullo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum.* Hinc clarum fit, quomodo explicetur: *perfreg. obvia.* V. *lento* quod hastile ex ligno duro constabat, neque frangi poterat.

91 sqq. Intellig. de eo, qui equum vel adductis habenis breviore gyro retorquet ac circumagit, vel directo cursu missis habenis ad currendum incitat. In utroque versu 93 sq. constans librorum lectio: *contendere.* Broukh. in vs. 94. emendavit: *compellere*, quod nunc 1. 2. Voss., Vind., Bern., Mon. firmatum cum Heynio ceterisque recentt. edd. servavi. H. Voss. de coniect. scripsit: *propellere cursu*, et in vs. seq. *contendere* tuetur. Meo quidem sensu hoc verbum ad amplum spatium melius quam ad angustum circum refertur, cf. Virg. Aen. V, 520. *Qui tamen aërias telum contendit in auras.* In seq. *comp.* naturae rei apprime conveniens. Nota sunt: coercere, cogere in gyrum. Pro *curvo* in codd. mss. *torvo*, fortasse depravatum ex *torto*. Ov. I, Am. 14, 26. *Ut fieret torto flexilis orbe sinus.* Manil. *torto stringere gyro.* Voces *tortus* et *curv.* conf. Ov. Rem. 186. *brevius* confirmat Caes. de b. g. IV, 33. *uti in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere* cet. Unus Statii et H. Voss. *levius*, non prorsus contemnendum, v. Sil. VII, 645. Stat. Sylv. V, 2, 121. Saepe librariorum incuria *levis* mutatum est in *brevis*, v. Ov. Fast. I, 5. Trist. I, 6, 27. Pont. I, 2,

Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Iam, simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis;
Tum tibi non defit faciem componere pugnae:
Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplici seiunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister

64. Vulgata autem satis proba. Ceterum variatam constructionem in *modo* — *Seu lib.* observa, pro: *modo* — *modo.* Libri quatuor Ital. *Nunc*, prob. Hand. in Gron. Diatr. Stat. t. I. p. 472. Vulgata non sollicitari debet. *Seu* i. q. vel si, v. ad Tib. I, 6, 21.

95—97. Certent milites, *quis parmâ* i. e. parmâ tegendi *amplior* peritior eoque clarior sit, *seu velit dextra* i. e. dextram hostium partem, *seu laeva t.*, prout hasta adoriantur hostes; *aut* quis *amplior* sit funda attingere metam signatam.

98—105. Tactices, quam vocant, scientia excellere Messalam declarat. De v. *advers.* cf. v. 54. Passer. interpr. *directa acie pugnare.* Quod quidem alienum ab h. l. mihi videtur.

100. *Tum* ad plur. codd. fidem ap. Br. et H. Voss. Sic Ven., Cant. aliae. Vulg. *Tunc. defit* = deficit, ex auct. trium libb. Br. et Voss. 5. cum Broukh., H. Voss., Bauero dedi. Nam certum et indubitatum proponit, quod laudibus Messalae accensendum, cf. 82. Vulg. *desit* a conditionis significatu, qui inest huic coniunctivo, [v. 46] parum probatur.

101—105. In his vss. duplex aciei forma describitur; altera, quum exercitus agmen format quadratum ita ut ordines aequata fronte in longum porrigantur; altera, siquidem acies bipartita incedit, igitur duos aggreditur exercitus. Rem illustrat Seneca de vit. beat. IV. *Idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, et aut in cornua, sinuata media parte, curvatur, aut recta fronte explicatur.* Verbis: *Seu sit opus* et *Seu libeat* duo diversa constituuntur momenta, neque accedere possum H. Vossio, qui vs. 102. novum diversumque aciei genus a priori discernit eamque ob caussam ex Ald. 1. *an aequat.* revocat. Vulg. *ut*, ut vs. 104., sententiae priori explicandae et amplificandae inservit. *dexter* miles, e. a dextro latere dimicans, *teneat* pugnando detineat *laevum* sinistrum hostium cornu.

Miles, sitque duplex geminis victoria castris.
At non per dubias errant mea carmina laudes;
Nam bellis experta cano; testis mihi victae
Fortis Iapydiae miles; testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes;
Testis Arupinus et pauper natus in armis,

105. *castris* = exercitibus, cornibus. De toto loco cf. Lips. de mil. Rom. IV.

106—117. Res a Messala partim Augusti ductu partim suis auspiciis bello gestae per annos 718—726. commemorantur. Poëtarum more populos citavit testes rerum, quas inter ipsos gessit victor.

109. *Pannonius*, cet. Eorum urbs Siscia, circa quam bellum gerebatur, sita est in parte regionis superiori, ita ut Pannonii in Alpes int. Julias, quarum fines extremi [docente Strab. VII. Ἄλβιος ὄρος τελευταῖον τῶν Ἄλπεων] per Iapydiam continuantur, dissipati bene cogitari possint. Mentio Salassorum gentis Inalpinae in citeriori Gallia cur non facta sit, quum inter populos ab Augusto eiusque ducibus domitos potissimum memorentur, [v. Suet. Aug. 21. Eutrop. VII, 9. praeeuntibus Dione Cass. et Appiano] non adeo mirari debebant Ayrmann. et H. Vossius, ut lect. vulg. sollicitarent. Ille conatur: *passim et* d. ut sit: Salassus a natura in Alpes disi. pro: qui passim Alpes incoluerit. Nimis obscurum et contrarium voci *disi.* H. Vossius in textum importavit: *Pann.*, *gelidaque Salassus tectus ab Alpe*, interpr. der Salasser, der in seinem Thale von der frostigen Alpe gegen Anfälle gedeckt wird. Quae quidem correctio neque a facilitate commendatur neque a latinitate. Nam praep. *a* post verba: tegi, protegi, defendi et sim. notionem praep. *contra* accipit. Liv. VIII, 6. *tegere legatos ab ira.* Caes. de b. c. III, 26. *qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus.* II, 9. *pars turris — tecta atque munita est ab omni ictu hostium.* V. Tursell. de part. p. 13. A silentio caussam corrigendi petere, incertum est ac temerarium. Salassos auctor vel ideo praeterire poterat, quum nimis remotae eorum sedes a Iapydibus, Pannoniis et Arupinis essent. Vulgatae favet Auctor Consol. ad Liv. 390. *Summaque dispersi per iuga Pannonii.*

110. *Arupinus* ex edd. vet., etiam Cantabr., cum H. Vossio restitui, suadente id Strabone, qui Ἀρουπῖνος dicit. Accedit Ursin. Cod. *Harapinus.* Ad Scal. emend. Broukh. et sequiores

Quem si quis videat vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
Namque, senex longae peragit dum tempora vitae,
Centum fecundos Titan revocaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum, validisque sedet moderator habenis.

scripserunt: *Arupinas.* H. Vossio placuit: *pauperque et n.* Non sequutus sum. *Arup.* non pro epith. sed subst. ut *Pannonius* accipio; *et* est *etiam*, ut *quoque* 108. Copulativa in tertia sede posita in hoc carmine, quantum ego quidem intelligo, ferri potest. Receptam cui metrum non ferre videtur, is legat: *Arupinis*, quo libb. vestigia ducunt; aut *Arupinus sit. pauper* propter sterilitatem agrorum, qui Straboni vocantur: *λυπρὰ χωρία. nat. in armis* bellicosissimos appellat illos Appianus. Ceterum in sqq. Arupinis summa vegetaque senectus tribuitur, qua eadem qui etiam nunc illas incolunt regiones gaudere feruntur.

111 sq. Si quis videat, ut vetus aetas s. senectus hunc sc. Arup. non fregerit, ille minus miretur, Nestorem vixisse ad tertiam usque aetatem hominum.

113. Pro insititio hunc versum Heynius et alii habuerunt, quoniam in pluribus libb. et edd. non comparet. Permulti tamen codd. iidemque bonae fidei eum agnoscunt. Angll., nisi omnes, certe tamen D. E., duo Witt. apud Broukh. in anecd., Guarn., Heins. D., Berol. 2., Statiani, Corv. quanquam corruptum: *Namque sen. longe spargit — famae.* Postremum quoque in aliquot prioribus pro *vitae.* Receptus est idem versus cum lect. *saecula vitae* in Ald. 2., Muret., Stat., Gryph., Basil., Vulp. 1710. Francof. 1621. Bauer. asterisco posito, H. Voss. mutato *saec.* in *tempora.* Probant Heins., Livinei., Passer. in comment. Omissus esse videtur propter repet. verborum: *secula fam.* et *sec. vitae.* Pessime autem abest. Nam primum versus *Centum* cet. aetatis significationem postulat, ut vs. 50 sq., ne manca et incerta relinquatur sententia. Quis enim bene intelligeret dictum: Quamvis centum anni praeterlapsi fuerint, ipse tamen cet. Deinde pron. *Ipse* desiderat, quo spectet. Nostro igitur versu deficiente, illud vage et ambigue est positum adeo ut facile quis ad Nestor. referre possit. His adductus caussis versum exulatum revocavi ad H. Voss. correctionem: *tempora*, cf. Ov. ex Pont. III, 2, 29. — *innocuae clauserant tempora vitae.*

114. *revocaverit* Angl. B., Flor., Heins. It. 1. 5. Guelf. 2.

Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanae subiecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris; maiora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
Quîs Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem

Goth. Sic Wund. in ed. 1. et Lips. 1812. Vulg. *renovav.* a manu interpolatrice, nisi merus scribendi error, v. Kuin. ad Prop. III, 12, 35. *Revocari* autem exquisitius dicuntur tempora, si quidem eorum partes vicissim redeunt, cf. *repetitus annus* Ov. Met. VI, 439. In aliis quoque dictionibus hoc verb. notionem renovandi, restaurandi habet, v. Prop. I, 15, 25. Sil. IV, 15. Hic usus exquisitior ansam corrigendi interdum dedit, v. Drack. ad Sil. XIV, 112. Oudend. ad Lucan. IV, 204. Ceterum *intellig. quamvis.*

116. De coniect. Heinsii Broukh. et Bauer. receperunt *Gaudet.* Hoc testatur Goth., non Ber. 1. ut H. Voss. et Wund. falso nuntiant. *Gaudere* iuvenes decet, cf. Aen. IV, 156 sq. Hor. Art 162. *Audere* seni magis convenit. *validis — hab.* poëtica epitheti transpositione. Proprie *validus* est sessor, moderator, quali equus indiget validus. Et sic e paucis libb. Broukh. recepit. Acced. Ber. 2. et unus H. Voss. Nemo sequetur, nisi poëticae dictionis prorsus ignarus. *sed. moderator* gravius dictum quam *sedens moderatur*, quod uno libro addicente H. Voss. dedit. Non offendit *moderator* cum tertio casu *hab.* Substantiva eundem saepe casum adsciscunt, quem verba illis cognata regere solent. Loco Virg. Aen. II, 556. a Wund. comp. adde Caes. de b. g. I, 5. *reditio domum.* Cic. de legg. I. *Si iustitia est obtemperatio scriptis legibus.* Plura v. in Gramm. gr. Matth. § 396. Seyff. gr. lat. § 2705. Ratio constructionis ex initiis linguae petenda et illustranda, cf. Athenaeum v. I. p. I. p. 45.

117 sq. *domator* quis sit, ex antec. apparet. Sensus: Arupinos equorum domatores, alias fugere nescios in Romanorum potestatem redegisti. Graecam structuram in *conversus terga* quisque videbit.

121. Quibus sc. signis et oraculis veraciora ne optimus quidem augur edere possit. *Quîs* tertio casu. Hunc enim verba certandi et sim. apud poëtas adsciscunt. E graecis comp. exempla Wund. in obss. crit. in Aeschyl. p. 165. Imitati sunt Latini, v.

Indueras oriente die duce fertilis anni;
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina Venti,
Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus.
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aërias volucris perlabitur auras,

Virg. Ecl. V, 8. — *solus tibi certet Amyntas.* ib. VIII, 55. Georg. II, 99. Prop. I, 10, 21.

122 — 136. Parum commode signa et omina fausta, quibus consulatum auspicatus fuerit Messala, recensita esse, monui in ep. crit. p. 43. *subtem. Tyr.* i. q. *stamen purpureum* ap. Prop. I, 3, 41.

123. *die d. fert. anni* designantur Calendae Ian., quibus non modo annus incipiebatur, sed novi quoque consules solennia vota nuncupabant. Ceterum diversis fere temporibus dies etiam diversos magistratibus ineundis constitutos fuisse, inter omnes constat.

127. *Quin etiam*, ut *quin et,* formula continuandi, ubi plura enumeranda sunt, poëtis non repudiata, cf. Virg. a Wund. laud. Georg. II, 30. III, 457. Alia ratio huius vocis est, ubi incitando inservit. Tunc enim additur *age* vel sim. verbum, cf. Virg. Ecl. III, 52. Aen. V, 635. *placid. und.* pro ablat. absolutis, quibus sententia non nisi amplificatur, accipiendum, ut Virg. Aen. VIII, 87. *tacitâ refluens ita substitit undâ.* Aptius nostro declaravit eandem sententiam Virg. Ecl. II, 26. *Quum placidum ventis staret mare.* Ad omina ex tranquillitate petita 125 — 129. spectant et comparanda sunt, quae servus Agathonis poscit in Aristoph. Thesm. 44 sqq. *Ἐχέτω δὲ πνοιὰς νηνέμος αἰθὴρ, Κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω Γλαυκόν.* Et paullo inferius: *Πτηνῶν τε γένη κατακοιμάσθω, Θηρῶν τ᾽ ἀγρίων πόδες ὑλοδρόμων Μὴ λυέσθων.*

128. *Nulla nec* duplex haec negatio ferri potest, quum utraque earum suum habeat verbum, quocum iungatur, *Nulla — nec volucris perlabitur — nec quadr.* — Pertinet huc Virg. Ecl. V, 25. — *nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.* Prop. II, 19, 5. *Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras.* v. Brem. ad Nep. Att. XI. Seyff. Gr. lat. § 2856. Diversa autem ab illa est ratio, ubi utraque negatio ad unum idemque verbum spectat, neque igitur duo quasi membra constitui

Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quum largita tuis sunt muta silentia votis.
Iupiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, et coelo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se praebuit aure,
Cunctaque veraci capite adnuit; additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus

possunt, v. Nostr. 165. *Nulla nec* cet. Prop. II, 19, 32. *Absenti nemo ne nocuisse velit.* Haec tamen licentia non nisi poëtis, Graecos imitantibus, condonari poterit. In prosaicis haec duplex negatio, ubi vis negandi requiritur, non iniuria suspecta est, v. intpp. ad Plin. Ep. IV, 15, 8. Nostro loco variantur libri in *Ulla nec* et *Nulla haec.* Vulg. firm. Ber. 1. 3.

129. Burm. mavult *hispida.*

130. *Quum*, pro vulg. *Quin*, Angl. A., Dresd., Voss. 3. Goth. [non Ber. 1.] praeeunt. Br. et Lut. Par. 1723. cum H. Voss. et Wund. revocavi. Dependet hoc a superioribus: Omnia summam agunt tranquillitatem, interea dum tu in altissimo silentio sc. spectatorum vota nuncupas pro populo Romano.

132. *coelo vicinum* des. summum montis cacumen. Nihil amplius.

134 sq. *Adnuere* dicuntur dii id, quod eventum habere et bene procedere volunt, cf. Ov. Met. XIV, 816. hinc *ver. cap.*, quia non fallax et irritus est deorum nutus. Pro signo favoris habetur *laetior ignis*, clarior et candidior flamma ex aris ascendens. cf. Prop. III, 10, 20. *Luxerit et tota flamma secunda domo.* Hinc apparet, melius minori quam maiori puncto distingui post *adnuit*, ut, subintellecto *nam* ante *additus*, caussa prioris dicti declaretur. Ridiculum atque prorsus indignum Iove est Scaligeri commentum, quo legitur: *adnuit abditus aris.* Vulg. *additus* test. Angll., Ber. 1. 3. Lips. Exc. alii ap. Br. Ed. pr. cet. vet. *Laetior* e gloss. in *purior* abiit in aliquot libris. Ad veram ducunt *lectior* in Ber. 2. *Litior eduxit fructus* Angl. A. *latior* Angl. B. *acervos* h. l. non grana modo turis, sed victimae partes, in ara impositas, comprehendit. More fuit receptum, ut bovem immolarent Iovi Capitolino.

136. *Deo* int. Iovem. *hortante* quod nimirum e faustis ominibus divinare licet.

Incipe; non îdem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris;
Nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Pröfluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Radit Areccaeos haud una per ostia campos;
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;

137. *non* cet. Sensus: novi tibi populi novas laureas spondent. De *îdem* v. ad Tib. I, 10, 15. cl. Virg. Aen. III, 158. 540.

138—151. Vaticinatur victorias, quas Messala de populis et occidentalibus et ad orientem sitis in posterum reportaturus sit.

139. Gallos te aggredientes facili negotio superatos dissipabis. Triumphum hic auguratur poëta, quem quarto post anno egit de subactis Aquitanis.

141. *regia* illustr. Herodot. I, 188. *καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μούνου πίνει βασιλεὺς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ.* et Plin. hist. III, 31. *Parthorum reges ex Choaspe tantum bibunt, et eae aquae, quamvis in longinqua, comitantur illos.*

142. *dementia Cyri* per appos. Gyndes fluvius vocatur propterea quod in illo per canaliculos sive ostia 360 derivando, in quod opus faciendum tota fere aestas consumebatur, Cyri dementia ita conspecta est, ut Babyloniis tantum temporis relinqueretur, quantum ad vires colligendas augendasque sufficeret. v. Herodot. I, 189 sq. V, 52.

143. Plurimi: *Cretaeis ardens aut unda Caystria campis*, sic ed. pr., Reg., Aldd. At Mur. *Carystia*, quod Ven. servarunt. Quid vero *Cretaei campi,* quid *unda Caryst.* hic sibi velit, nemo unquam dixerit. Scal. e Cui. reponebat: *Ardet Arecteis aut unda perhospita campis.* Sequuti sunt Dousa, Pass., Cantabr. alii. Volunt *Arect. campos* esse Babylonios, ita dictos ab Arec, Genes. X, 10. laudato. Plin. Hist. II. *Campus Babyloniae flagrat quadam veluti piscina, iugeri magnitudine.* V. *perhosp.* explicat. *ξενίζουσαν*, miram, insolentis naturae. Mira sane et insolens explicatio. Felicissimam igitur Heins. emendationem: *Radit Arectaeos haud una per ostia campos* recte Br. recepit. quem nostrates sequuti sunt. Ego quidem cum Salmas. ad Solin p. 840.

Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus;
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,

Areccaeos. Nam ab *Arecca*, sive *Aracca*, quam eandem esse cum *Erec* Gen. X, 10. et *Aracha* in Ammian. XXIII, 21. Bochartus statuit, non debuit formari *Arectaeos*. Sensus: aut sc. qua Gyndes Babylonios campos per multa ostia s. alveos attingit. Huic lectioni *radere* optime convenit, v. ind. H. Vossius de coni. scripsit: *Darnaeos radens* cet. Herodoti I, 129. testimonio fretus. *Ῥέει δὲ [Γύνδης] διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν* cet. Admodum speciosa emendatio, quanquam difficile sit dictu, quid venerit ab auctoris manu. Hoc autem certissimum, in nominibus locorum et populorum ignorantiam librariorum potissimum conspici, eaque permultum negotii interpretibus fieri.

144. *regna* int. Cyri ad fluvium Araxen, copiis suis amissis, superati.

145 sq. Ita expedias: *Nec* sc. tellus te morabitur qua *Pad. vicinus Phoebo* e. extremos ad orientem fines incolens *impia convivia saevis mens. cel. ult. arva tenet.* v. ind. s. v. *Pad.* H. Voss. Schraderum sequutus *Imp. vel* scripsit. Sic Mon. Quod non spernendum.

147. *Hebrus* omnibus libb. et edd. vet. conspirantibus cum H. Voss. revocavi. Vulg. *Histrus* ingenio Broukh. debetur. Hebrum dicunt Thraciae fluvium nihil habere cum Getis, ad ripas Danubii inferioris habitantibus. Recte. At teste Dion. LI. Getae ad montem usque Haemum pertinebant; et, quum olim montem Rhodopaeum habitassent, factum est, ut Hebrus, memoratis Getis, tanquam eorum fluvius diceretur, v. Senec. Herc. Oet. 1041. et alia loca, quae H. Voss. ad Tib. germ. apposuit. *Mosynos* ex aliquot libb. revoc. Br., quem recentiores sequuti sunt. Difficile tamen dictu, quomodo hic conveniat illorum mentio. Testibus enim Apoll. Rh. II, 379. 1015 sqq. Plin. Hist. VI, 4. Mela I, 19, 10. orientalem Ponti Euxini partem accolunt Mosyni sive Mosynoeci, neque Tanais ad illos pertinet. Libri var. in *Magynos*, *Magiros*, *Magaros*. Primum retinuit Scalig., quanquam nihil certi de hoc populo statui potest. H. Voss. *Gelonos*, quod

Teque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso considit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe;
Atque duae gelido vastantur frigore semper.
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,

quidem nomen difficilius e libb. vestigiis eruitur, quam visum fuerit Vossio. Et ne ipsi quidem hic satis commodum habent locum. Nam, teste Herod. IV, 108. Geloni origine graeca in Sarmatiam profecti sunt, et sedem habent iuxta Budinos et Agathyrsos. Longius igitur a Tanai fuerunt remoti, quam ut commode hic memorari possent. Ergo dicendum erit, *Mosynos* latiori quodam sensu positum et Sarmaticas esse intelligendas gentes, quae turres sive domos ligneas habitabant. Mosyni enim derivantur a *μόσυν*, s. *μόσσυν*, i. e. *οἰκία ξυλίνη*, v. Apoll. Rh. l. c. Mela I, 19.

150. *invict. Br.* i. q. *intactus Britannus* Hor. Epod. VII, 7. Nam Caesar, escensione in littus facta, pecunias quidem et obsides Britannis imperavit, nec vero tamen perdomitos in deditionem recepit. Hoc demum Claud. Imp. tempore factum.

151. int. terras ultra zonam torridam sitas.

152—176. Sequitur taediosa zonarum descriptio, qua quam elegantior sit Virgiliana in Georg. I, 231 sqq. et opportunior Ovidiana, Met. I, 45 sqq., non est, quod demonstremus. *considit* ex emend. Heins. recepit Br. Libri et edd. vet. conspirant legendo: *consistit*, neque aliter Berol. 1. et Goth. Gloss. forsitan ex Ov. Met. I, 12. *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus*, translatam: *pendebat* Scal. cod. rec. et Voss. 3. agnoscunt. Ad v. *considere* v. not. ad vs. 19. Hoc autem verb. cum *consistere* frequenter confundi, v. Heins. ad Ovid. Met. I, 387. Ceterum Broukh. in scriptis laud. Macrob. Somn. II, 5—8. Mel. I, 1, 8. alios.

153. *toto orbe* praeter alios ap. Br. et Heyn. testantur Ber. et omnes, ut videtur, ap. H. Voss. Idem ed. pr., Reg. Lep., Vicent. At Ald. 2. *totos — orbes*. Ex Ald. 1. *totus — orbis* Muret. serv. Pro *disp.* Broukh. in scriptis malebat: *dispescitur*. Citra necessitatem; et vulg. elegantior.

155. *umbra* non arborum, ut Pass. voluit, sed omnino *tenebris*, *nebulis*. Virg. Georg. I, 236. *Caeruleae glacie concretae atque imbribus atris.*

156. Sensus: labitur unda, sed gelu durata non decurrit, quo coeperat currere.

Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe ubi non unquam Titan superegerit ortus.
At media est Phoebi semper subiecta calori,
Seu propior terris aestivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus exsurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent, nec pabula terrae.

158. *superegerit* iam defensum in Ep. crit. p. 45. retinui, favente Heynio, qui dicit: „quasi sol versus polos non ascendere et eniti possit, quippe cum ibi mundus *consurgat*. Georg. I, 241." Accedit auctoritas codd. mss. Corv. Guelff. 2. 3., Angll., Ber., Stat., Scal., septem H. Voss.; ed. Dous. Pass. Cant. Voss. Ab hac stare mihi videtur Virg. Aen. IV, 118 sq. — *ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.* Vulg. *superingerit* i. e. oriendo radios caloremque superinfundit, ut expl. Forcellinius, a correctione mihi videtur orta. Ob oculos quidem hanc habuit Lotich. I, 1, 11 sq. *Nunc autem tepidos Phoebus superingerit ortus;* at vero hic et alibi Lotichio parum fidei tribuendum, quum codices Italicos vel editiones ex illorum auctoritate comparatas ad usum sibi fuisse constet.

159—166. Sequitur descriptio zonae torridae, quae per singulas anni partes perpetuo calore flagrat adeo, ut neque arari, neque demeti, neque habitari possit ab animalibus. Virg. Georg. I, 233. — *corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igni.*

160. *prop. terris* temperatae nimirum zonae septentrionali, quam habitamus. Ceterum aestatem hic circumscribi, quisque intelliget.

161. Designat hiemem a brevi dierum spatio. Ceterum in zonarum descriptione auctorem a Nostratum ratione et computatione recedere, docuit H. Vossius. Neque hoc offendere potest, si quis, quam exigua harum rerum cognitio olim fuerit, animo perpenderit.

162. Non aratur. *exsurgit* ducibus plerisque libris mss. apud Br. et H. Voss., quibus Pal. 6. Ber. et Zw. accedunt, cum H. Voss. restitui, praeeunt. ed. pr., Reg. Lep., Vicent. et Cyllen. in comment. Vulgatae: *consurgit* vis eximia huic loco vix ac ne vix quidem apta.

163. Imit. Lotichius I, 1, 7. *Nec frugem segetes maturo tempore praebent.*

Non illic colit arva Deus, Bacchusve Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque, et huic adversa solo pars altera nostro;
Quas similes utrinque tenens vicinia coeli
Temperat, alter ut alterius vires necet aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus;

164. Neque vinum, nec frumentum propter solis aestus illic gignitur.

165. *Nulla nec* quid de duplicata negatione sensu negandi statuendum sit, ad vs. 128. docui. H. Vossius de coniectura scripsit: *Nulla per* censens et sonum esse ingratam *nec ex* —, et grammaticam laedi, nisi ita legatur. Quod quidem ad sonum attinet, multa in hoc carmine occurrunt, quae hoc nomine accusari possint. Praeterea, quam vere dicatur *per p. habitant*, equidem non dixerim. Haec enim praepositio iis tantum verbis subiungitur, quibus movendi notio inest, v. c. *ire*, *venire*, *mitti* per —, nisi contendas, h. l. vim extendendi convenire; sic *porrigi*, *iacere* per —.

167 — 169. Loquitur de duabus temperatis zonis. *Nostraque* a nobis habitata, e. septentrionalis temperata. *adversa pars alt.* e. regio Antipodum sive zona temperata australis. *similes* e. calore pares, igitur temperatas. *vicinia coeli* e. vicinum coelum et quidem fervida et gelida coeli plaga. *utrinque tenens* utramque zonam ambiens et complectens. *temp.* adeo, *ut aër alter* e. calor aëris ex torrida spirantis *necet* frangat et exstinguat *vires alterius* frigus aëris, qui spirat ex frigida. Ita efficitur temperies, exstincto nimirum nimio calore et nimio frigore atque utroque in blandum teporem coalescente. Vulg. *Q. utr. tenens sim. v. c.* cum H. Vossio deserui. Nostrum ordinem sensu postulatum firmant Angll. B. C. D. E., Ber., septem ap. H. Voss., Zw. alii. Acced. ed. pr., Reg. Lep., Aldd., Muret., Ven., Dous., Pass., Cant. aliae; Broukh. vulg. intulit ex tribus libris. *similes* pro vulg. *similis*, Colb. pluresque probant. Ald. sec. *simileis*.

169. *ut-necet* ita exigente nativa constructione post H. Voss. dedi. Parum concinna est lectio vulg. *et — necat*. Quis enim ferret structuram: *Quas v. c. temp.*, *et alter* cet. Ad nostram ducit var. *neget* in Angl. A., et certius etiam *alteram et*, quod Cuiac. lib. habet.

170. *placidus* = benignus, ad fertilitatem referri videtur.

Hinc et colla iugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos;
Tondeturque seges maturos annua partus;
Et ferro tellus, pontus confinditur aere;
Quin etiam exstructis consurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,

per temp. e. quatuor anni spatia. *vertitur*, test. Angl. E. Ber. 2. quatuor ap. H. Voss. Guelf. 1. 2. Muret., Ven. Scal. et recent., unice verum. Proprie enim de vicissitudine anni partium usurpatur. Lucret. V, 1183. *Et varia annorum cernebant tempora verti.* In plerisque libris scriptis et ed. pr. *labitur* tempori omnino fugaci neque revocando convenit, v. Tib. I, 8, 48. Hor. II, 14, 2.

171 — 174. In his temperati coeli regionibus aratio, vini cultura, fructuum messes, navigatio vigent.

173. *seges* ager consitus, ut Tib. I, 3, 61. *annua* pro: vice annua, quotannis, v. Tib. II, 1, 48. *tond. partus* graeca structura, ut v. 117. non tam displicet, quam diversae metaphorae, quas in his verbis confudit.

174. Quod vs. 171. simplicius declaravit, idem otiosa fere metaphora repetitum videmus in verbis: *tell. ferro confind.* e. vomere secatur. *pont.* cet. ad navigationem spectat. *aere* e. rostro navis, aerata navi, cf. Virg. Aen. I, 35. *confind.* ut *ταράσσειν πόντιον ὕδωρ* Pind. Ol. II, 114 sq.

175. *exstr. consurg.* hanc dictione poëtica magis dignam lectionem cum H. Vossio, prob. Heyn., in textum admisi. Vulg. *structis exsurgunt.* Vestigia vocis *exstr.* apparent in *estructis* Angl. D. et *extinctis* Goth. *Consurg.* habent unus Br., Ber. 2., Colb., unus Stat. Bern. *consurgat.* Receptae lect. muniendae inserviunt loca a Voss. laudata, Ov. Met. XV, 431. Lucan. III, 379. Prop. IV, 1, 125.

176 sq. Novo quodam phantasmate facta per triumphos ire finguntur. Hoc inde illustrandum censeo, quod inter triumphos facta Imperatoris ab exercitu victore cantibus celebrari et extolli solita erant, quo respexisse videtur Liv. V, 49. Loquendi forma haud commisceri debet, quod Broukhusio accidit, cum alia, quae verbis quidem similis, at sensu diversa est, *ire per exempla*, i. aemulari, imitari, v. Gier. ad Ov. Met. IV, 431. Ante Scalig.

Solus utroque idem diceris maximus orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius; aeterno propior non alter Homero.
Languida nec noster peragit labor otia, quamvis

vulgabatur: *praeclaros poscent.* Ad nostram proxime accedit Voss. 1. *Ergo ubi per clar. ier. sua.*

177. *max. orbe* ex auctorit. Angl. B. C. D., utriusque Witt. et al. ap. Br., Guelf. 3. Voss. 3. 4. 5. Monach. c. H. Voss. reduxi pro vulg. *magnus in o.* quae studio ablativum praepositione sublevandi debetur. *utr. orbe* e. zona utraque temperata, et septentrionali et australi. Errant, qui cum Br. Asiam et Europam intelligi volunt.

179. *praescrib.* vulgatam omniumque fere codd. mss. et edd. auctoritate munitam lectionem in Ep. crit. p. 46 sq. vindicasse me nondum poenituit. Nam si carmina vel Phoebo vel Musis adnuentibus sive interpretibus scribi et componi finguntur, ideoque Dii *dictare, praecipere* et sim. dicuntur, v. Hor. I, 24, 2. Prop. II, 1, 8. Burm. ad Anth. lat. t. II, p. 112., non video, cur Phoebus praescribens carmina H. Vossio displicuerit adeo, ut importaret *praestabit*, quod e gloss. in paucos libb. irrepsit. Lotich. III, 4, 67 sq. *Carmina nil prosunt, non si mihi talia Phoebus Praescribat, moriens qualia cantat olor.* Wund. appos. Sen. Ep. 94. *si = quamvis, etiamsi*, alias indicativum adsciscit, v. Sall. Iug. 85. Vellei. II, 41. Nemo tamen coniunctiv. improbabit, qui veram constructionis naturam perspexerit, v. Seyff. gr. t. V, p. 286.

180. *se acceng.* de iis, qui magnum aliquid moliuntur, conantur, cf. Virg. Georg. III, 46. *Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas.* Cir. 6. Ber. 2. *magnis attingere* frequenti litterarum *c* et *t* confusione in libris minusculi characteris.

182 sq. Opposita haec sunt superioribus hoc sensu: At ego quoque tuas laudes non exiguo studio tractabo, quamvis Fortuna poëticis studiis nunc parum propitia vires debilitat animumque ad illa obtundit. *nec*, pro vulg. *non*, e Corv., Heyn. prob., cum H. Voss. exhibui. Broukh. et Vulp. *nam* ex aliquot libris. Perperam, ut vel seqq. docent. *labor* int. carmina pangendi. *Ut mos*

Fortuna, ut mos est, illi me adversa fatigat.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas in deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique lupoque:

est, *illi* sc. labori *adv.* Locum sic distinxi, ut iam in Ep. crit. p. 48. feci, praeeunt. Ald. 1. aliisque. Nam poëta suae aetatis ratione potissimum habita Fortunam, alias Musis faventem, accusat, quod suis ipsius studiis iniqua sit. Luculentam reddunt sententiam seqq. versus. H. Voss. de coniectura scripsit: *Musis adversa.* Quod quidem de Fortuna tam absolute ut dici possit, admodum vereor. *fatigat* pro vulg. *fatiget* ad fidem Ber. 1. 2. Angl. A. Goth. Zw. 1. 2. ed. pr., Reg., Lips., Ven. 1475., Vicent., Voss. revocavi. Indicat. exigunt et v. *ut mos est*, et auctoris expositio in seqq. Ad loquendi formam cf. Virg. Aen. VI, 533. — *quae te Fortuna fatigat.*

184 — 187. Quum mihi opulenta domus, largissima frugum ubertas, agrorum possessiones et armenta essent cet. Respexisse poëtam ad illa tempora, ubi paternorum bonorum parte meliori nondum spoliatus fuerat, in promtu est videre.

185 sq. Iungas: *Cui* sc. mihi *f. flavi sulci ord. ditantes Horrea*, *def. in mess. fec.* V. *ordine* illustr. Broukh. his verbis: „Seges in sulcis flavescens ordine locupletat horrea; tempore enim suo segetes quaeque maturescunt, non cunctae simul; igitur messis alia aliam ordine subsequitur, et in horreis certo quodam ordine conditur.“ *def. in f. mess.* e. quae neque numero nec magnitudine sufficiunt messibus coacervandis. *In def. messes* e cod. Voss. 1. et librorum fere omnium vestigiis: *f. indef. mensis* restitui. Nota sunt: *deficit pecunia in sumtus*, cf. Ov. Met. VII, 613. *Nec locus in tumulos*, *nec sufficit arbor in ignes.* Vulg. *ad def.* in marg. ed. Gryph. 1573., nuntiante H. Voss., apparet, eamque Cod. Cui. firmatam Scalig. propagavit. Praepositionis suo casui postpositae exempla v. ap. Gronov. in Obss. III, 19. Audacius transposuit Ovid. Trist. V, 2, 75. *Vel rapidae flammis uras patienter in Aetnae.* Similiter praepositionem ad duo nomina spectantem saepius alteri demum substantivo addunt poëtae, v. Hor. III, od. 25, 2. — *Quae nemora*, *aut quos agor in specus* pro: *in* nem. cl. Virg. Aen. VI, 692. *Quas ego te terras*,

Nunc desiderium superest; nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admovet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores;
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,

et quanta per aequora vectum cet., ubi *per.* ad *terras* iam intelligatur.

189. Heynius: forte repetebatur a poëta *nunc: Nunc cura novatur.* Recepit H. Voss. Non sequutus sum, propterea quod seqq. sententiae: *Nunc — superest* illustrandae caussa apposita esse mihi videntur. Praeterea in aliis quoque locis Noster non adeo religiosum in usu particularum se exhibuit.
dolor nim. iniuriae ereptis vel imminutis bonis acceptae, *memor* dicitur, quia spoliatus ipse memor est suarum calamitatum. *admovet annos anteact.* tanquam ante oculos ponit et in memoriam reducit praeteritos eosque feliciores annos. Hac enim recordatione pristinae felicitatis *cura* aegritudo novatur, quanquam, qui calamitatibus afflicti sunt, recordatione prioris fortunae secundae gaudent, ideoque praeterita tempora revocare solent. Virg. Aen. VIII, 560. *O mihi praeteritos referat si Iupiter annos.* Hac ratione vulg. *ant.* explicandam censeo. In libris variantur: *accitos, attritos.* Unde Dous. P. *accisos.* quem H. Voss. sequutus est. Etsi nullus dubito, *annos accisos* poëticae dictioni aeque convenire ac *populos accisos*, Sil. II, 392. et *opes accisas* Hor. Sat. II, 2, 113., vix tamen sententia hanc lectionem admittit. Quis enim dixerit: dolor in memoriam reducit tristes annos? Hi scilicet ipsi dolorem afferunt aluntque in animo. At *cura* novatur, quum miser memoria repetit pristinos eosque feliciores annos. Vulg. Scaligerus e suis dedit, nunc firmat. Vind. In Ber. 1. 3. hic ordo: *dolor accitus semper memor.*

193 sqq. continent adulatorias professiones, quales ingenuum Tibullum vix decent; facilius excuses Horat. Epod. I, 11 sqq. Prop. I, 6.
tibi P. sol. hunc ordinem non tantum propter molliorem numerum, sed et nativam verborum gravitatem vulgari: *N. solum tibi P.* praeferendum censui, duc. cod. Mattii, Voss. 1. 2. Broukh., Vulp., H. Voss., Bauero. Langerm. coni. *Et* pro *Nec.* Perperam. Bene se habet *Nec - solum*, quanquam non sequente *verum etiam*,

Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;
Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcunque, tuum est; nostri si parvula cura.
Sit tibi, quanta libet, si sit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi;

quod a natura illius loquutionis postulari videtur; modo iungas: *Nec solum* — *vel* in sqq., ut *non modo* — *etiam* apud Tacit. IV, 35, 1. *Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita.* v. Tursell. p. 627.

196. H. Voss. *vel densis solus* quod Angl., Ber., sex ap. H. Voss., Zw. Ed. pr. aliae agnoscunt. Vulg. ordinem servavi. Part. *vel* notionem intendendi quum habet, proxime illam sequitur id verbum, in quod sententiae vis cadit, ut hic *solus*, et *rapidas* 194.

197. Metaphoricam loquendi rationem, qua *per ignes ire*, Gr. *διὰ πυρὸς μολεῖν* dicitur pro: rem periculi plenam suscipere, apertissimo vitae periculo obviam ire, doctius tractavit poëta. cf. Lennep. ad Phal. Epist. p. 267. Ov. Met. VIII, 76. Mitsch. ad Hor. II, 1, 7. Non vere cogitandum esse Aetnam, omnes sciunt, qui, quid intersit inter metaphoricam: *Aetnaea fl.* et propriam dictionem: *Aetnae fl.*, Ov. Trist. V, 2, 75. *Vel rapidae flammis urar patienter in Aetnae*, perspectum habent. Vulg. *parvum* frustra sollicitarunt vv. dd. Heins. *par.* Burm. *pronum.* Broukh. *pavidum* dedit, interpr. de palpitatione cordis ad tam ingens periculum. Secutus est H. Vossius. Vulg. miro codd. mss. consensu firmatam ut retinerem, me impulerunt hae caussae: 1, part. *vel*, ut 194. 196, expectari iubet, quo res augeatur et extollatur, qua ipsa caussa *pavid.* non locum habet. 2, *parvus* non ad corporis figuram et habitum modo spectat, verum etiam ad aetatem eamque iuvenilem, v. Ov. Met. IV, 281. XV, 402. Stat. Theb. VII, 520. — *liquistis enim parvosque senesque.* 3, in epithetis minus accurate delectis saepe ex opposito potius quam propria et nativa vis spectanda est, ad quam rem in Ep. crit. p. 50. apposui v. 49. *parvae — urbis.* et Prop. II, 9, 14. *Maximaque in parva sustulit* [Briseis] *ossa manu.* Eandem ob caussam Dorv. ad Char. p. 712. vulgatam defendisse videtur. Vulp. eadem servata interpr. *gracilem ac tenuem, ut solent esse homines adolescentes elegantes et amatores.* Temere.

198. *nostri si*, pro vulg. *sit*, e libb. bonae fidei, Angl., Ber., sex ap. H. Voss., cum Ald. 2., Mur., Dous., Pass., Cant., aliis

Posse Meleteas nec malim emittere chartas.
Quod tibi si versus noster totusve, minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
Nulla mihi finem statuens te fata canendi;
Quin etiam tumulus mea quum contexerit ossa;
Seu matura dies fato properat mihi mortem,

et H. Voss. revocavi, versu seq. ita volente. Numerorum permutatio in *sum* et *nostri* scriptoribus satis frequens, v. Wagn. ad eleg. in Messal. p. 65 sq. nihil offensionis hic habet, quum inter duo membra intercedat. Ubi autem mendosa sit habenda, v. ad Tib. III, 6, 55.

201. Sensus: nec malim libros, qui cum Homericis certent, publicare. *malim* H. Vossium sequutus dedi, quod necess. videtur a praec. *sit*. Vulg. *mallem*, aberratione facile facta e seq. *emittere*. Sic ad fid. Ms. Brix. et unius Ital. cum H. Voss. scripsi, adductus var. *committere*, *dimittere*. Vulgatae: *mittere* quae insit ambiguitas, non est, quod moneamus, cf. Plin. Ep. I, 2. *Libelli*, *quos emisimus*, *dicuntur in manibus esse*. Heyn. quidem appos. Cir. 92. — *cantus meditanti mittere certos*. At locus laborat a scriptura. Neque huc quidquam facit usus v. *mittere*, quo absolute pro scribere, nuntiare, adhibetur, ut gr. *πέμπειν*, v. Nep. Att. XX, 1. ibi Brem. Graev. ad Iustin. V, 3. Huic enim explicationi adversatur *chartas*. Scalig. e Cui. *vincere*, acc. Voss. 1. 3. Sequuti sunt Br., Vulp. Perperam et contra verum poëtae sensum. Saepius autem observare licet, correctores exaggerandis scriptorum sententiis male consuluisse mutata vulgari scriptura.

203. *inerret in summo ore* e. igitur non sermone frequentetur ac laudetur. Simil. Cir. 357. — *sermo novus errat in ore*. Aliquot: *inhaeret* contrarium nostro signif. *multum ore celebratur*, v. Mart. VI, 64, 25. *Vivet et haerebit totoque legetur in orbe*.

204. Hunc ordinem pro vulg. *N. mihi stat. fin.* praestat unus Heins. Ital., non Angl., ut falso tradit H. Voss. cumque eo Wunderlich. Testantur etiam Ber. 1. 3. Vim sententiae potius in *finem* quam *stat.* quaeras.

205. Sic collocavi ad fid. unius Ital. Heins. et Colin. cum H. Voss. In vulg. *Q. e. mea quum t. c. ossa* nimis longe retractum est verbum *tum.*, in quod vis gravior cadit. Correctam dedit illam Muretus, quem Br. et recent. sequuti sunt. Libri plerique:

Longa manet seu vita; tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,

tunc tumulus cum texerit d. Saepe depravatae sunt lectiones hoc modo. E contrario peccarunt quoque librarii, ut verbis *con* adspergerent, ubi *quum* ponere debebant. Exemplum habemus Iuv. III, 195. ubi vel grammat. ratio postulat: *cum texit* pro *contexit.* v. Heinecke Anim. in Iuv. 1804.

206. *fato* communem fere libb. scripturam tuentur Ed. pr. et cet. vet. ante Scalig., qui *celerem* e Cui. in sequiores edd. transvexit. Broukh. in anecdotis: „Revocanda est vetus lectio: *fato.*“ Hoc, vel Heyn. probante, Voss., Wund. Bauer. fecerunt. Ad loquendi rationem comp. Prop. II, 28, 25. *Quod si forte tibi properarint fata quietem.* Verb. *properare* transitiv. sensu exemplis illustr. Broukh. v. Virg. Aen. IX, 401. *properet mortem.* Ov. Met. X, 31. sic *festinare*; Hor. I, Ep. 3, 28. intpp. ad Sanct. t. I, p. 413.

207 sqq. In declaranda sententia: *se, ubicunque et qualiscunque revixerit, laudes Messalae carminibus celebraturum esse* exspatiatur in dogma Pythag., quod est de animae migratione sive metempsychosi, illustr. ab Ovid. Met. XV, 165 sqq. In his quoque vix invenias, quod Tibullum deceat vel ad huius ingenium et naturam accommodari possit.
Ordinem verborum hunc constituas: *tamen — subt. carm.* 212. *seu mut. fig. me finget* cet. i. e. seu exuta alicuius animantis figura transformatus ero in equum, sive in taurum, sive avem, qualemcunque formam humanam atque indolem recuperavero, te laudare pergam. *fig. mutata* quam tamen anima non deserit, docente Macrob. I. Somn. Scip. 9.

208. Intempestivam, si quid video, doctrinam poëtae intrudere conati sunt intpp., qui de hippodromo sive circo, ubi agitari solent equi, cogitantes *doctum* intellexerunt de eo, qui exercitatus fuerit et a magistro didicerit. Hac opinione ductus Heins. emend. *gyro*, quod Br., Vulp. receperunt, suffrag. Voss. 1. Inde H. Voss. *gyros — campo.* De veritate loquutionis: *percurrere, gyros campo* admodum dubito. In vulg. *rigidos* nihil amplius quaerendum, quam quod naturae campi convenit, ut *liquid.* 210. de aëre. *doctum* non arte, sed natura, quod Bauerus iam monuit.

Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis,
In quodcunque hominum me longa receperit aetas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

209. Ne cui videatur leg. cum H. Vossio: *torvi*, quoniam hoc epith. gravius sit ac nobilius, is animadvertat elegantiam oppos. *perc. doctum!* Ad *pec. gloria* comp. Hom. Il. II, 480 sq.

210. *volucris* — *pennis* constanter habent libri mss. suffr. Angll., Ber., Zw. et ed. vet. Recte reposuerunt H. Voss., Wund. Bauer. Clarius enim, quid sibi velit poëta, significat haec lectio, quam Heins. emendatio: *volucri* — *penna*, temere in vulgg. recepta.

211. *In quodc. hominum* iam Stat. et Livin. in mentem venerat. Tuentur Angll. C. D., Ber. 1. 3. Witt. ap. Br. 1. 2. Ital. Heins. 1. Col., Reg., Voss. 3. [*hominem*] Cum H. Voss. restitui. Vulg. *Quandocunque hominem* mirum in modum friget propter *longa aet.* Ed. pr. cum pluribus: *Quemcunque hominem* e gloss. ortum videtur. Neutrum *quodc.* librarios frequenter fefellit, adeo ut in *quoscunque* vel *quotcunque* depravarent. E multis afferam unum exemplum. Cat. Epith. Pel. 281. vulgg. habent: *Nam quotcunque ferunt campi* — int. flores. Prudentius autem aliis Lenzius servavit: *quodc.* Testantur hoc melioris notae codd. in bibl. Laurent. et Riccard. praeter alios in vol. collat. de Diez. Nr. 148. Simili fere mendo Burm. duce Vat. liberavit Ovid. Art. I, 577. ubi nunc legitur: *Et quodcunque cibi*-antea: *quemcunque cibum.*

211. *receperit* Broukh. et Vulp. ad emend. Passer. legunt: *refecerit.* Perperam. Proprio fere sensu *recipere* usurpatur de animarum migratione, cf. Ov. Met. XV, 159.

212. Ber. 2. *contexam.* Vulg. satis proba. Loquitur enim de novis carminibus, quae prioribus subiuncturus sit.

CARMEN II.

ARGUMENTUM.

Auspicatus a venustatis laude, qua Sulpicia Calendas Martias celebratura vel Marti commendetur — 4. nativas recenset puellae virtutes — 14, quae ornamentis vel exquisitissimis, utpote quae illam unice prae aliis puellis deceant, dignae sint — 20. Musis deinde cantandam illam commendat et vota suscipit pro felici huius festi reditu.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Calendis;
Spectatum e coelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

1. *tibi cult.* in tuum honorem, tibi placitura, cf. IV, 6, 3. Hor. I, 5, 4. *Cui flavam religas comam.* Mox *tuis* sc. Martiis, quibus matronae et virgines domi desidebant ornatissimae atque cultissimae munera expectantes a maritis atque amicis mittenda.

2. H. Voss. *e* eiecit contra libb. auct., adstip. Hand. ad Stat. t. I. p. 73. qui recte monuit, sensu differre formulas: *coelo, domo venire* et *ex coelo, ex domo venire.* At hoc ipsum voluisse mihi videtur Albius, ut Mars, relicto coelo, praesens adsit puellae. Sequentia tuentur hanc rationem. *sapis* Wund. expl. *si tibi prospicis.* Dubito autem, an haec significatio non satis firmata sit loco Catull. 35, 7., quem attulit Wund. Vulgaris praeplacet ratio, qua accipiunt pro: *si sensum elegantiae, iudicium habes.* Huic accommodatius v. *violente* vs. 3. putaverim.

3. *ignoscet* sc. secessum mariti propter eximiam puellae pulchritudinem. Prop. II, 28, 33. *Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno.* De productione syll. — *cet* v. ad I, 5, 33. I, 10, 13. Alia cont. Wund. Haud igitur necesse est, ut cum Bauer. *sed* pro: *at* rescribas, praeeunt. Hamb. et Florent.

4. *miranti* admiratione perculso. Prop. IV, 4, 21 sq. Similes musicae effectus tribuuntur a Pind. Pyth. I, 18 sqq. *βιατὰς Ἄρης, τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν Ἐγχέων ἀκμὰν* cet.

5 sq. Oculorum formositatem celebraturus dicit poëta, Amorem ex illis accendere suas faces, quibus non tantum homines sed et ipsos Deos exurat. Eadem imagine utitur Theocr. XIV, 23. — *εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις.* H.

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
 Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis;
 Seu comsit, comtis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
 Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
 Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Voss., cui nimia pro hoc loco vis verbo *exur.* inesse videtur, scribit: *si quem vult urere divûm.* Guelf. 4. et ed. Brix. *quem,* corrupt. e *quum.* Totam huius carminis indolem si perspexerimus, vix erit, quod hyperbolicae dictionis accusemus poëtam. Praeterea verba cum *ex* compos. non semper rem omni ex parte absolutam declarant, sed praecipuum tantum quid in suo genere, cf. II, 3, 9. *exacuere* Nep. Phoc. IV, 1. Cui *divos* exaggeratum videatur, cf. I, 3, 10.

7. *movit;* ducibus libb. Angll. B. C. D., Lips. Exc., Witt., Corv., *flectit* Dous., Pass., Cant. servarunt. Ursin. lib. *tendit.* Angl. A. *monstrat.* Verum esse *mutat* censet cum Hermanno Hand. in Gron. Diatr. t. I. p. 196. Cave quid mutes. Temporum variatione, qualem hic habemus, nihil frequentius in Tibullo, cf. I, 1, 45 sq. Mox ad *subseq. Decor* succurrit P. Silentiar. *Μορφὴν τριχθαδίην Χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει.* Nostr. locum contulerunt ad Quint. Inst. I, 12, 19. Sp. *Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.*

9. H. Voss. *fusam — capillos*, sic Voss. 3. Ex oppos. autem *comtis* vulgatae *fusis* vis accedit egregia. Ad orationis colorem in 9—12 cf. Ov. Met. VIII, 25—27.

11. *voluit* eleganter abundat more Tib., v. I, 2, 92. III, 4, 4. IV, 3, 8. Sensus: amorem inspirat, quocunque utatur vestitu. *Palla* exterius matronarum indumentum satis amplum, quo stolam et interiora omnia tegebant.

12. Heins. mavult: *velit.* Elegantius autem constructio variatur: *voluit proc. — venit.*

13. *felix* qui nimirum omnes in facies belle et commode sese vertere poterat, eoque ipso aliquid praecipui prae ceteris diis ha-

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
 Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
 Cultor odoratae dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de littore gemmas
 Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate Calendis,
 Et testudinea, Phoebe superbe, lyra:

bebat. Ad seq. vs. commentarii instar habemus Prop. IV, 2, 21 sq. *Opportuna mea est cunctis natura figuris; In quamcunque voles, verte; decorus ero;* ad quem loc. Burm. tentavit: *Mille habitus, formas m. d. h.* Citra necessitatem. Ad orationis formam accedit Ov. II. Am. 5, 45. *Moesta erat in vultu, moesta decenter erat.*

16. Guelf. 3. a m. pr. Mon. *ter mad.*, unde H. Voss. *permadefacta* coni. atque recepit. Vulg. confirmat Ov. Fast. II, 107. *Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam.* Concursui syll. *cis* – *bis* quid insit molestiae, non video, quum caesura dissonantiam mitiget. Broukh. in anecd. Heinsio: *fucis* legenti suffragatur.

17. *Possid.* ex ant. *cui* subint. *quae;* de hac structura v. not. ad I, 8, 32. et II, 3, 76. Schwab. ad Phaedr. I, 22, 12.

19. *gemmas* Angll. A. E., Ber. 1. 2. 3. et plerique fere omnes ap. Stat., Broukh., H. Voss., Guarn., Zwicc.; Ed. pr., Reg., Vic., Ven., H. Voss. Vindicat etiam h. lect. Burm. ad Lotich. p. 370. et Broukh. in anecd., quamquam hic pro margaritis accipit. Perperam. *Gemmas* propr. sensu hic positas distinguit a margaritis Curt. VIII, 9, 19. Praeter alia ab H. Voss. laud. loca cf. Prop. I, 14, 12. *Et legitur rubris gemma sub aequoribus.* Vulg. *conchas* ex Ald. 2. in ed. Mur., Scal. seqq. propagata e correctione venit. Monuit iam Vossius de veterum opinione, gemmas e mari Erythraeo effundi.

20. *aquis* miro libb. et edd. ante Scalig. consensu revocavi pro vulg. *equis*, quod Scal. de coniect. recepit, adstip. Voss. 3. Fortasse ex II, 3, 56. huc transvectum. Nostram tuetur Ov. VI. Fast. 474. *Et vigil Eoïs Lucifer exit aquis*, cl. II, Pont. 5, 50. et Waard. in opusc. p. 284 sq. De commutat. verbb. *aquis* et *equis* v. Prop. IV, 3, 10. intpp. ad Ov. Fast. l. l.

21. *cantate* Ber. 4. a marg. *celebrate.*

Hoc solenne sacrum multos haec sumat in annos!
Dignior est vestro nulla puella choro.

23. Sensus: Hunc festum atque solennem diem multos per annos Sulpicia hilaris peragat. *Sacrum* cum respectu ad ea, quae in Martis honorem aguntur. *sumere* e. hilarandi caussa aliqua re uti, ut Plaut. Pseud. V, 1, 23. *hunc diem sumsimus prothyme.* Mil. Gl. III, 1, 78 sq. Ter. Ad. II, 4, 23. *hilarem hunc sumamus diem*, cl. V, 7, 68. Schm. Vulg. *celebretur*, quamquam ducibus Witt. 1., Ursin., Angl. B., Guelf. 3. Pal. 6. [*celebratur*] ex Aldd. et Mur. restituit Broukh., non tamen nisi glossema verae lectionis esse existimo. Cum plerisque ap. Br. et H. Voss. *hoc sumet* testantur Ber. 1. 2. 4. Angl. A. E. Ed. pr. et vet. ante Ald., Dous., Pass., Cant. aliae. In reliquis codd. mss. variant: *haec sumit*, *sumat*, *sumet;* Ferrar. et Ber. 3. *hoc fumet;* Pal. 1. *fumabit;* unde Lachm. ad Prop. p. 210. finxit: *m. o fumet in annos* laud. Sil. VII, 457. ubi scilicet non *in annos* sed *in aris* exstat. Lips. Exc. *hic servet.* Scal. *consummet* i. e. perficiat, aut universe pro, *sacra faciat.* H. Vossius: *Haec sol. s. m. ut sumat i. a.* Vestigia libb. sequi quam coniecturae indulgere malui. *mult. in annos* pro: *mult. per annos* tritissimum, cf. Ov. Art. I, 425. Cicero passim. Wund. comp. *εἰς* Hom. Od. IV, 595. Ceterum praeeunte H. Voss. hunc versum cum verb. *cantate* iunxi, ita ut *Hoc — annos* Musis Phoeboque tribuerentur. Sententia sic constituta versus ult. expeditus. Caussam hic continet, cur Musae ad celebrandam Sulpiciam incitentur; *nam* nulla puella dignior est, quae vestro carmine celebretur. *chorus* pro: cantu, apud poëtas ubique obvium, Prop. II, 34, 42. Alia ratio, qua *dign. vestro ch.* esset: quae in Musarum numerum adsciscatur, ita posset placere, si laudes Sulpiciae ab artibus musicis vel poëticis petitae fuissent. In libris et ed. pr. aliisque ante Ald. 2. erat: *nostro — toro*, errore frequenter obvio, v. II, 1, 88., nisi monachis libidini suae indulgentibus haec debetur lectio. Correctionibus enim huius modi non raro veterum libros conspurcavit lascivia istorum hominum. Cf. Hand. obss. in Cat. p. 21.

CARMEN III.

ARGUMENTUM.

Queritur Sulpicia se esse relictam a Cerintho, qui venatum exierit. Votis qro incolumitate huius susceptis detestatur rem venaticam — 10, cuius tamen molestias, dummodo una cum Cerintho versari possit, non recusat — 18. Castitatem amico commendat et, ut, studio venandi abiecto, brevi ad se revertatur, rogat.

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi,
　Seu colis umbrosi devia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes;
　Incolumem custos hunc mihi servet Amor.

1 sq. *seu quis — aper*, ut *seu quis iuvenis* I, 3, 17. *si quis locus* Virg. Aen. IV, 319. Sic poëticae dictioni consentaneum; non *seu qui*, quod ex Ital. uno cum Ayrmanno praeferendum putabat Heynius.

3. Pedestris ratio ita fert: Frustra te dentes in proelia acuisse puto, nihil tibi proderit cet. nam incolumem Amor mihi Cerin-

Sed procul abducit venanti Delia curas.
O pereant silvae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle manus!
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.

thum servabit. Similem habes structuram I, 6, 24. Quum vs. 4. caussam prioris sententiae exponat, coniunctiv. *servet* pro futuro, ut saepius, capias. Precandi sive optandi forma pentametro male convenit.

5. Vulg. *venandi — cura*, i. e. Diana Cerinthum a me procul abducit venandi studio et amore. Ieiune nimis dictum post ea, quae praecesserunt. Nam puer iam absens cogitatur, et vota pro salute eius facta sunt. Expectatur potius caussa, cur Sulpicia timore percussa in silvas et canes imprecetur. Egregie loco consuluit Heinsius corrigendo: *venanti — curas*, quod cum Broukh. et Bauero, neque Heyn. improb., in textum recepi. Sensus: Diana curas amoris ex animo venantis abducit, sive facit, ut mei prorsus obliviscatur. De loquendi forma: *curas abducere* cf. Claud. Rapt. Proserp. III, 19. *venanti* test. Voss. 1. 4. 5. et *curam* Voss. 3.

7. H. Vossius: *Q. furor, o! quae mens* — ad fid. aliquot codd. Br. et quatuor Voss. *Est o* Mon. et Goth. Verbum autem in his interrogandi formulis priori membro annectere solet Tibullus, cf. I, 6, 3. II, 3, 29. Ad emendat. Heins. et Dousae F. Broukh. dedit: *Quis furor est demens.* Non necess. *Furor* et *mens* coniunctum v. Cat. XV, 14. *Quod si te mala mens, furorque vecors*, cl. Ov. Met. V, 13 sq. Quae notio insit v. *mens*, ex ant. *furor* apparet, cf. Hor. I, od. 16, 22. Pariter de insania *animus* interpretari licet in Hor. I. Epist. 2, 62. Ov. Met. V, 14. Succurrit Gr. *θυμός*, v. c. Hom. Il. II, 196. Mox *colles* H. Vossium turbavit; nunquam enim colles retibus cingi, quum venari apros vellent, quoniam hi in vallibus silvosis morari soliti sint. Igitur proposuit vir sagacissimus: *densas — valles*, cl. I, 5, 49.; recepit autem *densos — saltus* nullo libro adstipulante, quamquam Bentl. ad Hor. Epist. I, 2, 60. *saltus* attulit, memoriae, puto, lapsu. Vulg. pluribus locis bene vindicavit Weichert.

Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvae; si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit,
Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus; sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu;

in Epist. crit. p. 83 sq. Nobiscum facit Bion I, 7. ubi Adonis, apro occisus, defletur: κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐπ' ὤρεσι. Lotich. III, 8, 15. *Mane novo densos indagine claudere montes.*

11. *ut* i. q. dummodo. De obsequii genere, quod est in retibus ferendis, cf. Virg. Ecl. III, 75. Tib. I, 4, 50. Ov. Her. IV, 37.

12. *per* h. l. trans, cf. Ov. Am. II, 6, 44. ubi librorum mss. unus ex gloss. *trans* affert.

13. *cervi* lectionem libris et scriptis et editis communem cum Bauero et Wund. revocavi. Vulg. *cervae* ingenio Broukh. debetur, ne toties *i* recurrat. H. Voss. sequutus est Broukhusium, quoniam *cervae* exquisitior sit forma et firmetur Mon. et Bern.

14 sq. *ferrea vincla* i. q. collare, quo canum colla religantur, Ov. Met. VII, 769. *Copula detrahitur canibus* cet. In vs. seq. *si* ad codd. fidem cum Wund. et Vossio reposui, prob. Heynio. Vulg. *sic* ex Heins. ingenio profecta. Bene procedit oratio: tunc placeant mihi silvae, etiamsi tecum arguar cet.

20. Castitatem poscit Diana, cui ipsi castae sacra sunt retia. Quid igitur aptius ad rem quam *tangere casta manu retia* pro pedestri: *castus maneas?* Lect. *tange* praeter opt. membr. apud Br. testantur Ber., octo ap. H. Voss., ed. pr., Reg. Lep., Ven., Scal. ceterae vet., demtis Aldd., Muret. Dous., Vulp., Broukh., ad quas *tende* reposuit Heynius. Nostram revocavit H. Voss.

21. *Aut* vi oppositi commendatur prae vulg. *Et*. Exhibent illud Scalig. Cod., Colot. ed. Vicent. Heynio arridebat. Cum H. Voss. recepi. Permulti codd. in *At* depravarunt. Sensus: quaecunque puella in amorem mihi debitum succedet.

Aut quaecunque meo furtim subrepet amori,
 Incidat in saevas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
 Et celer in nostros ipse recurre sinus.

22. Pal. 5. et Goth. *et saevis — feris*, quod H. Voss. tanquam magis poëticum admisit. Parum refert. Utraque constructio poëtis frequentatur. De loquendi forma *incid. dirip.* cf. III, 6, 28. Non mera est amplificatio verbi *diripiatur*.

24. Ad sensum comp. Prop. III, 20, 10. *Fidus ero, in nostros curre puella, sinus.* Ov. Her. XV, 95. *Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros.*

CARMEN IV.

ARGUMENTUM.

Precibus ad Phoebum, ut aegrotanti Sulpiciae succurreret, factis — 14, solatur Cerinthum eundemque ad amoris constantiam hortatur — 20. Quo facto summos Phoebo pro salute Sulpiciae restituenda spondet honores.

Huc ades et tenerae morbos depelle puellae,
 Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma!

1. *depelle* mollius ac nobilius quam vulg. *expelle*. Nostrum firmatum Ber. 2. Thuan., Voss. 5., et prob. iam Livineio et Guyet. H. Voss., Bauer. receperunt. Ceterum Vossius concursu syll. — *pelle puellae* offensus mavult: *averte*, cl. Hor. II. Ep. 1, 136. *Avertit morbos, metuenda pericula pellit.* *Averti* autem dicuntur pericula, quae quidem imminent ac metuuntur, sed nondum adsunt. Nostro igitur loco vix aptum videtur hoc verbum. Quod attinet ad sonum rhythmicum, qualem habemus in vv. *dep. puellae*, Weichert. in Actis sem. Reg. Lips. v. II, p. 326. haec notavit: „Versus ὁμοιοτέλευτοι vel invitis poëtis, lingua ipsa sic ferente, praesertim in pentametris, excidere debebant. — Quo factum est, ut apud optimos quosque poëtas, quum graecos tum

Crede mihi, propera, nec te iam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis candida membra color;
Et quodcunque mali est, et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sapores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant;
Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae,
Votaque pro domina vix numeranda facit.

latinos, passim eiusmodi versus occurrant, quos, renitentibus potissimum libris, corrigere temerarii atque inconsulti est iudicii." Laudavit in hanc rem Barth. ad Stat. Th. II, 239. Broukh. ad Prop. I, 8, 11. Passov. ad Pers. I, p. 313. alios.

4. Ber. 2. *apposuisse*, quae commutatio alias quoque reperitur; Ov. Fast. IV, 851. aliquot legunt: *osculaque apposuit* pro: *applicuit*.

6. *candida* primus restituit Heyn. ex ed. Rom. Firm. Bern. nec vero Ber. 1., qui cum ceteris omnibus: *pallida* affert. Voces *pallidus*, *callidus*, *candidus* in libb. mss. frequenter commutari, cf. Ov. Art. III, 607. Burm. ad Ov. Met. VI, 576. In vs. antec. Broukh. dedit: *tabentes* ex Heins. emend. In scriptis proposuit: *squallentes*, ne recurreret: *pallentes*—*pallida*. Quum vero *cand.* legatur, emendatione haud indigemus. *Pallor*, *pallere* de morbis et febribus proprie dicitur.

7 sq. Ad morem spectat, expiationes omnes et purgamenta omnia ad aquam deferendi, sive flumen esset, sive mare. v. intpp. ad Virg. Ecl. VIII, 101. Calpurn. XI, 64. *Lustravit cineresque aversa effudit in amnem.* Pro vulg. *devehat* e codd. et edd. vet. *evehat* cum H. Vossio revocavi, quod voci *rapidis* multo magis consentaneum quam *dev.*, quod ex Heins. emend. Broukh. in vulgg. propagavit. Unus lib., Voss. 1. hoc habet. Goth. *vehat amnus*. Lotich. I, 8. *In pelagus rapidis devehit Albis equis.* In anecdotis haec leguntur: „*evehat* potest ferri, v. Varro de Re rust. XIII. *Cohors exterior crebro operta — fit ministra fundo, ex ea quod evehatur.* Colum. I, 6. Cic. Acc. in Verr. I, 20. *Omnia ex fanis* cet."

Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in aeternos aspera verba deos.
Pone metum, Cerinthe; deus non laedit amantes.
Tu modo semper ama; salva puella tibi est.
Nil opus est fletu; lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est; te solum candida secum
Cogitat; et frustra credula turba sedet.
Phoebe, fave! laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.

9. *sapores* e. succi herbis expressis collecti. Saepius in morbis curandis herbae et cantus, i. e. formulae magicae, cf. I, 5, 12. memorantur, utpote quibus magnam vim in omni medicina tribuerent. Nec mirari quisquam debet, Br. monuit ad l. l., magicis opibus oppugnari solere morbos, et cantus cum remediis coniungi stulta quadam mortalium credulitate. Vulg. *sopores* e. medicamina somnum adducentia, *ὑπνώτικα* e paucis libb. reposuit. Nobiscum omnes fere codd., edd. vet, Voss., Bauer., Wund., vel Heynio adstipulante, faciunt. Mox *fessa* de aegris, ut XI, 2. Ov. Her. XXI, 14. Hor. Saec. 63. Virg. Georg. IV, 266. Igitur non accedo ad Davisium, qui Tib. I, 5, 9. corrig. mavult: *defecta*, v. ad Caes. b. c. III, 40. ed. Oud. [quod Seebod. v. ill. mecum benevole communicavit], cl. Grat. Cyneg. 435. Vitruv. Arch. I, 6.
levent H. Voss. placuit. Sic Voss. 5. Vulgatam tuetur poëta, I, 3, 82.

11 sq. *fata* i. q. mortem, satis notum. *Vota facit* alias *suscipit* sc. tunc exsolvenda, quum liberata morbo fuerit amica.

18. *tristior* iratior, Prop. I, 6, 10. De significatibus huius v. egregie egit Hand. in obss. ad Catull. p. 79 sq.

19. *candida* h. l. non ad corporis formam, sed ad animi candorem, integritatem referendum esse, contextus docet et iam Vulp. Heyn. alii bene viderunt.

20. *turba* sc. amatorum *sedet* non in aedibus Deorum preces pro domina fundens, ut Vulp. voluit, sed domo puellae.

22. *restituisse* saluti *duos* int. una cum Sulpicia me, tanquam alteram illius partem, siquidem arctissimo amoris vinculo obstrictus sum.

Iam celeber, iam laetus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.

23. „Iam celebraberis, et hac laudum tuarum commemoratione laetus eris s. gaudebis;" sic bene vulg. expedivit et vindicavit contra Heynium Nagel. in Actis Soc. Trai. vol. IV. p. 259. Deos carminibus laudumque magnitudine gavisos fuisse, superstitio erat vulgaris. Ov. Trist. II, 1, 69 sq. *Fama Iovis superest, tamen hunc sua facta referri, Et se materiam carminis esse iuvat.* Eurip. Hipp. 7 sq. *Ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε, Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.* cl. eiusd. Bacch. 319 sqq. *debita* int. munera, quae tibi debet ex voto. H. Voss. ex Hamb. *reddent* recepit. Caussa non satis idonea.

24. Broukh. ex ingenio dedit: *lotus*, quoniam *laetus* odiose ac rustice iteretur. Vulpius sequutus est. Temere. Gratam et elegantem esse huius vocis repetitionem, quisque vel non monitus sentiet.

25. Broukh. de coniectura dedit: *dicent*, quia loqui sic ament optimi scriptores, verbum plurale iungentes cum nomine singulari vel collectivo, vel partitivo. Idem sane agnoscunt Voss. 1. 3. 4. Recte tamen servarunt singularem. Hic enim usus, Graecis aeque ac Latinis frequentatus, v. Matth. Gr. gr. p. 418 sq. conditionem habet suam ac propriam. Pluralis verbi adiungi potest nominis collectivi singulari, quum alicuius subiecti, ad quod *turba* vel simile collectivum spectet, pluralis iam praecessit, cf. loca ab H. Voss. apposita, Ov. Her. XII, 143. *Turba ruunt — clamant*, ubi ex antec. vss. iam intelligitur, quaenam sit. *turba.* Ibid. XV, 202. *Lesbides — desinite ad citharas turba venire meas.* Hac ipsa caussa defendere velim Ov. Met. VI, 348. *Rustica turba vetant*, ubi H. Voss. *vetat* scribi iubet. At memoravit poëta *agrestes* vs. 344. et hos intelligendos esse sub v. *turba*, nemo dubitabit. Singularis autem nomini additur collectivo, ubi simpliciter hoc positum est neque pluralem sequitur, v. Ov. Met. VII, 475. *Turba ruit* cet. Non tamen adeo se adstrinxerunt huic regulae, ut numeros non variarent; v. Ov. Met. III, 529. *Turba ruunt, mixtaeque viris matresque nurusque —.* IV, 635. *vicinia nulla premebant*, cl. Nep. Alcib. X. *vicinitati — dant negotium, ut eum* interficiant. De hoc argumento diss. Ahlwardtus in progr. ed. Oldenb. 1804. Oculis hunc libellum usurpare mihi non contigit.

Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
 Optabunt artes et sibi quisque tuas.

26. *Optabunt — quisque*, ut *Quisque suos, patimur, Manis*, Virg. Aen. VI, 743. Tritissima ratio, v. intpp. ad Sanct. t. II, p. 365. B., etiam Graecis frequentata, v. Matth. Gr. gr. p. 419.

CARMEN V.

ARGUMENTUM.

Cerintho suum natalem celebranti diem Sulpicia mittit hoc carmen, in quo, sensu amoris tenerrimo declarato — 6, vota pro mutui amoris constantia facit — 8, cui quoque ut faveant et Genium amati et Venerem precatur.

Est qui te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.

1. Vulg. *Qui mihi te* a Scal. e Cui. receptam Dous., Pass. et sequiores servarunt. Librorum, quibuscum Ber., omnes apud H. Voss., Zw. 1. 2. conspirant, scripturam cur revocaverim, hae caussae me impulerunt: 1) Natalem, nec vero eum diem, quo Cerinthus innotuerit Sulpiciae, volebat designare, id quod vel contextus docet; 2) Verbo substantivo in sententiis vi quadam declarandis primam fere sedem concedunt poëtae, cf. Ov. Fast. VI, 219. *Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis.* Martial. IX, 18. *Est mihi, sitque, precor, longum te praeside Caesar* cet. Broukh. in scriptis: „*Est qui te* recte. Naso: *Illa dies haec est, qua te celebrare poëtae.* Martial. *Haec est illa dies, magni quae* cet.“ Nemini, puto, repet. *mihi* in vulg.

Te nascente, novum Parcae cecinere puellis
 Servitium, et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias; iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
 Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

probabitur. H. Vossius, praeeunte Guyeto, maluit: *Et qui te* — Hoc certe manifestum est, vocem initialem in uno vel pluribus codd. mss. excidisse, et deinde male suppletam esse. Iunctura verb. satis expedita: *Qui dies te, Cer., dedit, hic est mihi sanctus* cet. Graviter sibi respondent vv. *Est — hab. erit.* Ad orationis colorem cf. Virg. Aen. V, 49 sq. *Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum, Semper honoratum [sic Di voluistis], habebo.*

5 sq. Potestatem, quam in puellas aliquando gesturus sis summam, praedixerunt Parcae natali die. De vv. *servit.* et *regna* in rebus ad amorem spectantibus cf. II, 4, 1. et I, 9, 80. *dederunt* vaticinando, igitur constituerunt, decreverunt, propr. de fato, Parcis, cf. Hor. I, od. 11, 2. cf. Tib. I, 3, 13. Ov. Her. XXI, 139. 141. Sic *δίδωμι* occurrit Diod. Sic. XX, 15. Xen. Ages. IV, 6. In aliquot libb. et edd. pr., Reg., Ven. 1487. *dederant.* Cuius diversitatis caussam exposui ad II, 5, 79. Nostram lect. praeter alios test. Berol. 4. et 3. a marg. Zw. 1. *dederant* superscript. alii *dederunt.* Quatuor ap. H. Voss.

6. Sensus quidem: *si me mutuo amas* satis perspicuus. Quaeritur autem, quid sibi velint verba *de nobis?* Insolens enim loquendi ratio, *ignis adest de aliquo* quod alias est *alicuius* sive *erga aliquem.* Heynius proposuit: *de nostro*, sc. igni, aut: *Si tibi, qui nobis, m.* — Utrumque ad meum sensum friget. Nam *is amor qui nobis* nihil aliud quam *mutuus* significat. H. Voss. scripsit: *Si tibi nobiscum*, laud. Plaut. Curc. I, 1, 46. Trin. II, 4, 37. al. Vulgatam si tueri volumus, notione caussali *de* positum esse pro *propter* dicendum erit. Ita poëtae utuntur praepos. *de* et *a*, v. Ov. Met. X, 49. *incessit passu de vulnere tardo* i. propter vulnus, cf. III, 571. Fast. IV, 338. Prop. IV, 2, 41. — *de quo mihi maxima cura est.* v. Tursell. p. 214. Idem observare licet de gr. *ἀπό*, v. Matth. Gr. gr. p. 837. Erit igitur *de nob.* idem quod *propter me*, sive meum amorem. Si quid mutandum esset, proponerem: *Si tibi idem nobis, mut.* — pro: idem quod nobis est; de cuiusmodi dativo cf. ad Paneg. in Mess. 137. Iustin. II, 4, 10. Seyff. Gr. t. V, p. 146. Sensus: mecum eosdem animi sensus si habes, tunc mutuus ignis adest. Potest quoque legi: *Si tibi idem est nobis.*

Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta,
　　Perque tuos oculos, per Geniumque rogo!
Mane Geni, cape dona libens, votisque faveto;
　　Si modo, quum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios iam nunc suspiret amores;
　　Tu, precor, infidos, sancte, relinque focos.

7. Cum Zwic. Ed. pr. et aliae: *te per.* Ald. *tua per.* Utrumque male. Nam praepositiones in precandi formulis a suo casu non temere disiungi inserto pronomine, iam supra observatum est. Exempla dedit Broukh. ad h. locum, v. I, 5, 7. Ov. Her. XV, 107.

9. *Mane G.* i. e. sancte; *Manum* enim, docente Serv. ad Virg. Aen. I, 139. et al., unde est *mane*, bonum dixere Veteres. Idem Festus, Nonius, Varro tradiderunt. Oscitantia librariorum factum est, ut *mane* pro adverb. accepto *Geni* in *veni* corrumperetur. Sic aliquot libb. Stat., Angl. A., Colb., Goth., Superscript. in Ber. 1. et Zw. 1. Ed. Ald. 1. Alii ex interpret. *Alme Geni;* sic Lips. Exc., Perrei., duo Heins. It, quod, Heyn. annuente, Bauer. recepit. Vulg. *Magne* iam Gryph. 1546. exhibet, cumque Scalig. Plant. 1603. et sequiores servarunt. Nostram cum H. Voss. repositam librorum, quibus Angll., Ber., sex ap. H. Voss., Zw. accedunt, auctoritas tuetur, aeque ac pr., Reg., Ald. 2. Ven. edd. cum pluribus vet. In rebus sacris antiquas formas religiose servari solitas fuisse a poëtis, recte observavit Voss. De variata forma *cape* — *faveto* cf. I, 10, 67.

10. *calet* n. subito sanguinis et animi motu, igitur amorem expetit, cf. Hor. IV, 11, 33. Restituit illud Muretus e vulg. *valet.* Nunc test. Ber. 1. 3. a m. s., Pocchi Exc., duo ap. Heins. Idem in aliis legi Stat. observat. Scal. e Cui. *volet;* sic Ber. 4. a m. s.

11. *suspiret* vulgatae *suspirat* cur praeferendum sit, in proclivi est videre. Firmant aliquot libb. ap. Broukh., Ber. 4. Guelf. 2. a m. pr., Hamb., Bern., Voss. 2. Ed. pr., Reg., H. Voss. Ad loquendi genus: *amores suspirare* cf. I, 6, 35.

12. *Tu* graviter oppos. subiecto in aut. *suspiret* necessarium videtur propter remotum verb. *relinque.* Firmat. illud, quod Heins. ex uno Ital. commendavit et Br. recepit, quinque apogr. H. Vossii. Cum pr. ceterae editiones ante Br. *tunc;* Voss. *tum.* Mox *inf. focos* i. q. domum infidi amatoris, sive aram, ubi per-

Nec tu sis iniusta, Venus; vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva!
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthaec quam soluïsse dies.
Optat idem iuvenis, quod nos, sed tectius optat;
Nam pudet haec illum dicere verba palam.

fidus amator Genio sacrum facit ture, vino aliisque rebus, v. II, 2, 6sq.

13. *iniusta* nimirum si alteri amantium nimium ardorem iniicit, alterum vero prorsus a curis solvit. *Servire* Veneri dicuntur amantes, cf. II, 3, 32. et Venus illis imperitans fingitur, ut Cupido, II, 3. 55. Hor. II, 8, 18. ibi Mitsch. *Vinctus* et *Vincla* ad imaginem a bove, qui subiectus est, petitam, spectant, cf. I, 2, 92. Mitsch. ad Hor. I, 23, 11. Mutuum sibi amorem a Venere expetit Sulpicia, id quod clarius in vs. 15. declarat poëta.

16. *Nulla dies* Vulp. „nulla diuturnitas temporis." *quam* int. catenam. Fraudi fuit librariis relativum in hac sede positum; igitur corrigebant *nos.* Sic longe plurimi codd. mss., ed. pr., Reg., Ven., Br., Vulp. Ex Aldd. autem, Muret., Rom., Plant., Pass. Heynius *quam* revocavit. Test. Colb., Guelf. 3. Goth., Mon., nec vero Ber. 1. Ad posituram relativi Wund. comp. Iuv. II, 40. *Post haec* pro vulg. *posthac* v. ad I, 5, 6.

17. *tectius* illustratur e vs. seq. cf. ad II, 1, 84, ubi tamen alia ex caussa clam verba fiunt. Ceterum in plerisque fere omnibus mss. et ed. libris: *tutius*, quod mihi non prorsus contemnendum videtur, si quidem pro *cautius* dici potest, ut Hor. de art. poët. 28. *Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae.* Ov. III. Trist. 12, 36. codd. *tutus* exhibent, pro quo Heins. ex uno *cautus* reposuit.

20. *clamne palamne* post Muret., Dous., Pulm., Pass. e duobus libb. restituit Br. Acced. Angl. A., Goth., Bern. In Mon. *clamne palamve.* Broukhusium cum Vulpio, Wund. Voss. Bauero sequutus sum. Vulg. *clamve palamve* tritam satis ác vulgarem acriter defendit Schelle ad Hor. Art. poët. p. 108 sq. his quidem verbis: „*ne* paragogicum rem non nisi quaerendo dubitandoque in medium profert, proponit, movet; *ve* disiungendo continuat. Hinc intelligitur, quare *ne* proprie primo loco veniat, secundo vero reliquisque *ve* substitui possit pro *an.* Sequitur, quod exemplo Hor. Art. p. vs. 380. comprobatum vidimus atque sexcenties

At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Adnue! Quid refert, clamne palamne roget?

in poëtis occurrit, *ve*, quod disiungendo valet, duplici modo poni posse; *ne* vero non item." Quod hic disputavit v. cel. contra Bentl. ad Hor. I, Sat. 2, 63., id pluribus veterum scriptorum testimoniis refutari puto. Praetermissis iis locis, ubi lectio non certa satis habetur, afferamus Hor. Art. poët. 117. *Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli* intellig. *Intererit multum.* Virg. Aen. V, 95. *Incertus, Geniumne loci, Famulumne parentis Esse putet.* Ov. Met. XIII, 912. *monstrumne deusne ille sit, ignorans.* Caes. de b. g. VII, 14. *neque interesse, ipsosne interficiant impedimentisne exuant.* His fere exemplis probari potest, *ne — ne* pro *utrum - an* optimis quibusque scriptoribus frequentatum esse.

CARMEN VI.

ARGUMENTUM.

Tibullus natalem Sulpiciae diem celebraturus ad Iunonem facit preces, ut amorem Cerinthi perpetuum conservet, atque coniugio utrique optato faveat, quanquam matre Sulpiciae non adnuente.

Natalis Iuno, sanctos cape turis honores,
 Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie; tibi se laetissima comsit,
 Staret ut ante tuos conspicienda focos.

1. *honores* nobilius et ad *sanctos* accommodatius, quam *acervos*, quod edd. ante Broukh., demta Passer., obsedit, quamquam alibi non spernendum, v. Martial. VII, 54, 5. Nostrum praeter duo ap. Br. tuentur Ber. 1. 3. a p. m. Voss. 3. Goth. et ipse Tibullus, v. c. I, 7, 53. v. Broukh. Heinsius cum Herald. ad Arnob. II, p. 126. malebat: *acerras*.

3. *tota tibi est* tuo cultui se totam destinavit. Mox *tibi se comsit* cf. ad IV, 2, 1.

4. *consp.* digna, quae conspiciatur. Notionem dignitatis futuro part. pass. inesse, iam vidimus I, 2, 72. II, 3, 74. III, 6, 28. IV, 3, 22. Ad pulchritudinem spectat aeque ac *insignis* I, 3, 32.

Illa quidem ornandi caussas tibi, Diva, relegat;
 Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne quid divellat amantes;
 Sed iuveni, quaeso, mutua vincla para.
Sic bene compones; ulli non ille puellae
 Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilax deprendere custos;
 Fallendique vias mille ministret Amor.

5. Sensus: Se dicit ob eam caussam ornasse, quod tibi rem divinam factura sit.

6. *placuisse* more Tibull. ad vim aoristi positum, cf. 18 *fuisse.*

7. *ne quid* ex lib. Colot. cum H. Voss., Bauer., Wund. reposui. Vestigia huius scripturae cernuntur in *neve id*, Ber. 1. 3., Angl. C. D., Voss. 3. 4. *ne quis* Ber. 3. 4. a m. s., ed. Plant. 1603. Dousae, Scal. et Syncliticus: „melius legeretur *ne quis.* Nam rogat Iunonem, ut conservet amorem mutuum inter Sulpiciam et Cerinthum." In reliquis libb. variant *ne nos* et *ne nox*, quod post Muret. Broukh. et Heyn. servarunt. Hanc vero lectionem monachorum lasciviae potius quam puritati Tib. deberi, persuasum mihi habeo. Fuit quoque, qui mallet: *fors*, quod non magis placet quam coniectura Broukh. in anecd. proposita: *ne divellamur.*

9 sq. Tuo favore bene ac firme iungentur amantes, qui mutuo digni sunt amore. H. Voss. de coniectura: *ut nulli est ille* — v. *Sic* — *ut* sensu obtestandi accipit. Fateor tamen, hanc loquendi formam vix aptam huic loco esse, uti vel sqq. verba: *aut cuiquam* — *viro* docent. Structura verborum nihil impediti habet: *ille non dign.* est *ulli puellae serv.*, *aut* i. q. *nec* post negationem, *illa dign. servire cuiqu. viro.*

11. Heyn. maluit: *Neu*, verbis ita iunctis: *At tu, sancta, fave ne* — *Neu poss.* Teneant autem iuvenes, vss. 11 — 12. arctius cohaerere cum vs. 9. *Sic bene compones*, et cum his ipsis verbis facere apothesin; quam ob caussam *possit* pro futuro accipiatur, hoc sensu: *nec poterit*, *ut equidem puto* cet. cf. I, 8, 59. et passim. *vigilax*, quod Br. e *vigilans* finxerat, Vulp. 1749. H. Voss., Bauer. retinuerunt. Nunc firm. Voss. 3. Non tantum *vigilax*, ut Prop. IV, 7, 15., et Ov. Met. II, 779., sed alia quoque adiectiva in *ax* desinentia frequenter depravata sunt in participia praes. Loco ab Heyn. allato ex Ov. Met. I, 333. adde eundem Met. XIII, 442.

13. *perlucid.* tanquam lucem longe lateque fundens a *palla*

Adnue, purpureaque veni perlucida palla;
Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero.
Praecipit en natae mater studiosa, quod optet;
Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammae;
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sit iuveni grata; ac veniet quum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

purp. igitur splendidi coloris. *Per* in compositis rem augere, notum est, cf. III, 4, 71.

15 sq. Mater filiae praecipit voti formulam et rationem; illa autem aliud ore aliud mente precatur. *Quod*, non *quid* cum vulg., legendum esse, docebit nota ad II, 5, 18. Sic duo Stat., ed. pr., Reg., Ven. 1475. Muret., Scal., Cantabr. In plurimis: *quod optat.* Ceterum *en* firmat Ber. 4. a m. s., non Ber. 1., qui cum reliquis *et* agnoscit. *studiosa* commodis ac saluti filiae prospiciens. *clam* ex emend. Heins. primus dedit Broukh., quem Vulp. et nostrates sequuti sunt. Test. Voss. 4., non Ber. 1., qui cum ceteris fere omnibus habet: *iam sua* i. e. sui iuris et arbitrii facta, superscript. *sibi.* Ber. 4. *iam sibi.*

17. Simili fere imagine ad aestum amoris designandum utitur Ovid. Her. VII, 23 sq. *Uror, ut inducto ceratae sulfure taedae; Ut pia fumosis addita tura focis.*

18. Sensus: Neque ardorem sui amoris sedari vult; sive: non expers esse amoris cupit. Eadem, qua *non sana esse vult* hic dicitur, notione supra dixerat *morbo favere*, II, 5, 110. *sanum esse* non uri, vacuum esse sensu amoris, opp. *non sanum, insanum esse*, res nota.

19. Vulg. *Sic iuv. gratis, veniet* — sensu parum commodo: anno proximo quum natalis redierit, amor hic idem iam vetus adsit votis, quae grata sunt iuveni: debetur ingenio Heinsii, quem Br., Vulp., Heyn. male sequuti sunt. Ad fidem Exc. Lipsii, quae afferunt: *Sic iuveni grata, ac v.* Heyn. in obss. nostram restituit lectionem, quae iam a Passer., Dous., Cantabr. textui reddita est. Sequuti sunt Wunderl., Voss., Bauerus. *Sit* Synclit. quoque superscripsit. In Ber. 4. a m. s. *Si iuv. grata es, ven.* Particula *ac*, quae seq. verbo vel adhaesit vel excidit, caussam corruptionis dedit. *Votis* quae puella proximo anno susceptura est, *hic id.* mutuus igitur ac firmus tum *iam vetus ads. amor.* De dictione: *iam vetus* Wund. adiri iussit Iuvenal. Sat. III, 206. *Iamque vetus Graecos servabat cista libellos.*

CARMEN VII.

ARGUMENTUM.

Sulpicia vinculo amoris cum Cerintho arctius iuncta Veneri, cuius beneficio votorum compos facta fuerit, sensus laetitiae profitetur, et, quam parum pudori sit amorem detegere, exponit.

Tandem venit amor, qualem texisse pudore,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama minor.

1—2. Certissimis tandem argumentis mihi patefactus est amor, quem palam fateri magis quam dissimulare mihi honorificum duco. Constructio verborum: *qualem tex. pud.* i. e. prae nimio pudore *mihi fama minor sit* e. minus honorificum *quam nudasse* sive palam prae me ferre, librarios adeo fefellit, ut corrigendo locum adiuvare conarentur. Hinc enata est illa contorta lectio: *pudori — magis*, quam servarunt edd. ante Broukh. Hic ad fidem octo libb. [nam Angll. omnes: *pudori*] revocavit nostram, qua praeeunt Ven. 1520. Dous., Pass. Nunc firm. Ber. 2. 3. 4. *minor* unus Heins. Ital., Ber. 4. a m. s. *Magis* Ber. 1. cum reliquis. Part. *quam* comparativo interdum praemittitur; Wund. appos. Ov. Her. XX, 46. *Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.* Soph. Electr. 597 sq. *Καὶ σ' ἔγωγε δεσπότιν η μητέρ' οὐκ ἔλασσον εἰς ἡμᾶς νέμω;* v. Seyff. Gr. lat. t. IV,

Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus; mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suam.
Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Me legat ut nemo, quam meus, ante, velim;
Sed peccasse iuvat; vultus componere famae
Taedet; cum digno digna fuisse ferar.

p. 204. Similem posituram videmus in *quam — ante*, vs. 8. cf. ad I. 3, 9 sq.

4. *in nostr.* cet. cf. IV, 3, 24. De variato numero in *meis — nostrum* v. I, 9, 48. et not. ad III, 6, 55.

5 sq. Mea gaudia ex indiciis amoris Cerinthi percepta ii vulgent, qui amoribus exclusi tanguntur invidia. *suam* amicam. Scal. e Cuiac. *sua* sc. gaudia. Perperam. *Habere* i. q. alicuius amore potiri; Terent. Andr. I, 1, 56. Plenius alii *secum habere*, Prop. III, 8, 22. *Sua*, *tua*, *mea* absol. de amatis, notum; v. I, 9, 65. et nostr. 8. *meus*. Broukh. in scriptis: „*suum*, Dousica. Quod retineri potest, modo legas: *si quae*."

7 sq. Sensum horum vss. illustrat id, quod vs. 1 sq. confessa erat Sulpicia. *Non velim — ut nemo me ante legat, quam meus* h. e. Cuilibet sit cognoscere meum amorem e litteris, quas non signatas ad Cerinthum mitto. Lectionem *Me leg. ut nemo*, grammaticae ratione exigente, ad fid. codd. Colb., 3 Heins. Ital., Thuan., Voss. 4. ed. Rom. cum H. Voss. et Wund. reposui. Ad eandem ducunt aberrationes librorum: *Me legat id venio*, aut: *advenio*, aut: *Nec me legat adv.* ut Ber. 4. At a marg. *Nec leg. ut nemo*. Heynio suadente Bauerus dedit: *Ne legat id nemo, quam meus ille, velim*, i. e. quam carus ille sit mihi, ad vestigia Angl. C. *esse*. At neque haec neque vulg. lectio: *Ne leg. id nemo* bene sibi constat ex grammatica ratione, ne quid de sensu moneamus. In aliquot libb. *tegat*, frequenti errore, v. Heins. ad Ov. Her. X, 150.

9 sq. *Sed* opp. *Non ego* cet. Apparet, quam ineptum sit *Sic*, quod ex Heins. emend. reposuit Br. et Voss. 1. 2. agnoscunt. *vultus comp.* tegere sive temperare, igitur dissimulare me et fraudulentam agere *famae* dat. comm. in famae gratiam, i. e. ut famam parum honestam reprimam. *cum digno — ferar.* Sensus: Dicant homines, nihil dedecoris nostro amori inesse. Usum absol. vocis *dignus* illustr. Bentl. ad Hor. II. Sat. 1, 85.

CARMEN VIII.

ARGUMENTUM.

Sulpiciam ut natalis eius dies celebretur Messala rus secum abducturus est. Declarat igitur puella, quam molesta sibi a Cerintho divulsae commoratio extra urbem futura sit, et nimiam Messalae curam ac studium deprecatur.

Invisus natalis adest, qui rure molesto
 Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae?
 Atque Aretino frigidus Arnus agro?

1. *Invisus* propterea quod extra urbem et sine Cerintho celebrandus est.

3. *puellae* praeter alios libb. ap. Br., qui primum deseruit *puellis*, tuentur Ber. 1. superscript. *ae*, 2. 4. Angl. E. a m. pr., sex ap. H. Voss. Unice hoc verum est. Nam Sulp. de se loquitur sola. Ceterum Heins. ad marg. ed. Dous. suspicatur, Tib. scripsisse *sat*, non *sit*.

4. *Aret. — Arnus* prob. Heyn. cum ed. Lips. 1812., H. Voss. et Wund. scripsi. Vulg. *Eretino — annus* post Cyllen. in notis et

Iam, nimium Messala mei studiose, quiescas,
Non tempestivae saepe propinque viae.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrii quoniam non sinis esse mei.

Scal. Broukhusio videbatur probabilis, quia Eretum, vicus Sabinorum, haud procul a Tiberis ripa distet, totusque tractus Ereto vicinus mirifice frigeat, etiam media aestate, laud. Mart. V, 72. Quibus incommodis alia querelarum caussa ab hieme scilicet accedat. Talia nugantibus Br. et Cyllenio nemo suffragabitur. Aretinus ager fuit inter regiones, in quas Romani voluptatum caussa se conferre soliti erant. *Aretino* omnes fere codd. tuentur, et ed. pr., Reg. *Eretino* cum paucis Ber. 3. 4. a m. s. habent. *Arnus* optime restituit Heins. ex Thuan. Corruptum hoc fuit in *annus*, unde alii *amnis* finxerunt. Sic ed. pr. Utrumque et alibi confusum, v. II, 5, 76. Virg. Aen. VI, 311. ubi *annus* def. a Günthero in Athenaeo I, 2, p. 269. Ex his corruptelis monachorum et scribarum ignorantiam cognoscere licet, qua nomina propria saepissime in communia et appellativa depravantur, cf. I, 7, 9.

5 sq. Amores nostros noli turbare me rus abducendo. *prop. viae* exquisite dictum ad illam formam: *proximum*, *affinem esse alicui rei;* pro: participem esse rei, sive paratum ad aliquid, v. intpp. ad Phaedr. I, 10, 5. Graeci: *ἐγγὺς εἶναί τινος*. *Non temp. viae* e. itineri mihi inopportuno ac molesto. Hunc locum ita si ceperimus, non necesse erit cum H. Vossio legatur: *Nec tempestive.*

7 sq. *Hic* int. Romae apud Cerinthum, *relinquo an. sens.* Quid hoc differat ab altera loquutione: *relinquit me animus* cet., facile perspicias. *Quon. non* cet. i. e. quoniam me invitam abducturus es. Bauer. et Wund. *sinit* ad fid. paucorum ap. Stat. librorum. Accommodatius ad superiora mihi videtur, si de Messala *sinis* accipitur. Is enim *nos non nostri arbitrii sinit esse*, qui tantam in nos potestatem exercet, ut, quod volumus, non facere possimus, sed voluntati alterius cedere cogamur; similiter Graeci: *οὐκ εἶναι ἑαυτοῦ*, v. Viger. p. 240 sq. Ante Br. vulgabatur: *Arbitrio quamvis — meo* sensu prorsus alieno. Langerm. tentavit: *Arbitrio quamvis non sinit esse suo*. H. Voss. e versu seq. carminis secundo *licet* huc traxit. Ceterum vel hi versus refellunt H. Vossii opinionem, qua puellam a Messala iam abductam et aliquamdiu in agro moratam fuisse statuit.

CARMEN IX.

ARGUMENTUM.

Cerintho Sulpicia se, mutato Messalae consilio, mansuram esse Romae nuntiat suosque ad diem natalem hilariter celebrandum exhortatur.

Scis, iter ex animo sublatum triste puellae?
 Natali Romae nos licet esse suo.

1—2. Sulpicia sensibus laetitiae perfusa de se loquitur tertia persona, et certissimum Cerintho affert nuntium per interrogationem: *Scis*, o Cerinthe, *iter* sc. a Messala paratum, *triste* et molestum *puellae* mihi *subl.* esse *ex animo* int. Cerinthi; nisi cum Wund. iungere malueris: *ex animo puellae*, tamquam ex optatis puellae. Vereor tamen, ut *sublat.* tam absolute poni potuerit. *Tolli* dicitur quid *ex animo*, de quo non amplius cogitatur neve timetur.
nos licet vulg. *nunc sinit* praeferendum duxi, quum in promtu sit videre, vulgatam ex ultimo antec. carminis versu enatam esse. *Nos* Corv., Guelf. 3. 2 pro var. lect., Monach., Ber. 4. a marg., Voss., Bauer., Wund. In libris variant: *nunc* et *non*, perpetuo fere lapsu. *licet* ex auctoritate cod. Cuiac., Wall. lectt. reposui. Sic Pulmannus ad marg. notavit, et Scal. recepit: *iam licet esse tuo*, quem Dous., Pass., Vulp. 1710., Cantabr. sequuti sunt. H.

Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
 Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

Voss. ex aliquot libb., quibus Angl. C. D., Ber. 1. accedunt, *sinet*, quod ex *licet* ortum existimo. Futurum quam bene hic se habeat, non dicere ausim. *Suo* cum aliis iam Aldd., Ven. agnoscunt. Ed. pr. *tuo* cum plurimis libris, quia natalem Cerinthi intelligendum esse censebant. At *suo* de Sulp. natali bene accipi, inde apparet, quod tertia persona de se usa est Sulpicia. Wund. *nos sinit esse suo*, cum Bauero scripsit.

3. Ad marg. ed. Vicent. *genialis* pro *nat.* scriptum vidit Heynius. Recepit H. Vossius. Per se probum. *Genialis* enim ad omnia, quae hilaritati conveniunt, transfertur; hinc *genialiter agere festum* Ov. Met. XI, 95. *festum geniale* Fast. III, 523. At vulg. scripturam cur deseramus, non satis est caussae.

4. *nunc* ad fidem omnium codd. et edd. cum H. Voss. et Wund. reposui. Vulg. *iam* in nullo libro nisi in ed. Vulp. 1749. invenitur. *nec op.* pro *non opin.* perpetua fere ratione, cf. Ter. Andr. I, 2, 9. Ov. Met. I, 224. Plura dedit Vulp. ad h. l. Ceterum non dissimules, verba: *nec opin.* et *forte* mirum in modum frigere, et hoc extremum speciem glossematis prae se ferre: Ursini liber, adstipulante Ber. 4. a m. s., *candidus usque.* Hinc refingi voluit Heynius: *Quum nec op. candidus ille venit.* H. Vossius de coniectura scripsit: *Qui nec op. candidus, ecce, venit.* Varia tentari possunt; nam v. *usque* ex aliis vv. saepe corruptum esse observare licet. Si vero sanum est *forte*, exarari malim: *nec opinata* cet. ut Virg. Aen. VIII, 476. — *quam fors inopina salutem Ostentat;* non *sorte*, quod ex aliquot libris ed. pr., Ven. 1475. Bauer. revocavit.

CARMEN X.

ARGUMENTUM.

Cerintho, quem vulgaris puellae amori indulsisse cognovit, Sulpicia se suum animum aliis daturam esse denuntiat.

Gratum est, securus multum quod iam tibi de me
Promittis, subito ne male inepta cadam.
Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo
Scortum, quam ServI filia Sulpicia:

1—2. Per ironiam dictum puta: Placet, iuvat, *quod iam tibi de me* i. e. de mei amoris erga te constantia *multum securus* nihil sollicitus, Hor. I, 26, 6. *promittis* certam foves spem, *ne male inepta* in meam perniciem stolida *sub. cad.* praeter opinionem fide, quam tibi dedi, excidam. De formula: *gratum est* Gronov. Diatr. in Stat. XVI. t. I. p. 167. haec habet: „formula est flebile gaudentium, quum tamen aliquid est tam saevo in tempore laetum.“ Ceterum iunge: *Grat. est, quod prom. mult. sec., ne —*. Haec structura vetat, ne legamus: *Promittas*, quod H. Voss. e cod. Dresd., Goth. et Lips. ed. ap. Heyn. reposuit. Alii: *permittas*, sic Berol. 4. *permutas* Angl. A.

3. *Si — potior*, sic Heinsio suadente Broukh. dedit, quem recentiores unanimiter sequuti sunt, si discesseris a Bauero, qui

Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est;
Nec cedam ignoto, maxima cura, toro.

librorum scripturam etiam Ber. 1. servatam: *Sit t. c. togae p.* revocavit. Admodum tamen ita turbatur constructio. Voss. 4. Vind. *Sit — toga est.* *Si* Guelf. 3. Sensus: Si tu libentius ureris in vili atque contemta puella, me Servii filia postposita.

4. *ServI* e. Servii; ita scribendum esse ex veterum more docuit Seyff. Gr. lat. t. I. § 96.

5—6. Sensus: Alii sunt amatores, qui ira incitantur in illam vulgarem puellam mihi praelatam; neque ego illi ignobili posthaberi patiar me, quam summo alii amore curant atque amplectuntur. Vulg. *Ne* iis debetur, quos fefellit rarior structura: *soll. sunt pro nobis*, adeo ut iungerent: *Soll. — ne* hac interpretatione: Nostri caussa et loco solliciti sunt, ne praeferri videam mihi a te vulgare scortum. Parum probabilis haec ratio. Ad loquendi formam: *soll. esse pro aliquo* tuendam Wund. comparavit Tacit. Hist. IV, 58 Adde eund. III, 13. *sollicitor pro vobis*, et Plin. Epist. III, 17. *timere pro capite amicissimo.* Serioris igitur aevi scriptores hanc constructionem non repudiasse videntur, quamquam vel Cicero dixit: *pro quoque timendum*, v. Seyff. Gr. t. IV, p. 137. *dolori esse alicui* dicuntur, qui quem ira afficiunt, v. Prop. II, 5, 10. *Si dolor abfuerit, crede, redibit amor*, cll. II, 8, 36. *Nec* Angll., Corv., Guelf. 4. Ber. 2. 4. duo ap. H. Voss., Zwic. unus, ed. pr. et vett. ad Scalig. usque servarunt, qui duce Vatic. *ne* textui immisit. Recte hoc deseruerunt Wund., Vossius, suadente Heynio; *cedam* e Stat. coniectura, a Broukh. primum recept., firmant Corv., Guelf. 4., Monach., Voss. 3. Olim vulgabatur: *credam*, lapsu satis obvio, v. c. Prop. I, 10, 11. Tib. I, 4, 40. IV, 13, 17. Hor. II, Ep. 1, 67. ubi *cedit*, praeeunte Bentl. servare debebat Fea. *max. cura* quae ego ab omnibus vehementer amor, v. ind. s. v. *cura.* De *toro ignot.* v. ad III, 6, 60.

CARMEN XI.

ARGUMENTUM.

Sulpicia ex febri laborans Cerintho se sollicitam esse de ipsius amore profitetur et se convalescere, idem si Cerintho optatum fuerit, cupit.

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
Quod mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.

1. *pia cura* Heins. ad Ov. Trist. II, 514. suadente Broukh. textui reddidit, nunc adstip. Voss. 4. Antea: *placiture*, et vs. sq. *Qui*, hoc sensu: Sentisne, Cerinthe, qui semper mihi placiturus es, eundem mecum amoris calorem? Hic autem *calor*, *morbos*, *mala* proprie, non de amore intelligenda esse, contextus docet. Mox *quod* pro vulg. *Dum* cum Voss. revocavi ex Angl. E., Reg., Ber. 1. 3. a m. pr. et 2. Mon., Hamb., Voss. 2. 3. In reliquis: *Qui;* sic ed. pr. et cet. ante Br.

4. *si* ad Stat. emend. Scal. recepit, quem seriores sequuti sunt. Firm. lib. Scal., Guelf. 2. Ber. 3. a m. s. Bern., Ber. 4. *si te sic.* At Ber. 1. cum ceteris fere omnibus: *sic.* Br. in scriptis mavult: *si te.*

Nam mihi quid prosit, morbos evincere, quum tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

5. *quum* tu prob. Guyeto cum H. Voss. et Wund. e lib. Bern. revocavi. Vulg. *ubi* unde Br. receperit nusquam apparet. Heins. unus Ital. *quam;* alii: *si*, *quod*, *quid*.

6. *lento* a Scal. restitutum e Cuiac. testantur Ber. 3. a m. s. et 4., non Ber. 1. qui cum ceteris *laeto;* hoc autem non esset infracti amoris, sed malignitatis animi. Utrumque voc. saepe confusum, v. Ov. Am. III, 6, 60. Bentl. ad Hor. II, od. 16, 26.

CARMEN XII.

ARGUMENTUM.

Levitatem suam, quod Cerinthum reliquerit solum, excusat puella, et huius delicti se vehementer poenituisse declarat.

Hanc epistolam, ut in aliis, sic in Beroll. libris scriptis, extremo quoque libri III. carmini annexam, lectionibus tamen utroque loco diversam vidimus. Hic autem illam iidem libri cum epistola antec. coniunctam exhibent. Primum seiunxisse videtur Scaligerus, quocum facere fertur Voss. 4.

Ne tibi sim, mea lux, aeque iam fervida cura,
Ut videor paucos ante fuisse dies,

1—6. Arctius hi versus cohaerent hoc sententiarum ordine: *Ne* [sensu obtestandi] *tam ardenter a te amer*, *quam paucos ante dies amabar*, *si quidquam per meam iuventutem stulte commisi*, *cuius cet. quam quod te — reliqui* cet.

2. *Ut* ad fidem Angl. E., Guelf. 1. 4. Voss. 4. 5. Goth., Zw. 1. et utriusque in fine libri III., Ber. 1. hic superscr. et supra;

Si quidquam tota commisi stulta iuventa,
Cuius me fatear poenituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

3. a m. s. cum H. Voss. revocavi. Sic ed. pr. supra, Reg. Lep., Ven., Aldd., Mur., Dous., Pass., Cant., Scal. Vulg. *Ac*, quae Br. ex aliquot libb. debetur, speciem gloss. prae se fert. Rarior quidem, sed non insolens loquendi ratio: *aeque ut*, alibi quoque *secus ut*, *pariter ut*, ad sollicitandam lectionem librarios passim adduxit. In Hor. III, 25, 12. post *Rhodopen* minusculo signo distinguendum, ut seq. *ut* cum verbis *Non secus* in vs. 8. iungatur. Bentl. hic legit: *Ac;* perperam et satis ambigue, quoniam eadem particula praecessit. In Catullo 64, 32. cum Is. Voss. et Vulp. recte legatur: *Ut venere*, non *Advenere;* nam *ut* ad *simul* in vs. antec. pertinet. Item peccarunt librarii sive correctores in Lactantio, Inst. I, 16. ubi cum melioribus codd. et edd. legendum: *secus ut isti putant.* Exploratae fidei exempla pete ex Hor. I, od. 16, 7—9. Virg. Georg. II, 277—79. Adde Plin Epist. I, 20, 1. *cui nihil aeque in caussis agendis ut brevitas placet.*

CARMEN XIII.

ARGUMENTUM.

Perpetua fide se serviturum esse amicae iurat Tibullus, et, ut nemini palam fiat hic amor, in optatis se habere declarat — 12. Ne formosissimam quidem a se praepositum iri confirmat — 16. Quamvis hac confessione caussam perfidiae dederit amicae, sperat tamen fore, ut Veneris praesidio omnia a suo amore pericula avertantur.

Ad quam missa fuerit puellam haec epistola, ex ipsa quidem non docemur. Igitur fuere, qui hoc carmen loco suo excidisse, et ad libri tertii elegias referendum esse contenderent. Sic una cum Broukhusio statuit Bauerus. Et sane haec sententia maiorem veritatis speciem prae se fert, quam aliorum, qui cum H. Vossio Nemesi hanc esse inscriptam epistolam censent. Nam si quis querelarum, quas in avaritiam Nemesis Tibullus iecit, memor fuerit, is indolem et argumentum nostri carminis ad omnes alias puellas magis quam ad Nemesim convenire facile con-

cedet. Potuit tamen ipsi Tibullo curae cordique esse Sulpicia. Quod quidem si verum est, suos sensus atque cogitationes ut antea in Lygdamum, sic in Cerinthum nunc transtulisse Tibullum credere licet. In nostro igitur carmine, partibus Cerintho abrogatis, suam ipse suo nomine caussam agit poëta, et tenerrimi amoris sensus tam vere vivideque describit, ut non nisi Tibullum amatorem agnoscas.

Nulla tuum nobis subducet femina lectum;
 Hoc primum iuncta est foedere nostra Venus.
Tu mihi sola places; nec iam, te praeter, in urbe
 Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam possis uni mihi bella videri!
 Displiceas aliis! sic ego tutus ero.

2. *foedere* e. lege, conditione sc. fidei et constantiae. Eodem sensu *foedus* ap. Virg. Aen. I, 62. et alibi de omnibus, quae certo quodam ordine et tanquam ex composito constituuntur, Ov. Met. V, 532. — *sic Parcarum foedere cautum est.* Ad *Venerem iungere* pro: amores iungere, cf. I, 1, 69. Lascivius dictum I, 9, 76.

3. *mihi* Ber. 1. 3. 4. cum pluribus aliis: *modo.* Sic ed. pr., Reg. Lep. superscript. *mihi.* Scal. perperam illud reduxit. Ad vulg. vindicandam faciunt Prop. II, 7, 19. *Tu mihi sola places; placeam tibi, Cynthia, solus.* Ov. Art. I, 42. *Elige, cui dicas, Tu mihi sola places.*

4. *oculis — meis* dativi usu et Graecis et Latinis proprio, v. Matth. Gr. gr. p. 521. et Wund. ad h. l.

5 sq. Comp. Callimach. in Anth. t. I. p. 212. I. *Καλὸς ὁ παῖς, Ἀχελῶε, λίην καλός· εἰ δέ τις οὐχὶ Φησίν, ἐπισταίμην μοῦνος ἐγὼ τὰ καλά.*

Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi;
 Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possim bene vivere silvis,
 Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
 Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e coelo mittatur amica Tibullo,
 Mittetur frustra, deficietque Venus.

7 sq. Non quaero celebritatem inter vulgus eam, quae veniat ab amore puellae pulchritudine conspicuae, neque carere nolo invidia, quae solet excitari a fama. *gloria vulgi* e. a vulgo profecta; sic *vulnus Achillis* e. ab Achille inflictum. De his genitivis passive accipiendis egit Gellius IX, 12. Sanct. t. I. p. 194. Similis est ratio, ubi genitivo a substantivo dependenti praepositio *in*, *adversus*, subcogitari debet, v. c. *τόλμημα τῶν παίδων* facinus in pueros commissum, Ael. var. hist. V, 21. Plura collegit Valck. ad Callim. p. 291.

8. *ille* bene accommod. ad *Qui*. H. Voss. *ipse*, quod plures codd. agnoscunt, etiam Ber. 2. 4. et ed. pr., Reg., Lips. Interpret. Voss. *secum*, *sibi*. Eandem vero notionem gravius declarant verba *in tacito sinu*, v. index.

9. *Sic*, sine gloria atque invidia. Heynius, cui Marcland. ad Stat. p. 313. iam praeivit, malebat: *Tecum ego*. Haud opus. Non temere iteravit *Sic* post vs. 6. Nostrum imit. Lotich. III, 3, 49 sq. *Degere fert animus solis in montibus aevum, Quo ferat humanos semita nulla pedes.* Hinc P. Francius in nostro corrigere maluit: *semita*, adsent. Barthio.

11—12. Ad sent. comp. Prop. I, 11, 23 sq. ibi Kuin.

13. *e*, duce Voss. 5. *et* exhibuit H. Voss. Quod ego factum esse nolim. Differunt enim formae: *e coelo mitti*, *et coelo m.* Hoc eorum est, qui inopinati, subiti adsunt, I, 3, 90. Liv. XXII, 29. et Dorv. ad Char. p. 280. Illud de iis propr. dicitur, qui virtutibus eximiis conspicui tanquam inter deos versati et coelo dimissi videntur. cf. Erasm. Adag. p. 288. Eph. Jen. 1818. Suppl. Nr. 66. p. 141. Sensus: licet mittatur et adsit puella omnibus praestantior.

15. *Per* a suo casu disiunctum, v. IV, 5, 7., corrumpendi ansam dedit. Plurimi libb. et edd. *Haec* int. quae vs. 14. confes-

Per tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? heu heu! mea pignora cedo.
Iuravi stulte; proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures.
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam, quodcunque voles; tuus usque manebo;
Nec fugiam notae servitium dominae;

sus est. Tunc iungas: *numina iuro*, structura non minus obvia quam *iurare per;* v. Virg. Aen. XII, 197. *Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro;* ibi Serv. Ov. Met. II, 46. Claud. de IV. cons. Hon. 448. *Iuratur Honorius absens.* Exempla cong. Br. ad nostr. et Drack. ad Sil. VIII, 105. Graeci: *ὄμνυμι τοὺς θεούς*, Theocr. XXX, 22 sq. Displicet autem *Haec* ab ambiguitate, qua quis referre possit ad *sancta num.* Probabilior est lectio: *Haec per* — quam Ber. 3. a m. s. Aldd., Muret., Bauer. habent. Nostram unus Br., Pocchi et Perr. Exc., tres Ital. Heins. firmant. Ber. 2. *Haec tibi per.* Nobiscum faciunt H. Voss., Wund. praeeunte Heynio in obss.

16. Heins. ad marg. ed. Dous. notavit: *alias — deas.* Masculinum autem praeferre solent in generalibus sententiis; et vel ideo retinendum, quod Tibullus sui Genii aliorumque tutelarium deorum venerationem opponit.

17. *pign. cedo* e. metum ac sollicitudinem de mea fide ex animo puellae sustuli. Nunc enim, postquam videbit me iureiurando obstrictum teneri, et minus erit de me sollicita, et peccabit citius.

18. *proderat* mihi *iste timor* puellae, quippe quae hoc timore de mea fide facilius in officio contineretur. In libris variant: *prodeat*, ut ed. pr.; et *proderit*, quod post Scalig. dedit Broukh., sensu plane contrario. Berol. 4. a marg. *prodidit.* Vulg. bene def. et exposuit Canter. Nov. Lect. IV, 16.

19. Non ad amoris incitamenta, sed ad sollicitudinem, qua propter fidem amicae vexetur, haec spectant. De *urere* sensu cruciandi, cf. I, 9, 21. II, 6, 5.

20. *garrula* sc. promissis et iuramentis, quibus temere tibi fidem meam in perpetuum obstrinxi.

Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras;
 Haec notat iniustos, supplicibusque favet.

23 sq. Nimis acerbam potestatem si puella agere voluerit, ad Venerem, ut iniuriam a se depellat, supplex adire apud animum constituit; *vinctus* commode ad rem appositum. Nam vs. 22. mancipium se dominae suae profitetur. *notat* sc. flagellis, verberibus, ex imagine illustrandam, qua ultionem divinam declarare solent poëtae. Hor. III, 26, 11. *Regina, sublimi flagello Tange Chloën semel arrogantem.*

CARMEN XIV.

ARGUMENTUM.

Ad rumorem de puellae suae perfidia divulgatum ut surdus sit in votis habet poëta.

Rumor ait crebro nostram peccare puellam.
Nunc ego me surdis auribus esse velim.

3. H. Vossius de coniectura scripsit: *nisi f. dolori*, censens vv. *non — sine* non separari posse, aliis vocabulis interpositis. Et verum, more solito arcte iungi *non sine*. Non tamen desunt exempla, ubi separata vides haec verba; Virg. Aen. II, 777. a Vulp. et Wund. apposito add. Aen. VI, 430. *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.* Ov. Met. XI, 216. *Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit.* Amor. III, 4, 39. — *non sunt sine crimine nati.* Sil. III, 330. *Nec vitam sine Marte pati.* Igitur non est, quod haereas in structura verborum; rectius de sententia dubitatur, qua quidem nihil frigidius cogitari potest. Fortasse scripsit Albius: *Crimina iam haec sunt nostro si ficta dolori, Quid* — — In vss. 2. prioribus poëta credulum agit, et optat surdis esse auribus. In vss. duobus posterioribus dicere vult: Nisi vera sunt crimina, sed ficta eo consilio, ut afficiar dolore, opto, ut taceat rumor nec frustra me male habeat. Part. *iam* ad novam priori oppositam sententiam adhiberi solet, no-

Crimina non haec sunt nostro sine ficta dolore.
Quid miserum torques, Rumor acerbe? tace.

stroque *Nun aber* respondet. Ceterum commutatione *iam* et *non* in codd. mss. facta nihil frequentius.

ficta, pro vulg. *iacta*, ex auctoritate Florent., unius Ital. Heins., Ber. 3. a m. s. Zw. 1. cum Muret., Vicent., Stat., Dous., Scal., Pass. Vulp. 1710., Voss. reposui probant. Vulp. in ed. 2. et Heynio. Utcunque sensum constituas, haec unice vera lectio. Prop. I, 12, 1. *Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen.* Ov. Her. XII, 177. — *nova crimina fingas.* Vulg. *iacta* per se probum, cf. Prop. III, 8, 11.; huic tamen loco vix consentaneum, et paucissimorum libb. fide confirmatum. Erroris caussam dedit *facta*, quod cum plerisque libb. exhibent ed. pr., Aldd., Ven. al. Similiter peccarunt scribae in Vellei. II, 65., ubi *facta* non sollicitandum. In nostro loco *facta* ortum est ex *ficta*. Illud enim librariis notissimum saepe substituebatur et huic verbo, ut Ov. Met. IX, 706. Hor. Art. 52., et aliis, cf. Hand. in Gronov. Diatr. in Stat. t. I. p. 164. Potuit quoque lectioni *facta* locum dedisse *carmina*, quod in paucis deprehenditur, et cum *crimina* alibi quoque confusum est, v. c. Ov. Met. IX, 565.

CARMEN XV.

ARGUMENTUM.

Domitius Marsus, de quo v. Index, immaturam Tibulli mortem deflet.

DOMITII MARSI.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Santen. adscripsit: „Ovidio hoc epigr. adscribitur in 2 codd., ut notat Vossius in fronte sui exemplaris in bibl. Leid. p. 262.

1. Eodem anno, quo Virgilius decessit e vita, 735 a. u. c. Tibullum esse mortuum, hic vs. clare docet.

4. *regia bella* a regibus, s. inter reges gesta. Comparant Virg. Ecl. VI, 3. *Quum canerem reges et proelia.* His convenit *forti pede* i. heroico. Hor. I, Sat. 10, 43. *forte epos*, cui *molle* de bucolico carmine opponit vs. 44.

INDEX RERUM.

A.

Admetus, Pheraeorum in Thessalia rex, cui Apollo amore eius captus sponte se mancipabat armentaque pascebat, II, 3, 11. III, 4, 67 sqq. cf. Callimach. in Apoll. 47 sqq. Ovid. Met. II, 679 sq. Alii Apollinem a Iove propter Cyclopas occisos ad hanc servitutem damnatum fuisse tradunt, v. quos Broukh. laudavit.

Aegaeae undae, I, 3, 1., mare Aegaeum inter Asiam minorem et Graeciam, hod. Archipelagus, v. Tzschuck. ad Mel. II, 3, 3.

Aeneas, Anchisae et Veneris filius, *frater Amoris* II, 5, 39. cui, Troia patria urbe devastata, profugo Sibylla *sortes dedit* II, 5, 19. e. futura praedixit oraculis; *sanctus* ibid. 43. tamquam post mortem inter deos relatus; *deus Indiges* ibid. 44. in terris vocatus, Graec. ἐγχώριος, cf. *Numicius*.

Aeolus, deus ventorum custos, in una ex insulis, quae in mari Tusco sitae vocantur Aeoliae, regnabat. Hic ventos bovis tergo inclusos Ulyssi dedit, hinc *vexit ventos per Nerea placidum* IV, 1, 58., int. Ulysses. Vid. Hom. Od. X, 1—33. Ovid. Met. XIV, 223 sqq.

Africa, inprimis Gaetulorum regio purpura coloris floridi et rubentis celebratur, II, 3, 58. cf. Mela III, 10, 4. „Nigritarum Gaetulorumque passim vagantium ne litora quidem infecunda sunt purpura et murice efficacissimis ad tingendum, et ubique, quae tinxere, clarissima." Conf. Plin. Hist. V, 1. Hinc *vestes Gaetulo murice tinctae* apud Hor. II, Ep. 2, 181.

Alba longa, II, 5, 50., urbs Latii ab Ascanio condita, *antiquo Lare* I, 7, 58. e. vetusta. V. Liv. I, 3. *candida* I, 7, 58. a saxis, quibus exstructae sunt aedes, candentibus, sic dicta; cf. de *Tibure* Prop. III, 16, 3.

Alcides, Hercules ab Alceo avo ita dictus, v. Apollod. II, 5, 12. Prop. IV, 9, 38. *deus ascensurus Olympum* IV, 1, 12. e. ad deos transiturus, postquam in Oeta monte se combusserat.

Alpes, montes longis iugis ab Italia septentrionali ad Iapydum usque regionem protensi, *gelidae* IV, 1, 109. Vid. Mel. II, 4.

Amalthea, Sibyllarum aliqua, II, 5, 67.

Amor sive *Cupido*, Veneris filius, eadem, quam agit in homines et pecora, potestate II, 1, 67 sqq. coërcet bestias, III, 6, 15 sq. hinc curru ferissimis iuncto animalibus vectus fingitur in monumentis, vid. Hirtii libr. qui inscriptus est: Bilderbuch für Mythologie cet. part. II, p. 220. *Proelia miscet* I, 3, 64. e. rixas amantium excitat; *tristi fronte imperitat*, II, 3, 55. e. non benignus, ut *asper*, *tristis*, I, 6, 2. cf. *malus* Prop. II, 18, 22. Coniugiorum et nuptiarum auctor *vincula portat coniugio* II, 2, 18. Attributa, *arcus* et *sagittae*, II, 1, 71. II, 5, 107. *faces*, IV, 2, 6. *alae* II, 2, 17. II, 5, 39. nota sunt et in signis exhibentur.

Aniena flumina, II, 5, 69. i. q. Anio, sive Anien, fluvius, qui per Tiburtinorum agrum in Tiberim decurrit, hinc *Anio Tiburne* Prop. III, 22, 23.

Antiphates, Laestrygonum rex, qui classem Graecorum ex Asia remeantem vexabat, IV, 1, 59. Conf. de eo Hom. Odyss. X, 76 sqq. Ov. Met. XIV, 233 sqq.

Aquitania, tertia pars Galliae, a Pyrenaeo ad Garumnam, Caesaris certe temporibus, porrecta, docente Mela III, 2. cl. Caes. de B. G. III, 27. Aucta est additis ab Augusto populis inter Garumnam et Ligerim. A Messala *gentes Aquitanae superatae*, I, 7, 3. II, 1, 33.

Apollo vid. *Phoebus*.

Arabs, collective, populus inter sinum Persicum et Arabicum habitans, *dives* II, 2, 18. nam Arabia ad sinum Arabicum, docente Mel. I, 10., „magis laeta et ditior, ture atque odoribus abundat." cl. III, 8, 6. Hinc *terra dives* II, 2, 4. *Arabs tener*, II, 2, 4. *Eoi Arabes* III, 2, 24. quia orientales terrarum partes tenent.

Arar, Galliae fluvius per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum fluens, I, 7, 11. hod. *Saone*. Conf. Caes. de B. G. I, 12.

Araxes, fluvius Armeniae, ad quem Scytharum regina, Tomyris, Cyrum superavit, *vagus* IV, 1, 144. De cursu fluvii v. Mela III, 5, 5; de historia Iustin. I, 8.

Areccaei campi, v. not. ad IV, 1, 143.

Aretium, civitas Etruriae in Italia Apenninis vicina, *ager Aretinus* IV, 8, 4. hod. *Arezzo*.

Armenia, regio Asiae circa Euphratem et Araxem, *Armenii odorati* I, 5, 36. propter frutices bene olentes, qui apud eos na-

scuntur et unguentis conficiendis inserviunt; *Armeniae tigres* III, 6, 15. cl. Prop. I, 9, 19.

Arnus, fluvius Aretini agri, IV, 8, 4. v. Strab. V, 10. ὁ Ἄρνος ποταμὸς ἐξ Ἀῤῥητίου φέρεται.

Artacia, fons Laestrygonum terram irrigans, IV, 1, 60. cl. Hom. Od. X, 107.

Arupinum, Iapydum urbs, cuius incolae propter agrorum sterilitatem inter montium iuga pauperes et bellicosi erant, IV, 1, 110., ubi omnibus corrigendi tentaminibus praeferre malim: *Arupinis — in armis.* Cetera vid. ap. Strab. VII. et Appian. in Illyr.

Ascanius, Aeneae filius, conditor Albae longae, II, 5, 50.

Assyria, propr. regio inter Euphratem et Tigrim; tempore Augusti sensu latiori Syriam quoque complectitur. Feracissima est thure, herbis odoris, hinc *pinguis Assyria* III, 2, 24. *odores Assyrii* I, 3, 7., nisi epitheta *Syrius* et *Assyrius* ad eas retuleris merces, quae ex India et Arabia in Syriae et Phoeniciae maritima oppida convectae, inde a mercatoribus Romanis deferebantur, v. Mitsch. ad Hor. II, od. 7, 8.

Atax, fluvius Galliae prope Narbonem, I, 7, 4. Hod. *Aude*, cf. Mela II, 5.

Aurora, dea, *roseis equis portans Luciferum* I, 3, 94. Poëtis fingitur aut bigis, ut Virg. Aen. VII, 26., aut quadrigis vecta, qualem exhibet unum de vasis, quae describuntur in libro: Description des tombeaux de Canosa par Millin. 1816.

Auster, ventus, ut persona, *hibernus fundit aquas gelidas* I, 1, 47. cf. *pluvius Auster* Ovid. Met. I, 66.

B.

Bacchus, ad quem seriores retulerunt unum, quaecunque antiquitas pluribus eiusdem nominis diis attribuit, *proles Semeles* III, 4, 45. *candidus* III, 6, i. e. formosissimus; vinearum custos, huic ager Falernus eius *cura*, I, 9, 34. Tutelaris quoque poëtarum deus una cum Apolline et Musis colitur, III, 4, 43 sq. cl. Prop. II, 5, 26. III, 2, 7 sq. quamquam vestigia huius sodalitatis in monumentis unquam apparere negat Hirtius in libro: Bilderbuch cet. part. I, p. 80. Bacchi *e cornibus uva pendet* II, 1, 3. ibi Broukh.; *tempora vinctus hedera* III, 6, 2, cf. Hirt. l. c. p. 81. Passim pro *mero*, *vino* deus ponitur, I, 2, 3. I, 9, 61. Cognomina occurrunt 1) *Liber*, III, 6, 1. 19. tamquam liberans animum curis, cf. *Liber pater* Iustin. XII, 7. Ad eandem fere notionem accedit 2) *Lyaeus*, III, 2, 19. ubi pro *vino* est,

cl. Prop. II, 33, 35. a λύειν. [3]) *Lenaeus*, III, 6, 38. a v. ληνὸς i. e. torcular. De his aliisque Baccho propriis cognominibus vid. Ovid. Met. IV, 11—17.

Baiae, Campaniae urbs, Neapoli vicina, fontibus calidis celeberrima, *Baiarum lymphae* III, 5, 3. cf. Tzsch. ad Mel. II, 4, 9.

Bellona, dea ex Cappadocia, ut colligere licet ex Hirtii lib. de bello Alex. 66., Romam translata fuisse videtur, ubi a mulierculis et superstitiosis fraterculis inter bella civilia colebatur. In sacris eius cum furore celebrari solitis sacerdotes, humeris ac lacertis more insanium caesis, urbem vaticinantes percurrebant, I, 6, 45 sqq. v. intpp. ad Minucium Fel. 30. Iuv. IV, 123.

Bona foeminarum Italicarum dicebatur dea, I, 6, 22. etiam *laudanda* III, 5, 8. vero nomine occultato. Sacra eius Calendis Maii celebrari solita *maribus non adeunda* I, 6, 22.

Britanni ad Claudii Imp. usque tempora Romanis armis intacti fuerunt, hinc *invictus Romano Marte Britannus* IV, 1, 150, Messalae nimirum aetate. Conf. Horat. Epod. VII, 7. Inter hostes Romani nominis haud erant ultimi, v. Prop. II, 27, 5. ubi una cum Parthis iuncti pro hostibus quibuscunque memorantur.

C.

Cadmus, Thebarum in Boeotia conditor, cuius filia Agave furore Bacchico percussa Pentheum filium suum in monte Cithaerone dilaniabat; hinc Pentheus *Cadmeae matris praeda cruenta*, III, 6, 24. Vid. Apollod. III, 5, 2. Ov. Met. III, 701 sqq.

Calypso, filiarum ex Nereo et Doride aliqua, in Ogygia maris Atlantici insula regnans, hinc *Atlantis Calypso* IV, 1, 77. Ulysses ad eam delatus erat tempestatibus, cf. Prop. I, 15, 9.

Camenae, sive Musae, pro facultate poëtica, IV, 1, 24. pro carmine ipso, IV, 7, 3. Antiquis temporibus Camenae erant mulieres fatidicae, quae versibus vaticinia sua composita edebant, serius cum Musis confusae, v. Heyn. Exc. V. ad Aen. VII. Ov. Met. XIV, 434.

Campania, provincia Italiae mediae, hod. terra di Lavora, fertilitate celeberrima, hinc pro quibusvis agris feracissimis, I, 9, 34. cl. *pinguis Campania* Prop. III, 5, 5.

Canis, sive *Canicula*, *Sirius*, stella primae magnitudinis, qua oriente aestus saevit vehementissimus, *aestivus*, I, 1, 27. I, 4, 6. *torret arva siti* ibid. 42. *findit agros* I, 7, 21. Vid. Mitsch. ad Hor. III, 29, 18. In fabulis iste perhibetur canis fuisse, qui

Erigonen, Icari filiam, eo allexerit, ubi pater occisus fuerit, IV, 1, 11.

Carnuti, alias *Carnutes* in Gallia Aquitania, Ligerim flu- vium attingentes, *flavi*, I, 7, 12. a capillorum colore dicti, v. Broukh.

Carystos, Euboeae insulae oppidum, marmore viridis colo- ris et columnis celebratur, III, 3, 14. Hinc *opulentissima urbs* Melae II, 7, 9. cf. Martial. IX, 76, 7.

Castalia umbra, III, 1, 16. e. nemus ad fontem Castalium in monte Parnasso; et fons et nemus Musis sacra sunt.

Catullus, Caius Valerius, Veronae natus 668. a. Chr. carmi- nibus lyricis et elegiacis celeberrimus. Ad imitationem Graeco- rum, inprimis Sapphus et Callimachi, sua saepe composuit, hinc *doctus*, III, 6, 41. cl. Martial. I, 62. VII, 98. De quo v. *doctus* usu vid. Cic. de off. I, 1.

Cerberus, canis mortuorum custos, *excubat ante fores* int. Tartari, I, 3, 72. ibi not. In iubis colli villisque capitis cen- tum gestat serpentes, inde *ore serpentum stridet* I, 3, 71. *audax* I, 10, 35.

Ceres, arvorum et frugum dea, *de coelo prospicit arva sua*, II, 5, 58. si quidem ea sibi credita tuetur; *distendit horrea plena spicis*, II, 5, 84, copiam frugum largiens; *arva colit* IV, 1, 164. Eius caput spicis cinctum, i. e. corona spicea, II, 1, 4. hinc *flava* Ceres I, 1, 15. v. Spanh. ad Callim. in Cer. 2.

Charybdis, vortex freti Siculi Italiam inter et Siciliam, na- ves absorbens, *violenta* IV, 1, 73. cf. Virg. Aen. III, 420. Ov. Met. VII, 63 sqq. Mela II, 7, 14. Antiquam de Charybdi fabu- lam habet Hom. Od. XII, quem auctor carminis ad Mess. sequu- tus est.

Chimaera, mons Lyciae ignem vomens, v. Mel. I, 15. Poë- tis autem fingitur monstrum triforme, capite leonis, corpore ca- prae, cauda draconis, ignem faucibus evomens, *flammam vol- vens ore fero* III, 4, 86. cf. Serv. ad Virg. Aen. VI, 288. Ovid. Met. IX, 646 sqq.

Chios, insula maris Aegaei prope Ioniam, hod. *Scio*, vino dulci et miti celeberrima; *Chio cado* II, 1, 28. i. e. Chii vini, quod cum Falerno austeriori veteres miscebant.

Choaspes, amnis Mediae in Tigrim decurrens, e quo solo Parthorum reges bibebant; *regia lympha* IV, 1, 141. v. Plin. Hist. III, 31.

Cicones, gens Thraciae prope fluvium Hebrum, Mel. II, 2., quos Ulysses, ventis eo delatus, debellavit; *Ciconum manus re- pulit armis* IV, 1, 54. cl. Prop. III, 12, 25.

Cilices, incolae Ciliciae in Asia min. provinciae, feri et bellicosi; *intonsi* I, 7, 16. *Cilicum victae catervae* I, 2, 69.

Cimmerii, populus fabulosus, ab Hom. Od. λ, 13 sqq. in regionibus occidentalibus ad fines Oceani collocatus, tenebrisque perpetuis et nebulis involutus, hinc *arces obscurae Cimmeriorum*, IV, 1, 64. Recentiores cum Lycophrone, Silio, Ephoro circa Baias et Cumas prope lacum Avernum illos ponunt, v. Serv. ad Virg. Aen. VI, 107. Ov. Met. XI, 592. Huc spectant *lacus Cimmerii* III, 5, 24.

Circe, Solis et Persae filia, soror Aeaetae, insulam incolebat Aeaeam, artis magicae peritissima, II, 4, 55. *docta*, IV, 1, 61. Conf. Hom. Od. X, 133 sqq. et Heyn. Excurs. I. ad Aen. VII.

Cos, maris Aegaei insula, nobilitata vestibus tenuibus ex bombyce sive vermibus confici et texi solitis, *femina Coa*, II, 3, 75. *vestis Coa*, II, 4, 29.

Cres, collective, IV, 1, 9., Cretae in mari mediterraneo incolae, quorum aliquos Apollo, quum, Pythone occiso, templum condidisset, sibi delegisse, ut sacra facerent, perhibetur, v. Hom. hymn. in Apoll.

Cuma, sive *Cumae*, urbs Campaniae, ubi vasa terrena fabricabantur, *Cumana rota ficta lubrica terra*, II, 3, 70.

Cydnus, Ciliciae fluvius Tharsum urbem praeterfluens, purus et placidus, hinc *tacitis undis leniter serpens* I, 7, 13 sq. ibi not. cf. Mel. I, 13, 1.

Cynthius v. *Phoebus.*

Cypria v. *Venus.*

Cyrus, Persarum rex satis notus, *dementia Cyri* IV, 1, 142. vid. *Gyndes.*

Cytherea v. *Venus.*

D.

Danaus, Beli filius, cuius proles, int. quinquaginta filiae, *Veneris numina laesit*, I, 3, 79. hoc nimirum scelere, ut omnes, si discesseris ab Hypermnestra, totidem Aegypti, qui frater erat Danai, filios matrimonio sibi iunctos una nocte trucidarent. Poenam in Tartaro luebant dolia perforata replendo aqua, I, 3, 80. v. Apollod. II, 1.

Delos, maris Aegaei insula, ubi Latona peperit Apollinem, hinc *tua Delos*, *Phoebe* II, 3, 29. *Delius* III, 4, 79. pro die, III, 6, 8. et Dianam, quae *Delia* inde dicitur, IV, 3, 5.

Diana, artis venatoriae dea, castitate insignis, cui igitur casti commendantur, IV, 3, 19. Cognomen eius *Dictynna*, I,

4, 25. Cretensibus domesticum ab aliis deinde quoque usurpatum est, v. Heyn. Excurs. ad Cirin vol. IV. p. 167 sq. Spanh. ad Callim. in Dian. 190.

Dis, sive *Pluto*, inferorum deus, cui pro sacrificiis nigrae oves et merum lacti mixtum offeruntur, III, 5, 33. *Ditis aqua pallida*, III, 1, 28.

Domitius Marsus, auctor epigrammatis Tibulli carminibus annexi, qui, teste Quinctil. Inst. VI, 3, 102. Sp., de urbanitate diligentissime scripsit, Augustei aevi poëta isque epigrammatum auctor nobilis habitus est, vid. Phylargyr. ad Virg. Ecl. III, 90. Martial. II, 71.

E.

Eleus, ab Elide, urbe et regione Peloponesi certaminibus in honorem Iovis Olympii institutis nobilissima, *carcer* I, 4, 32. i. carceres. Conf. Mela II, 3, 4.

Elysii campi in inferis, piorum III, 5, 23. IV, 15, 2. et amantium I, 3, 58. sedes, ad quam poëtae omnia aureae aetatis commoda et amoenitates transferre solent., v. Heyn. ad Virg. Aen. VI, 637. Mela II, 7.

Eous, ab ηώ, de omnibus, quae sub ortum solis sitae sunt, regionibus, aquis cet. *Eoi Arabes*, III, 2, 24. *Eoum mare* II, 2, 16. i. arabicum; *Eoïs aquis*, IV, 2, 20.

Erigone, Icari filia, quae patris ab agrestibus occisi conspectu perculsa se suspendit, et a Baccho inter sidera relata signum Virginis habetur, IV, 1, 11. v. Apollod. III, 14. Ov. Met. X, 451.

Erythraeum littus, III, 3, 17. de mari Indico, IV, 2, 19., cui, teste Curt. VIII, 9, 14. ab Erythra rege inditum est nomen; propter quod ignari rubere aquas credunt. cf. Mela III, 8, 1. „Rubrum mare Graeci, sive quia eius coloris est, sive quia ibi Erythras regnavit, Ἐρυθρὰν θάλασσαν appellant.“

Etrusci fontes III, 5, 1. dicti ab Etruria Italiae regione ad mare Tuscum sita, et salubritate celeberrimi.

Eurus, ventus qui ab ortu solis spirat, *Eur. Notusque iactat vota per Armenios* I, 5, 36. e. vota sunt irrita ac vana. Saepius pro quovis vento ponitur, v. Prop. II, 26, 35.

F.

Falernus ager in Campania, vini generosissimi ferax, hinc *Bacchi cura* I, 9, 34. *Falernos fumosos* II, 1, 27. int. cados. *Falerna vina* III, 6, 6. Vid. Plin. hist. III, 5. XIV, 6.

Fata, deae, conditiones ac vicissitudines vitae humanae gubernant, III, 3, 35, ubi cum Parcis iunctae sunt; III, 5, 32.

Fortuna sive *Fors*, dea, eventui rerum atque conditioni temporum imperat, sua non firma ac certa voluntate, *tempora sua lege gerit* III, 3, 22. *levis* I, 5, 70. Rotae insistens a poëtis, v. ibid., et ab artificibus adumbratur, ut et Fatum. Imaginem exhibet Broukh. p. 119. cl. Hirt. Bilderb. t. I. p. 96 sq.

G.

Garumna, fluvius Galliae Narbonensis ex monte Pyrenaeo delabitur, *magnus*, I, 7, 11. v. Mela III, 2, 5. Hod. *Garonne*.

Genius, iuvenilis Romanorum deus, qui mortalem naturam humanam tueri credebatur, et iuxta Lares in foco sedem habebat, vultu mutabilis, albus et ater. „Veteres enim, teste Plin. hist. II, 7., singuli ex semetipsis totidem deos faciebant, Iunones Geniósque adoptando sibi." Ac Genii quidem virorum, Iunones feminarum erant. Illos in precibus et obtestationibus vocabant viri, IV, 5, 8, et non natali solo die, quo Genius appellabatur Natalis deus, coronare, ungere, vino, thure liboque colere solebant eum, II, 2, 5. IV, 5, 9. sed et diebus festis aliis, I, 7, 49. cl. Hor. Epist. II, 1, 143. H. Voss. ad Virg. Georg. I, 302.

Getae, v. not. ad IV, 1, 147.

Gnosia est Ariadne, Minoïs filia regis Cretensis, qui sedem Gnosi habebat. A Theseo perfide illa derelicta, *Theseae quondam periuria linguae*, III, 6, 39. v. Ovid. Her. X.

Gylippus, dux Lacedaemoniorum contra Athenienses missus, *Gylippi fama*, IV, 1, 200. v. Iustin. IV, 4 sq.

Gyndes, Assyriae fluvius, quem Cyrus Babyloniam occupaturus per 360 alveos derivando comminuit, in quo opere efficiendo tantum temporis consumsit, ut Babylonii viribus collectis eum aggrederentur, hinc *Cyri dementia*, IV, 1, 142. Conf. Herodot. I, 189. Senec. de ira III, 21.

H.

Haemonius i. q. Thessalus; nam Thessalia, Graeciae provincia, ab Haemone rege, Thessali patre, appellabatur Haemonia; *Haemonius Peleus*, I, 5, 45.

Hebrus, fluvius maximam Thraciae partem percurrit, et effunditur in mare Aegaeum, IV, 1, 147. v. Tzsch. ad Mel. II, 2, 2.

Hecate triplicem, Lunae in coelo, Dianae in superficie terrae, ubi venaticae rei, vel Ilithyia cognominata partubus praeest,

Hecates apud inferos, ubi magicis artibus nocte exercendis et nocturnis simulacris patrocinatur, personam gerere creditur, hinc *novem dedit vota* Tibullus, I, 5, 16. Eadem de caussa triceps, triformis dea, *τρίμορφος*, *τρισσοκάρηνος*, fingitur, v. Ov. Fast. IV, 746. Met. VII, 194. Canes eam ululantes comitantur, I, 2, 54. Cognomina eius sunt: *Trivia*, I, 5, 16. *Lucina* III, 4, 13. tamquam nocturnos terrores depellens.

Herophile, vates, Apollinis Sminthei sacerdos, *grata Phoebo admonuit*, II. 5, 68.

Hispania, Europae terminus a Iustin. I, 1. vocatur, *audax* IV, 1, 139. ut *fera Iberia* Hor. IV, 5, 27. de bellicosis, fortibus incolis.

I.

Iapydia, regio Illyrica, prope Istriam, *victa*, IV, 1, 108. sc. ab Augusto a. 719. Hod. *Morlachia.*

Icarus, Daedali filius, Atticam incolens vinum a Baccho, quem liberaliter exceperat, hinc *Baccho iucundior hospes* IV, 1, 9., acceptum cum quibusdam pastoribus communicavit. Hi quidem venenum se accepisse rati Icarum interfecerunt. A Baccho inter sidera relatus, ubi Arcturus vocatur, *testantur sidera* IV, 1, 10. v. Lucian. dial. Deor. XVIII.

Idaeus a monte Ida in Phrygia dictus, I, 4, 68. cf. *Ops.*

Ilia, quae alias *Rhea Silvia*, Numitoris regis filia, sacerdos Vestae, ex fluvio Anione aquam haustura excipitur a Marte, cui deinde partu gemino Romulum et Remum edit; *Marti placitura sacerdos* II, 5, 52. Memoratur Horatio III, 9, 8.

Ilion, urbs Troianorum in Phrygia, II, 5, 22.

Indi, provinciam Asiae interioris amplissimam eandemque gemmis, aromatibus et aliis rebus pretiosis nobilitatam incolunt, *felices* II, 2, 15. i. q. *dites* Prop. III, 4, 1. Aestu solis torrentur, II, 3, 77. hinc *niger Indus* IV, 2, 20. cl. *decolor India* Ov. Met. IV, 21. Prop. IV, 3, 10. Latiori interdum sensu Indi dicuntur extremi Asiae populi ad Oceanum siti, v. Heyn. ad Virg. Aen. I, 489. Excurs. XIX.

Isis, Saturni et Rheae filia, Osiridis soror eademque uxor, Aegyptiorum eadem fere dea, quae Romanorum erat Ceres. Cultum eius aeque et aliorum peregrinorum numinum aetate Caesarum Romam translatum molliores inprimis hominum et amantes prosequebantur, et quidem in pluribus aediculis. Quicunque religionibus Isiacis sese dabant, lineis vestibus integebantur, I, 3, 30. cl. Suet. Oth. XII. Apulei. Apolog. Sistra aenea pulsabant

manu, I, 3, 24. Bis quoque die laudes deae canere solebant, I, 3, 31, prima nempe hora, quum templum aperiebant et deam salutabant, deinde hora octava, qua, postquam totum diem emendicarant stipem, ad templum redibant idque claudebant. In sacris eius celebrandis matronae in casto esse debebant per decem dies, I, 3, 25 sq. v. intpp. ad Prop. II, 33. init. Potestatem in res maritimas ei tribuerunt, quapropter, qui naufragio sive aliis periculis liberati erant, tabellas ei suspendebant, I, 3, 28. De Isidis cultu et sacris praeter alios a Kuin. ad Prop. l. l. vocatos v. Böttigeri Commentatio in Actis sem. phil. Reg. Lips. vol. I. p. 265 sqq. et dissert. inscripta: „die Isis — Vesper nach einem Herculanischen Gemälde von Böttiger" in libro: Minerva, Taschenb. für d. Jahr 1809. Lips. 1808. p. 95 sqq.

Ithace, IV, 1, 48., insula maris Ionii „Ulyxis nomine maxime illustris" Mel. II, 7, 10. Vid. de insula Odyss. IX. Ipsum quoque insulae oppidum Ithaca dictum fuit.

Iuno, coniugiorum praeses, Pronuba, a nubentibus, amantibus iurando invocatur III, 6, 48. A maritis quoque, qui verbis fidem facturi sunt apud feminas, testis vocatur illa, IV, 13, 15. *Natalis*, IV, 6, 1; singulae enim mulieres, ut viri suos Genios, Iunones colebant suas natali die sacrificiis, thure, libo, vino, IV, 6, 1. 14.

Iupiter, Saturno patre e regno terrarum depulso, deorum et hominum rex factus est, *victor*, II, 5, 10. Sub eo homines prisca vitae simplicitate et continentia deserta in deterius abeunt, I, 3, 49 sq. cl. Ov. Met. I, 113 sqq. Coeli dominator et effectuum naturae auctor pluviam mittit, *Iovi Pluvio*, I, 7, 26. *fulmina eius imperio missa*, I, 2, 8. Vota et preces amantium ridet et irritas reddit, I, 4, 23. III, 6, 49. In Capitolio templum habet, *Iovis in arce*, II, 5, 26. Aeneae cum Troianis in Latium venienti *Laurentes agros adsignat*, II, 5, 41. Sacris adfuturus linquit *Olympum curru vectus* IV, 1, 131.

Ixion, rex Thessaliae Iunoni vim illaturus in Tartarum deiicitur, ubi ad rotam alligatus assidue volvitur, *Ixionis versantur membra*, I, 3, 73. v. Ov. Met. IV, 460 sqq.

L.

Laestrygones, Formias Campaniae inhabitantes, *inculti*, IV, 1, 59. Nam crudeles erant et humanis vescebantur corporibus, ἀνθρωποφάγοι, Hom. Od. κ, 120.

Lares, dii tutelares 1) agri et villae, I, 1, 20, quibus pro modo agrorum vel porcus, I, 10, 26. vel agna sacrificatur, I, 1,

23. et coronae imponuntur in diebus festis, II, 1, 60. cl. Hor. III, 23, 15 sq. 2) domus et rerum domesticarum, I, 3, 34. I, 10, 15.; hinc pro ipsa domo, II, 4, 54. cl. Hor. I, 12, 44. 3) familiae, i. q. Penates, II, 5, 20. 42. Conf. Alexander ab Alex. II, 22. „Lari quoque familiari Calendis, Idibus et Nonis, corona in foco indita pro aris focisque proque familia supplicatur. Quae quidem sacra ex hordeacea pulte, libo, farre, vino et thure cum sale et salino sunt fieri solita; cui etiam particulas coenarum et singulorum fructuum primitias sacrarunt." De diis Laribus disseruit et edidit Tob. Hempelius. Zwicc. 1816. 8.

Latona, mater Apollinis et Dianae, II, 3, 23. III, 4, 72. *Latonia Luna* III, 4, 29. est Diana, quae seriori aetate cum Luna commutata est.

Lavinium, urbs Latii ab Aenea condita et nominata a Lavinia, Latini filia, quae coniux erat Aeneae, *Lavinii murus* II, 5, 49. cf. Iustin. 43, 1.

Laurens castrum, prima Troianorum sedes ad orientale Tiberis littus, ab Aenea munitum, II, 5, 49. Prope abhinc *Laurentes* agri siti sunt, sive *Laurentum*, ubi Latinus rex Aeneam profugum excipiebat, II, 5, 41. v. Heyn. Exc. III. ad Aen. VII.

Lethe, fluvius apud inferos, qui oblivionem rerum omnium inducere credebatur, *Lethaea ratis*, III, 3, 10. III, 5, 24. *Lethaeae aquae*, I, 3, 80.

Liger, flumen Galliae, quod, teste Caes. de B. G. VII, 5, Bituriges ab Aeduis dividit, *caerula lympha* I, 7, 12. Hod. *Loire*.

Lotos, regio Africae descripta Melae I, 7, 5. his verbis: „Promontorium est Borion, ab eoque incipiens ora, quam Lotophagi tenuisse dicuntur, usque ad Phycunta (et id promontorium est) importuoso litore pertinet." Eo delatus fuit Ulysses, IV, 1, 55.

Lucifer, stella diem praecedens, hinc *provocat diem*, I, 9, 62. Antiqui eum alatum, v. H. Voss. mythol. Briefe, II, p. 9., seriores nunc equo, ut Ov. Met. XV, 189., nunc curru vectum fingunt, hinc *rota Luciferi*, I, 9, 62, ibi Heyn., Dous. fil. in Coni. ad Tib. c. III. Burm. ad Lotich. IV, 2, 20. Etsi enim cum Broukhusio H. Vossius, alii, Lucifero currum tribui negantes rotam de orbe accipiunt, vix tamen aliquis expediat, quid equi, axis sibi velint, nisi de curru intelligantur, v. Ov. Fast. III, 518 sq. Pont. I, 457 sq. Albinov. in obit. Maecen. 132. Lucifer etiam pro ipso die, I, 3, 94. cl. Prop. II, 19, 28. Ov. Fast. III, 772.

Luna, Latonae filia, *Latonia*, III, 4, 29. Tribuuntur ei, ut Phoebo Soli, quadrigae, v. Hirt. Bilderb. tab. V, 3. Hinc dicitur a sagis *deduci e curru*, I, 8, 21. *recurrit versis equis*, II, 4, 18

Lydius, a provincia Asiae minoris prope Ioniam, *Lydia regna* IV, 1, 200. *Lydius amnis aurifer*, III, 3, 29. e. Pactolus, ex Lydiae monte Tmolo ortus, aureas arenas secum ferens.

M.

Macer, *Aemilius*, II, 6, 1., Veronensis, Virgilio et Tibullo fere aequalis, et maior natu Ovidio, v. Trist. IV, 10, 43. Scripsit de Volucribus, Herbis, Serpentibus carmina, e quibus fragmenta apposuit. Broukh. ad h. l. Mortuus est, teste Eusebio, a. 737. Ab hoc Macrum, Ovidio amicum, qui Iliaca composuit, v. Ov. Pont. IV, 16, 6. II, 10, 21. recte iam secrevit Maffeus in Verona illustrata II, 19.

Manes mittunt somnia, II, 6, 37. cf. Eurip. Hec. 71. χθὼν [e. tellus infera] μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. Heyn. ad Virg. Aen. VI, 283.

Marathus, iuvenis formae pulchritudine insignis et a cultu morum commendatus, a Tibullo, I, 4, 81. aeque et ab Pholoë, puella, I, 8, amatur. Suspicari quidem licet, eum duxisse nomen a Maratho, Phoenicum urbe, de qua v. Mela I, 12. cf. Broukh.

Marcia lympha, III, 6, 58. De qua Plin. hist. 31, 3. haec habet: „Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, praeconia Urbis, Marcia est; inter reliqua deûm munera Urbi tributa — Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in praetura." Vid. Vulp. ad illum Tib. locum.

Maroneus, a Maronia, oppido Thraciae ripis fluvii Schoeni adiacente, Mel. II, 2, 8, et vini cultura nobilitato, v. Plin. hist. XIV, 4. hinc *vinum Maroneum*, IV, 1, 57.

Mars, bellorum praeses, *audax*, IV, 1, 98. Pro bello, *vicinus* IV, 1, 138; pro acie, *duplex*, IV, 1, 103. pro bellica virtute, *Romano M. invictus*, IV, 1, 150. *Martia classica*, I, 1, 4. *castra*, I, 2, 70. A Marte quoque denominatae sunt *Calendae Martiae*, i. e. primus Martii mensis dies, quo Romani inde a Romulo et Numa ad Iulianam usque descriptionem incipiebant annum. Istas Calendas, Iunoni coniugiorum praesidi sacras sub Matronalium nomine celebrabant, nec mariti soli, sed amantes munera sibi invicem mittebant, III, 1, 1 sqq. IV, 2, 1. cl. Ovid. Fast. III, 167 sqq. Schol. ad Hor. III, 8.

Medea, II, 4, 55., Aeetae regis Colchorum filia, arte venefica famosa, *malae Medeae herbae* I, 2, 53.

Melampus, filius Amythaonis, *Amythaonius*, IV, 1, 120.

arte divinandi celeberrimus, *vates* ap. Prop. II, 3, 51. v. Hom. Od. o, 223. et Apollod. I, 9.

Meles, fluvius ipsos Smyrnae urbis in Asia minori muros alluens, *chartae Meleteae*, IV, 1, 201. s. carmina Homerica, quia amnis illius filium Homerum tradidit antiquitas.

Memphis, clarissima et olim primaria Aegypti urbs; *Memphites bos* I, 7, 28. int. Apis, de quo Plin. VIII, 46. haec tradidit: „Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant. Non est fas, eum certos vitae excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quaesituri luctu alium, quem substituant, et, donec invenerint, moerent derasis etiam capitibus; nec tamen unquam diu quaeritur. Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus.“ De his sacris consul. Herodot. III, 28. Mel. I, 9, 7.

Mermessia, Sibyllarum aliqua, a Mermesso, vico in monte Ida, appellata, II, 5, 67. Hellesponticam dicit Lactant. I, 6, 12. a Marmesso vico.

Messalinus v. argum. ad II, 5.

Minerva, artis lanificae et textoriae inventrix ac praeses, *textis Minervae operata*, II, 1, 65. Coma colore flavo insignis, per quam elegantiores hominum obtestantur, I, 4, 26. Gr. ἠΰκομος, ξανθή.

Minoïs, Ariadne, a patre Minoë, Cretarum rege, dicta, III, 6, 41.

Molorchus, docente Serv. ad Virg. Georg. III, 19., pastor fuit, qui Herculem, venientem ad occidendum Nemaeum leonem, suscepit hospitio, hinc *tectis Molorcheis* IV, 1, 13. v. Apollod. II, 5, 1. plura ap. Broukh.

Mopsopus, vetus Atheniensium rex, hinc *Mopsopium mel* I, 7, 54. i. q. Atticum, inprimis Hymettium, a monte Hymetto in Attica.

Mosyni, IV, 1, 147., a Plinio VI, 4. in Ponticis populis numerati, non refragante Pomp. Mela I, 19, 10. Tanaim in Pontum Euxinum irrumpere, tradit Arrianus, et Ov. Pont. IV, 10, 55. unde lectioni vulg. *Mosynos* aliquid praesidii petatur.

Mors atra, I, 3, 4 sq. I, 10, 33. *adoperta caput tenebris*, I, 1, 70. imagine ab iis adumbrata, qui lugentes caput velarent. *Avidae manus m.* I, 3, 4. *rapax*, I, 3, 65. *tacito venit pede*, I, 10, 34.

N.

Naïs, sive *Naias* pro diversitate metri, cf. Burm. ad Lotich. p. 227., collect. nymphas aquarum designat pro ipsis aquis;

hinc *Naïda Bacchus amat*, III, 6, 57. cf. Hor. II, od. 19, 3. III, 25, 14. De sensu v. notam.

Natalis vid. *Genius*.

Neptunus, cuius filius Polyphemus, Cyclops, vino inebriatus ab Ulysse oculo suo privatus est, *lumina foedatus*, IV, 1, 55. *incola rupis Aetnaei*, ibid., quia Cyclopes a serioribus post Homerum scriptoribus in Aetna ponuntur, v. Mela II, 7, 17. ibi Tzschuck.

Nereus, pro mari ipso, *per placidum Nerea*, IV, 1, 58. Filia eius Thetis, hinc *Nereïs*, I, 5, 45.

Nestor, Nelei, regis Pyliorum in Peloponneso, filius, *Pylos Nestora genuisse fertur*, IV, 1, 48 sq. Satis notus ex Hom. Il. α, 247 sqq.

Nilus, Aegypti fluvius, *pater*, I, 7, 23. communi fere fluviorum epitheto ad vim generandi et foecundandi designandam, cf. Eurip. Hec. 453. Virg. Georg. IV, 355. Val. Fl. V, 209. *in terris occul. caput*, I, 7, 24. propter fontes eius tunc ignoratos, v. Mitsch. ad Hor. IV, 14, 45. *fertilis*, I, 7, 22; nam „aestivo sidere exundans Aegyptum irrigat efficacibus aquis ad generandum alendumque" Mela I, 9, 3. Conf. de Nilo Diod. I, 10.

Nisus, rex Megarensium, Pandionis filius, qui in capillamento cano crinem unum purpureum, quo servato salvus ipse futurus sit, habuisse fabulis fertur, *Nisi coma purpurea* I, 4, 63. Conf. Ovid. Met. VIII, 8 sqq. ibi Gierig.

Notus, ventus ex regionibus meridionalibus spirans pluviam concitat, i. q. Auster, *Notos tepidos* III, 4, 96. Plurali numero positum, vel aliis adiunctum ventis pro quibusvis occurrit ventis, cf. *Eurusque Notusque*, I, 5, 35. cf. Virg. Aen. III, 268.

Nox, dea, II, 1, 87, Solis vestigia premens, postquam coelum evecta est curru vel quatuor, III, 4, 17. vel binis equis tracto, Aen. V, 721. Val. Fl. III, 211. Claud. Rapt. Pros. I, 275 sq., rotas Oceano imbuere fingitur, III, 4, 18. cl. Heyn. Excurs. II. ad Aen. II. Noctis liberi, *Sidera*, Orph. Hymn. VI, 3. Ἀστέρες οὐράνιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης, matris currum sequuntur, II, 1, 88. cl. Theocrit. II. fin. Ἀστέρες — Νυκτὸς ὀπαδοί.

Numicius amnis inter Laurentum ac Lavinium decurrens, ad quem Aeneas pugna sive cum Etruscis sive cum Rutulis facta interiisse, certe oculis sublatus, hinc ad deos abiisse creditus est. Ad ripam fluvii sacellum cum luco Aeneae dicarunt Latini, *deus Indiges* II, 5, 44. ἐγχώριος, v. Virg. Aen. XII, 794, ibi Serv. Numicii *unda* cur *veneranda* II, 5, 43. dicatur, caussam tetigerunt Serv. ad Aen. VII, 150. et Heyn. Excurs. III. Ad rem comp. Ov. Met. XIV, 581 sqq.

O.

Oceanus, totum terrarum orbem ambiens, *continet orbem* IV, 1, 148. A littoribus etiam interdum nomina sortitur, ut *Oceanns Santonicus*, I, 7, 10.

Olympus, coelum, deorum sedes, *altus*, I, 6, 83. *aeternus*, IV, 2, 13. dictus ad comparationem cum Olympo Homerico, monte Thessaliae, sive, auctore Mela II, 3, 2, Macedoniae. Hic ipse mons intelligendus est in carmine ad Messalam, IV, 1, 12. 132., quod composuit auctor ad Homericas fictiones.

Ops, Saturni soror eademque uxor, antiquitus agrorum et frugum dea Romanis culta fuisse videtur, id quod colligere licet e verbis Macrob. Sat. I, 10. „Hanc deam Opem Saturni coniugem crediderunt, et ideo hoc mense Saturnalia, itemque Opalia celebrari, quod Saturnus eiusque uxor tam frugum, quam fructuum, repertores esse credantur.“ Adde III, 9. ubi de tutelaribus Romae diis agens haec habet: „alii autem, quorum fides mihi videtur firmior, Opem Consiviam esse dixerunt.“ Diversa autem, ut in aliis, sic in hoc mytho, commixta sunt ab iis, qui fabulas interpretari sive de iis philosophari gestirent. Transtulerunt enim ad Opem ea, quae de Terra, sive Cybele, Deorum matre, circumferebantur. Huius quidem cultus Phrygiis erat proprius, hinc *Ops Idaea*, I, 4, 68. ab Ida, illius regionis monte. Currum eius a binis leonibus tractum, v. signum in *ed.* Broukh. descriptum, sacerdotes castrati sive Galli sectabantur cum strepitu cymbalorum et tibiarum, I, 4, 69 sq.

Orcus, inferorum Deus, Pluto, *dives*, III, 3, 38.

Osiris, ab Aegyptiis colitur deus, qui arationem, frugum ac vini culturam primum docuerit, I, 7, 27 sqq. Hinc apparet, quid caussae sit, cur eum Graeci et Latini confuderint cum Baccho, v. not. ad l. l. In Aegypto sacra eius cum luctu et lacrymis celebrari solita, I, 7, 43.

P.

Padaeus, collective, populus Indiae versus Auroram, hinc *Phoebo vicinus*, IV, 1, 146. Si quis aegrotavit, auct. Herodot. III, 99., eum mactare, atque eius carnibus vesci solebant. Deinde si quis sanus ad senectutem pervenit, eo itidem caeso epulabantur, *impia convivia celebrans* IV, 1, 145 sq.

Palatia, orum, Palatinus collis, antiquissimis temporibus abundabat gramine et pascuis, *herbosa P.*, II. 5, 25. cl. *nemorosa*, Prop. IV, 9, 3. Ov. Met. XIV, 822. Augustus hunc collem Apollini tamquam tutelari sacrum sibi elegit sedem.

Palaestinus vid. *Syrus*.

Pales, pastorum dea, cuius signum e ligno factum, *lignea*, II, 5, 28., lacte adspergere solebant, I, 1, 36. cl. Ov. Fast. IV, 746., in festis in eius honorem institutis, quae dicuntur *Palilia*, II, 5, 87., die XIII. Cal. Maii. Vid. de Palilibus Varro de re rust. II, 1. intpp. ad Prop. IV, 1, 19.

Pan, pastorum ac venatorum deus, in Arcadia primum et proprie cultus, a Romanis cum Fauno confusus; hinc capripes in signis exhibetur, et, ut Pales, lacte adspersus, *madens lacte*, II, 5, 27. Panes quoque cum Satyris, Bacchi comitibus commiscentur, v. Prop. III, 17, 34.

Panchaia, terra, de cuius situ non exploratum est, ad Arabiam felicem refertur a multis, v. ad Ov. Met. X, 309. Auctore Euhemero insulam Oceani australis Arabiae continenti adversam esse contendunt alii, v. H. Voss. ad Georg. II, 139. Tzsch. ad Mel. III, 88. Thure et omni aromatum genere feracissima, hinc *dives* III, 2, 23.

Pannonia, regio ab oriente Moesiam superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septentrione Danubium attingit, prius in superiorem et inferiorem, serius autem in plures partes divisa est; *Pannonius fallax*, IV, 1, 109. quia Sisciam urbem, quam Augusto se traditurος esse promiserant, acriter defendebant.

Parcae nascenti fila vitae nere, I, 8, 43 sq. simulque *canere* praedicere fata perhibentur, I, 7, 1., ibi Br. IV, 5, 3. Eaedem sunt *tristes Sorores*, III, 3, 35.

Pax, dea, inventrix culturae frugum ac vini, *alma*, I, 10, 67. *candida*, sive *candido sinu*, I, 10, 45. 68., ut niveis lacertis, et capite oleo vincto apud Petron. 124, 249 sq. Effingitur in numis plerumque cum cornu Amaltheae, pleno pomorum, uvarum, spicarum, atque aliarum ad vitam sustentandam utilium rerum, dextra tenens spicas, sinistra caduceum vel hastam. Vid. numos in ed. Br. p. 205. expressos. A qua quidem imagine qui discedunt, illius gremium sive sinum aristis, pomis al. onustum exhibent, e quo in terram effundat fructus. Et haec effigies animo Tibulli obversata est. Sunt autem Pacis eadem fere, quae Cereris, insignia.

Peleus, Aeaci filius, ad quem Thetis sponsa delphino insidens vecta erat, I, 5, 45. v. Apollod. III, 13, 5. Ov. Met. XI, 221 sqq.

Pelops, a Tantalo patre diis coctus aliisque cibis admixtus apponebatur. Quod quidem facinus quum animadvertissent dii, membra eius praeter humerum, quem Ceres consumserat, com-

ponebant. Eburneus igitur humerus ei datus est; *ex humero Pelopis non nit. ebur*, I, 4, 64. cf. Virg. Georg. III, 7. et quos ad Ov. Met. VI, 401. Gierig. laudavit.

Penates, dii, quos quaeque familia custodes ac praesides suos habet ac proprios, I, 3, 33. cl. Prop. IV, 1, 91. *patrii*, antiquitus, a patribus et maioribus culti, cf. *patrii Lares* I, 10, 15. oppos. peregrine allatis, cf. Heyn. Excurs. IX, ad Aen. II, et Brem. ad Nep. Them. VII.

Persephone, Proserpina, *denuntiat nigram horam*, III, 5, 5. i. mortem.

Phaeacia, Ionii maris insula, recent. Corcyra, hod. Corfu, *tellus*, IV, 1, 78. i. q. insula. Phaeaces vel ex Homero noti.

Pharos, insula Aegypti „Alexandriae ponte coniungitur" Mel. II, 7, 6. ibi Tzsch. Hinc *Pharia turba*, I, 3, 32. sacerdotes Aegyptii, nim. Isidis, cuius sacris illud epitheton proprium est ac peculiare, v. Broukh.

Phoebus Apollo [1]), deus poëtarum et citharoedorum tutelaris, *carminis auctor*, II, 4, 13. *praescribit carmina*, IV, 1, 179. perpetua floret iuventute et formositate, I, 4, 37. IV, 4, 2. cl. Ov. Met. III, 421. Ad citharoedorum habitum describitur palla ad talos defluente insignis, III, 4, 35. et lyram tenens, III, 4, 38. IV, 2, 22. cl. Ov. Met. XI, 165 sqq. Hirt. Bilderb. part. I. p. 31. Tab. IV, 4. Idem Apollo *mitis*, II, 5, 79. tamquam malorum, pestilentiae, agrorum sterilitatis depulsor, *ἀποτρόπαιος, ἀλεξίκακος*, hinc Pacifer dictus in inscriptionibus, v. Broukh., cl. Hor. carm. Saec. 33. oppos. iratus, qui telis iactis pestem et calamitates immittit, v. Hor. II, 10, 19 sq. Medicae artis inventor *medicas applicat manus*, IV, 4, 4. cf. Ov. Met. I, 521 sq. Vaticinia edit iisque praeest, II, 5, 68. Cavendum, ne cum eo confundatur:

Phoebus Sol, III, 4, 21. vel ex Ovid. Met. II. notus. Quadrigis coelum emetiri, *Solis viae*, II, 4, 17. et cursu per coelum transacto in Oceanum descendere, oriens autem ex Oceano ascendere fingitur, hinc *Sol caput extulit undis*, IV, 1, 124. Pro ipso sole, *Phoebo vicinus Padaeus*, IV, 1, 146. Perspicua est attributorum Apollinis et Solis discrepantia in monumentis. Cognomina feruntur: *Cynthius*, III, 4, 50. a Cyntho, Insulae Deli monte, natalibus Apollinis celebrato. *Delius*, III, 4, 79. III, 6, 8. eodem spectat.

Pholoë, puella incognita, libertina, fastidiis ac superbia famosa, I, 8, 69. Eiusdem nominis puella, Chloridis filia, ob eadem vitia notatur ab Horatio, v. I, 33. II, 5, 17. III, 15, 7. Illa cum nostra sit eadem, nec ne, vix aliquis expediat, neque magni est momenti.

Phrygius, a Phrygia, Asiae min. provincia, *Phrygio sono tibia*, II, 1, 86. e. tibia Phrygia, quae curvata erat, et graviorem edebat sonum, quapropter adhiberi solita inter sacrificandum; *Phrygii modi*, I, 4, 70. int. numeri tibiae Phrygiae, quibus sacerdotes Cybeles in furorem acti corpora dilaniabant sua; *Phrygiae columnae*, III, 3, 13. s. columnae Phryg. marmore, quod inprimis ad Synnada urbem caedebatur, cf. Hor. III, 1, 41. Martial. IX, 76, 8.

Phryne, cuiusdam lenae sive in rebus amatoriis ministrae nomen, II, 6, 45.

Pierides, I, 4, 61., Musae dictae a Pieria, quae Macedoniae est regio, „Musarum parens domusque" Mel. II, 3, 2. *Pierii lacus*, III, 1, 16. fontes in Parnasso et Helicone Musis sacri; *Pierii honores*, IV, 1, 193. i. carmina.

Poena, non Furiarum aliqua, sed proprio sensu intelligenda est dea, quae poenas infert flagitiis et celata quoque periuria, postquam in lucem ea protulit, ulciscitur. Graecorum eadem est *Δίκη*, *Νέμεσις*; *sera venit tacitis pedibus*, I, 9, 4. cl. Hor. III, 2, 31 sq. ubi *claudo pede* designatur. Huc pertinet fragmentum Eurip. Plutarcho servatum in libro de sera numinis vindicta p. 6. Wytt., ubi de *Δίκη* haec habes: — *σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ Στείχουσα μάρψῃ τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ.*

Priapus, Dionysi et Aphrodites vel, ut alii tradunt, Nymphae cuiusdam filius, antiquitus hortorum custos colebatur Lampsaci, urbe Mysiae ad Hellespontum sita, unde Priapus Hellespontiacus, Georg. IV, 111. Deinde et Graecis et Romanis deus vinearum, agrorum, hortorum tutelaris colebatur, cf. Antipat. Epigr. IV. Signum eius ligno factum, minio pictum, hinc *ruber custos*, I, 1, 17., falcem dextra tenens, I, 1, 18., repraesentabat virum senescentem, intonsis crinibus ac turbatis, I, 4, 5. De eo conf. H. Voss. myth. Br. II, 37. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 8, 2.

Pylos, Messeniorum in Peloponneso urbs, quae, docente Tzsch. ad Melam II, 3, 9., sita fuit sub monte Aegialeo ad mare, patria Nestoris IV, 1, 48. *Pylia fama*, IV, 1, 112. e. Pylii senis, Nest., fama.

Pyrene, montium iugum Galliam ab Hispania dirimens, v. Mel. II, 6, 1. ibi Tzsch. *Pyr. Tarbella* I, 7, 9. nominat. a Tarbellis, qui prope Pyrenaeos montes accolunt, sive quorum sedes a Pyrenaeo iugo ad flumen Atur. est. Caes. B. G. III, 27.

Pytho, oppidum Phocidis apud Parnasum, quod postea Delphi, de quo Tzsch. ad Mel. II, 3, 4. hinc *Delphica Pytho*, II, 3, 29. oraculo Apollinis celeberrima.

R.

Remus, II, 5, 24. *consors* i. q. frater Romuli, ab hoc, urbe nondum condita, occisus.

Rhodanus, Galliae Narbonensis fluvius, hod. Rhône, rapiditate fluminis notissimus, *celer*, I, 7, 11. cf. *impiger fluminum Rhodanus* Flor. III, 2. Mel. II, 5, 5. et Caesar passim.

Romana catena, IV, 1, 118. pro potestate, servitute, qua Romani obstrictos tenent, quos bello superarunt.

Rutuli, antiquissimus Italiae populus, qui, Aenea veniente, Latium tenebat, navibusque Troianis interitum parabat; *Rutulis castris* II, 5, 47. Rex eorum Turnus vel ex Aeneide Virgilii notissimus.

S.

Samos, Ioniae insula exiguo freto a continente disiuncta, de qua v. Tzsch. ad Mel. II, 7, 4. Celeberrima haec olim erat vasis terrenis, hinc *Samiae testae*, II, 3, 69. v. Plin. hist. 35, 12.

Santones, gens Aquitanica, inter Ligerim et Garumnam porrecta, teste Strabone; *Santonicus Oceanus*, I, 7, 19.

Saturnus, propr. rex Latii antiquissimus, v. Iustin. XLIII, 1., in cuius personam Romani transtulerunt aureum seculum et omnia cultioris vitae momenta, quae Graeci a *Κρόνῳ* suo repeterent. Inde factum, ut Latini *Κρόνον* et Saturnum pro uno eodemque numine colerent, I, 3, 35. cf. Virg. Aen. VIII, 319 sqq. Saturnus a filio Iove pulsus est regno, II, 5, 9. *Saturni dies sacra*, I, 3, 19., i. e. Saturnalia, quae XXVI. Cal. Ian. celebrari solita erant et quidem tempore Catulli [v. ad eum Voss. p. 39.] et Tibulli per unum diem, postea autem per aliquot dies. A Saturno nominatur filia *Saturnia*, Iuno, III, 3, 33.

Scylla, propr. petrosum in freto Siculo promontorium, quod, describente Mela II, 7, 14. „angustum et anceps alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, saevum, et Scyllae Charybdisque saevis nominibus inclutum. Scylla saxum est; Charybdis mare, utrumque noxium appulsis.“ Quum iste scopulus [hod. Sciglio] effigiem quandam fortasse humanam prae se ferret, fluctusque illisi sonum marinarum canum latratui similem redderent, poëtae monstrosam finxerunt formam, aliam Homerus, v. Od. XII, 73 sqq., quem auctor carminis ad Messalam imitando sequutus est, IV, 1, 71.; aliam seriores; hi enim virginem in corpore inferiori sex canibus marinis succinctam et in caudam piscinam exeuntem fecerunt; sic Tibullus III, 4, 89.

E recentioribus comp. Brydonius in libro, qui inscriptus: Reise nach Sicilien, t. I, epist. 3.

Scythia, asperitate et aëris et morum incolarum satis nota, hinc *barbara tellus*, III, 4, 91. De hac multi sunt Iustin. I. Mela II, 1. al.

Sibylla, vates quaedam, Erythris, Ioniae urbe, oriunda et cum colonis Cumam, urbem Campaniae, transiisse credita, hinc Cumana, quae *sortes dedit Aeneae*, II, 5, 19. v. ibi Heyn. et ad Aen. VI, 9. Exc. III. et V. Ovid. Met. XIV, 75 sqq.

Sidon, urbs pervetusta Phoeniciae, auct. Mela I, 12, 2. „maritimarum urbium maxima" literis artibusque iam Homero laudata, v. Il. XXIII. Peritissimi erant incolae arte inficiendi purpureo colore, hinc *murex Sidonius*, III, 3, 18. i. purpura Sidonia, quoniam succus e murice expressus purpureum dabat colorem.

Sirenes, auctore Hom. Od. XII, 39 sqq., tres erant deae, quae insulam quandam inter Circaeum montem et fretum Siculum incolebant, cantusque dulcedine navigantes alliciebant et detinebant; non ita Ulyssem, qui *Sirenum littora praeteriit*, IV, 1, 69. Aevo autem post Homerum alatae, serius, vultu quidem virgineo servato, inferiori autem corporis parte in avem desinente, humeris alatis, manu tibiam vel lyram tenente finguntur, v. Serv. ad Aen. V, 864. Signa illarum exhibentur in editione Broukh. p. 362.

Sol vid. *Phoebus*.

Somnus, deus, *fusco amictu*, III, 4, 55. aevo post Hom. alatus, *fuscis circumdatus alis*, II, 1, 89. fingitur, cl. Prop. I, 3, 45. Ov. Met. VIII, 823. cf. H. Voss. myth. Br. II, p. 35. Sic in monumentis exhibetur, v. effig. in ed. Br. p. 226. aliasque apud Gruterum et Hirtium. Eadem fere imagine repraesentantur.

Somnia, *nigra*, II, 1, 90. et alata, Eurip. Hec. 71. *incerto pede*, II, 1, 90. quippe somnia male cohaerent, et imagines rerum exhibent dormientibus nunc veras, nunc falsas, plerumque autem confusas et mendaces atque ineptas.

Syria, feracissima odorum et unguentorum, *Syrium nardum*, III, 6, 63. et *Syrius ros*, III, 4, 28. cl. Hor. I, 31, 12.

Syrtis, et maior et minor, sinus infra Siciliam ad littus Africanum, ille versus orientem, hic versus occidentem solem spectans, navigantibus uterque exitiosus propter vada arenosa, ad quae fluctus vehementer alliduntur, v. Mel. I, 7, 3 sq. hinc *Syrtis horrenda*, III, 4, 91.

Syrus Palaestinus, I, 7, 18. e. Syria, quae sensu latiori

Palaestinam complectitur, v. Mel. I, 11., Palaestinus incolens. Olim duplex Syria, una dicta Palaestina, altera Antiochia.

T.

Taenarus, Laconiae in Peloponneso oppidum marmore viridi et columnis eo exstructis nobilitatum, III, 3, 14. cl. *Taenariae columnae*, Prop. III, 2, 9. Plin. hist. 36, 7.

Tanais, Scythiae fluvius, quem plerique terminum Asiae et Europae ponunt, v. Mel. I, 1, 6. *rigat Mosynos*, IV, 1, 147. Hod. Don.

Tantalus, Iovis filius, sive quia illius arcana vulgavit, sive quia diis apud se coenantibus Pelopem filium coctum apposuit, in Tartaro sitiens flumina captat fugientia, I, 3, 77 sq. Vid. Hom. Od. XI, 581 sqq.

Tarbella vid. *Pyrene.*

Taurus, iugum montium totam fere Asiam percurrens, cuius summa cacumina in Cilicia potissimum fertilitate celebrantur, hinc *Cilicas alit nubes contingens*, I, 7, 15 sq. Vid. de Tauro Mel. I, 15. et Plin. hist. V, 27.

Theraeus colonus, IV, 1, 140. collective, intell. Cyrenaei regni conditores, qui ex insula Thera, de qua cons. Mela II, 7, 11., duce Batto profecti sunt, v. Herod. IV, 147 sqq.

Thessalia, herbarum venenatarum, sive furorem amatorium excitare creditarum, igitur in artes magicas efficacium feracissima, *quidquid herbarum gerit*, II, 4, 56. cf. Lucan. VI, 438 sqq.

Tiburs, II, 5, 69. qui Tiburtina regione oriundus, i. q. Tiburtus.

Tisiphone, Furiarum sive Eumenidum una, in aditu Tartari, aliis in aditu locorum inferorum collocantibus, furens, habet *angues pro crinibus*, I, 3, 69. cl. Prop. III, 5, 40. Alii Furiarum comas serpentibus implexas tradunt.

Titan, natus ex Hyperione, Titanum unus secund. Hes. Theog. 371. Serioribus poëtis pro Phoebo Sole dicitur, IV, 1, 51. *revocat annos*, IV, 1, 114. e. currendo efficit anni vicissitudines; *superegerit ortus*, IV, 1, 158. i. e. exoritur.

Titius, vid. argum. ad I, 4.

Tityos, filius Terrae, propter stuprum Dianae intentatum in Tartarum detrusus, ubi iecur perpetuo renascens a vulturibus ei dilaniatur; *pascit aves assiduas*, I, 3, 75. v. Hom. Od. XI, 575 sq.

Tomyris, Massagetarum regina, quae terminos imperii sui Araxe, Armeniae fluvio circumscripsit, IV, 1, 144. De ea conf. Iustin. I, 8.

Trivia v. *Hecate.*

Triumphus, ut deus invocatur ab iis, qui triumphantes imperatores comitabantur, II, 5, 118.

Turnus, Rutulorum rex ab Aenea singulari certamine victus, *barbarus* II, 5, 48. e. duris incultisque moribus, cl. Ov. Met. XIV, 574.

Tusci, sive Etrusci, ut aliis superstitionibus notissimi, sic artibus divinandi olim celeberrimi et tanta apud Romanos auctoritate valuerunt, ut suam illi auguralem disciplinam et in divinando artem ab iis peterent; hinc *exta probata Tuscis*, III, 4, 6. v. Cic. de divinatione I, 41. *Tuscia lympha*, III, 5, 29. de aquis Etruriae salubribus, cf. *Etrusci fontes* ibid. 1.

Tuscula tellus, I, 7, 57. i. urbs Tuscula, inter quam et montem Albanum via Latina procurrebat, quam stravit Messala.

Tyros, celeberrima Phoenicum urbs, *prima docta ratem ventis credere*, I, 7, 20. quia navigationis et mercaturae maritimae laude antiquitus florebant Phoenices, v. Mela I, 12. *vellera dat fucis bis madef. Tyr.*, IV, 2, 16. II, 3, 58. ad artem purpureo colore inficiendi vestes spectat, hinc etiam *Tyrius* saepe pro purpureus, IV, 2, 11. I, 2, 77. IV, 1, 122.

V.

Valgius, aequalis fere Horatio et Tibullo, auctor carminum diversi generis et argumenti, IV, 1, 181. Vid. Epist. crit. nostr. p. 47.

Velabrum, II, 5, 33., planities inter Capitolinum, Palatinum et Aventinum montem, olim stagnum erat, Ov. Fast. VI, 405 sq. „Qua Velabra solent in Circum ducere pompas, Nil praeter salices, cassaque canna fuit" cl. Cruqu. ad Hor. Sat. II, 3, 229. Deinde cloacis substructis planities facta est pascuis abundans, cl. Prop. IV, 9, 5.

Venus, mari orta, ex fabula miros in modos ab interpretibus variata, v. Serv. ad Aen. V, 799 sqq. et Macrob. Sat. I, 8. *e sanguine natam* et *e rabido mari*, I, 2, 41 sq. quia ex abscissis Coeli genitalibus et in mare proiectis orta fertur. Ut ψυχοπόμπος amantium *ducit ad Elysios campos*, I, 3, 58. Per fluctus vehitur in concha, tanquam in aliqua rate, hinc *concha vecta*, III, 3, 34. v. Broukh. Cognomina ab urbibus accepit: 1) *Cypria*, a Cypro, maris mediterranei insula, Veneri sacra, III, 3, 34. 2) *Cytherea*, ab insula Cythera, Cretam versus, IV, 7, 3. cl. Hor. I, 4, 5. Denique *Venus* pro amoris consuetudine et gaudiis passim ponitur, I, 4, 59. I, 9, 76. *Vendere Venerem*, ut *vendere amorem*, I, 4, 67.

Vertumnus, deus omnium naturae vicissitudinum, Etruscis proprius ac domesticus, in varias se vertere posse formas credebatur, *felix*, dignitate conspicuus, nam sedem habet in Olympo, IV, 2, 13., quoniam anni tempora et naturae vicissitudines coelo aguntur, v. Mitsch. ad Hor. IV, 7, 10. Alias inter agrestes deos coli solitus. Loci de Vertumno classici sunt apud Prop. IV, 2. ibi intpp. et Ov. Met. XIV, 642 sqq.

Vestales foci, II, 5, 52., ara Vestae constituta, in qua aeternum ignem quae alebant sacerdotes, perpetua virginitate obstringebantur.

Victoria, dea, quamquam non apud Homerum, certe tamen a serioribus, qui, ubicunque levitatis et velocitatis notio declaranda erat, deorum simulacris alas tribuerunt, fingitur alata, II, 5, 45. cf. Ov. Met. VIII, 13. Sil. XV, 99. De *Νίκη* v. Aristoph. Av. 574.

Vulcanus, ut ipse ignis, *torreat carmina*, I, 9, 49. i. comburat. Propria fere loquutio de iis, quae aboleri, deleri volumus, cf. Hor. I, 16, 5 sq.

INDEX LATINITATIS.

A.

A, *ab*, vim retinet suam in loquutionibus, quibus, quo auxilio sive instrumento, qua ope aliquid fiat, indicatur, et alias solus auferendi casus ponitur, *ab arte*, I, 5, 4. I, 9, 66. II, 1, 56. cl. Ov. Met. XIV, 345. Sil. III, 278. Sic Graec. ἀπό, v. Viger. p. 581.

Abdere 1) quid = removere, II, 1, 82. cf. Caes. de b. G. VII, 79. 2) quid quo = abscondere, II, 3, 40. V. de hoc verbo Heyn. ad Virg. Georg. III, 96.

Acer, de diis sive hominibus, saevus, crudelis, II, 6, 15. IV, 2, 6. oppos. *leniter afflat Amor*, II, 1, 80.

Adesse 1) de repentino, inopinato adventu, I, 3, 90. cl. Ov. Met. II, 497. Phaedr. IV, 21, 16. 2) de animi facultatibus, quarum specimina quaedam in exterioribus corporis partibus apparent, *adest audacia*, I, 4, 13. cf. *adest pudor*, Terent. Andr. IV, 1, 6.

Admittere 1) incitare, accelerare, I, 4, 44; cf. *admissae aquae* Ov. Am. I, 8, 50. translatum ab equo, qui concitatur frenis admissis, Ov. Met. XI, 512. 2) absol. pro: flagitium admittere, I, 6, 56. cf. Ov. Art. II, 381. Her. XI, 381.

Admoneri dicimur rei, quae in memoriam nobis reducitur cum quodam doloris sensu, I, 5, 40. cl. Ovid. Met. IX, 324. XIV, 465. Her. X, 42.

Admovere „ante oculos ponere, atque ita in memoriam revocare imagine vividissima“ IV, 1, 190. Broukh.

Aera, instrumenta aerea, I, 3, 24. intell. sistra, sive crepitacula, quibus agitatis Aegyptii cantus in sacris Isidi et Osiridi institutis flebiles regebant. Cultu Isidis Romam translato, eodem Romani instrumento in Isidis religionibus utebantur. Gr. σεῖστρον, a σείεσθαι, v. Gier. ad Ov. Met. IX, 692. *aera repulsa*, I, 8, 22. nimirum a vulgo, quod vices lunae ab incantationibus dependere

et defectui aeris tinnitu succurrendum esse credebat; v. Lampe de Cymbalis veterum, II, 11. De sistris commentatio in Graev. Thes. vol. VII. *aes* = rostrum navis aeratum, pro nave ipsa, IV, 1, 174.

Affixus rei = omni et assidua opera incumbens in aliquid, I, 3, 87.

Afflare 1) cui, ut *adspirare*, ab aura secunda sumtum de eo dicitur, qui propitius, igitur non gravis et molestus est, II, 1, 80. 2) cui quid impertire, iniicere, *amores*, II, 4, 57., ut ἐπιπνέω, προσπνέω. Vid. de hoc verbo Heyn. ad Aen. I, 591.

Agere, 1) = agitare, versare, I, 5, 3. 2) persequi, I, 5, 56. 3) secum agere, movere, I, 4, 20. 4) *ag. natalem* = celebrare, IV, 8, 2. 9, 3. cf. *festum agere*, Ov. Met. XI, 95. Gr. ἄγειν ἑορτήν. 5) *ag. cursus*, de flumine, IV, 1, 126.

Altus, de domo, magnificus, conspicuus maiorum nobilitate et opum magnitudine, IV, 1, 184. oppos. *parva domus*, Ov. Met. VI, 13.

Amnis, Oceanus terrarum orbem ambiens, II, 5, 60. III, 4, 18. Graecorum ποταμός, Hom. Il. XIV, 245. Od. XI, 638. Steph. Byz. Ὠκεανὸς· ὁ ποταμός.

Angustus, de habenis, I, 4, 11. i. q. *arctato freno*, IV, 1, 91.

Annuere, de diis propr., promittere, favere, II, 2, 9. passim. Vid. Brisson. de formulis I, p. 74.

Annus, quaevis anni pars, *novus*, I, 1, 13. e. tempus vernum, cf. *annus hibernus*, Hor. Epod. II, 29. *annos exuere*, I, 4, 36. de serpente, qui pellem veterem deponit, i. q. *ponere senectam*, Ov. Met. IX, 266.

Ars, malo sensu, I, 4. 76. Gr. τέχνη, Soph. Phil. 928. Lennep. ad Phal. p. 358.

Aspirare, metaph. ab aura secunda, favere, propitium esse, II, 1, 35. II, 3, 45. cl. Virg. Aen. II, 385. IX, 525. Ov. Met. I, 3. Theocrit. XII, 10. — πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες.

Aureus, 1) de uva splendente, II, 1, 45. 2) de hominibus, qui morum integritate et elegantia conspicui carique sunt, I, 6, 58. cf. Hor. I, 5, 9. Graec. χρύσεος, Theocr. XII, 15. Bergl. ad Alciphr. III, 17. p. 314.

B.

Benignus, de terris, agris, ferax, I, 3, 62. III, 3, 6. cl. Ov. Am. I, 10, 56. Pindar. Ol. VII, 116. γαῖα εὔφρων μάλοις.

Bonus, 1) faustus, boni ominis, II, 1, 23. II, 2, 1. passim; v. Briss. de form. I, p. 8 sq. Eadem notio Gr. ἀγαθός, oppos.

κακός, v. Heinrich. Obss. ad vett. auctores, p. 67 sq. 2) benignus, liberalis, II, 4, 45. cl. Cic. Philipp. III, 6. oppos. *malus*. Sic Graeci *ἀγαθός*, Xenoph. Cyr. III, 3, 4. Dorvill. ad Char. p. 722.

C.

Cadere, 1) immolari, de hostiis, I, 1, 23. IV, 1, 15. cf. Ov. Met. VII, 162. Gr. *πίπτειν*. 2) evenire, ratum esse, I, 6, 85. II, 2, 17. IV, 1, 191. 3) de umbra, decidere, II, 5, 96. ut Virg. Ecl. I, 84.

Caecus, de locis, quae cognosci nequeunt, ignota, II, 1, 78. cl. Ov. Met. X, 456. „caecum iter explorat."

Calere dicitur 1) res, quae cum animi ardore geritur, *bellum*, I, 10, 53. Alias *fervere*. Oppos. *frigere*, gr. *ψυχρός* de ignavo, v. Anthol. gr. Iacobs. vol. I, p. 98. 2) homo, qui summo aestuat desiderio, amore, IV, 5, 10.

Candidus, 1) albus, de musto, I, 5, 24. 2) splendens, clarus, de Aurora, I, 3, 94. cf. *candidus Sol*, Ov. Met. XV, 30. 3) pulcher, III, 6, 1. IV, 4, 6. cl. Hor. Epod. III, 9. 4) faustus, propitius, I, 7, 64. I, 10, 45. III, 6, 30. Candor erat felicium atque laetorum color, cf. Catull. VIII, 3. *λευκὸν ἦμαρ*, Aeschyl. Pers. 301. 5) de animo, sincerus, simplex, IV, 4, 19.

Canere, praedicere, destinare, de Parcis, I, 7, 1. III, 3, 36. IV, 5, 3. et de aliis vatibus, quae vaticinia versibus composita edunt, II, 5, 63. 65. III, 4, 77. cl. Virg. Aen. II, 176. V, 624. Ovid. Met. II, 641.

Cantare, absol. de feminis, quae cantando tempus fallere solent in texendi opera, II, 1, 66. ad quem locum comp. Leonid. Tar. 78, 3. *Καί τι πρὸς ἠλακάτην καὶ τὸν συνέριθον ἄτρακτον ἤεισεν.*

Cantus, magici susurri, Zaubersprüche, I, 2, 62. I, 8, 19 sq. IV, 4, 10. Graecorum *ἐπῳδαί*, *λόγοι*, v. schol. ad Hom. Od. T, 457. Il. o, 401. Eurip. Hipp. 478. Eodem cap. sensu *carmen magicum*, I, 5, 12.

Caput 1) pro homine, in formula: *capiti sint meo*, I, 2, 12. quae ducta est ex more eorum, qui, quidquid mali experiuntur ipsi, et a se suisque avertere malunt, inimicis apprecantur, cf. Hor. III, 27, 21. Theocrit. IV, 21. Aristoph. Plut. 526. „*ἐς κεφαλήν σοι.*" Ovid. Her. XX, 127. ibi Heins. et Briss. de form. I, p. 113. 2) de fluviis, origo, fons, I, 7, 24. cl. Hor. I, 1, 22. Prop. III, 19, 6. Ov. Met. II, 255. Trist. I, 8, 1.

Carcer, propr. carceres, sive repagula, quae teste Varr. de ling. lat. IV, 32. equos coërcebant, ne exirent, priusquam magistratus signum mitteret, I, 4, 32.

Castra, 1) omnes res bellicas complectitur, oppos. *foro*, IV, 1, 39. cf. Hand. in Gronov. Diatr. t. I, p. 33. Sic opponuntur *castris* — *toga*, Vellei. II, 125. 2) i. q. exercitus, *gemina castra*, IV, 1, 105. e. exercitus castris diversis separati.

Castus, ut *purus*, de rebus diis destinatis adque illos spectantibus, II, 1, 13. passim. *casta laurus*, III, 4, 20. propter Daphnen, quae innupta et viro intacta in laurum erat mutata; cf. *laurus innuba*, Ov. Met. X, 92.

Catasta, II, 3, 82., scena, sive pegma ligneum, aut in foro, aut domi constitutum, quo mancipia venalia interea, dum praeconium fiebat, exponebantur, et in orbem ire, saltare nonnumquam cogebantur, ut emtores accuratius illorum corpora perspicere atque sanitatem tentare possent. Hac de caussa nudata contrectabantur. Tituli sive inscriptiones catastis subiunctae servorum patriam, nomen, artes, pretium indicabant. Vid. schol. ad Pers. sat. VI, 77. aliosque ab Hand. in Gronov. Diatr. t. I. p. 152. laudatos. Peculiarem de catasta servorum libellum edidit *Gollingius*, Altdorf. 1730.

Caussa, 1) quod cadentis linguae scriptoribus est praetextum, I, 6, 25. cf. Liv. II, 32. XXII, 61.; hinc *caussari* = per caussam interponere, vel infinitivo vel accusativo sequente, I, 5, 17. cl. Ov. Met. IX, 767. 2) quidquid purgandi et excusandi caussa affertur, *sontica caussa* i. q. morbus, I, 8, 51. translatum e duodecim tabulis, quae sonticum morbum appellant non vulgarem, sed tam gravem, ut reus non cogatur apud iudices comparere, v. Erasm. Adag. p. 1034. Eandem vim habet Graecorum *αἰτία*, v. Schleusn. Lex. N. T. s. v. *αἰτία*.

Celebrare, 1) de locis, frequentare eoque celebrem reddere, *convivia*, IV, 1, 145. hinc *celebris frons*, III, 2, 28. multitudine hominum frequentata, cf. *nuptiae celebres*, Phaedr. I, 6, 1. 2) de hominibus vel diis, frequenter adeundo colere, eoque ipso celebrem reddere, I, 3, 33. I, 4, 75. III, 5, 29. 3) Ablativo rei adiuncto notio verbi ex ipso casu constituitur, *celebrare iuvenes sermone*, I, 6, 17. e. frequenter cum iis confabulari, cf. *celebrare carmine ripas*, Ov. Met. II, 252.

Certus, de stellis, ad quarum ductum cursus navium dirigitur, I, 9, 10. cf. Hor. II, 16, 3. *neque certa fulgent Sidera nautis*; et Val. Fl. I, 18.

Cervi, stipites furcati in formam cornuum cervinorum, quales castris praefigebantur muniendis, IV, 1, 84. Virg. Ecl. II, 29. Caes. de B. G. VII, 72.

Charta 1) volumen, liber, II, 5, 17. passim. 2) carmina, IV, 1, 212. Hor. IV, 8, 20.

Colere, diligenter curare, ornare, *capillos*, I, 6, 39. I, 8, 9.

Colligere = constringere, in angustum cogere eoque in formam redigere minorem, I, 8, 14. v. intpp. ad Virg. Aen. XII, 863.

Coma, 1) arborum folia, I, 4, 30. Gr. χαίτη. Ita plures a crinibus petitae dictiones ad arbores eorumque frondes transferuntur; *arbor crinitus* Stat. Silv. IV, 5. Ov. Met. X, 139. 2) aristae, II, 1, 48. 3) sarmenta in vitibus inutilia, I, 7, 34.

Comitari, passive, III, 2, 13. a Lucretio ad Senecam usque obvium. Et activum occurrit Prop. II, 7, 15. Ovid. Met. XIII, 55.

Compendia, lucrum e mercibus parandum, I, 3, 39; cf. Manil. IV, 19.

Componere, 1) convenire de aliqua re, *compositae notae*, I, 2, 22. cf. Liv. I, 9. 2) pangere, condere, *versus*, IV, 1, 17. *laudes*, IV, 1, 35. *blanditias*, I, 2, 93. e. sermones amatorios secum praemeditari; 3) iungere, I, 5, 8. IV, 6, 9. metaph. a gladiatoribus desumta, cf. Albinov. ad Liv. 301. 4) cineres et ossa in urnam condere, III, 2, 26. 5) ornare, IV, 2, 8. cl. Ov. Met. IV, 318. 6) occultare, dissimulare, IV, 7, 9. 7) struere, moliri, *insidias*, I, 6, 4. cf. Prop. II, 32, 19. et *comp. fraudes*, ibid. II, 9, 31.

Compos voti, qui ex sententia animi desideratam rem obtinet, I, 10, 24. cf. Liv. VII, 40.

Comprendere, *comprensis auribus osculari*, moris erat veterum, II, 5, 92. Illustrat Aristaenet. I. „Κἀγὼ τῶν ὤτων λαβομένη τρὶς σὲ φιλήσω.

Conditor, qui notum facit, propalat, seu alia re, sive carminibus, hinc auctor, laudator, IV, 1, 4. et *condere*, carmine celebrare, Lucret. V, 2. Hor. I. Epist. 3, 24. et *inconditus* i. q. ignotus, Val. Fl. I, 808.

Conscius, 1) cum ablativo, de homine, i. q. gnarus, I, 9, 41. de rebus, quae occultum quid continent, *cista conscia sacris*, I, 7, 48. cf. *conscia terra*, Prop. II, 13, 42. alias de locis quoque, ubi quid geritur, Ov. Met. VI, 588. ibi Heinsium. 2) cum genitivo, *fibra conscia deorum*, I, 8, 3. e. quae deorum voluntatem indicat.

Consors, de fratre, II, 5, 24. ut Ov. Met. XI, 347. Alias quoque de sorore. Illustravit hanc vocem Fea ad Hor. III, 24, 60.

Cornua vocantur extremae partes, quae utraque, et inferiori et superiori, parte bacilli, cui volumen circumvolutum erat, eminentes cornuum similitudinem prae se ferunt. His ornamentum aliquod addi solitum est; hinc *cornua pingantur*, III, 1, 13. cf. Ovid. Trist. I, 1, 8. Manut. ad Cic. Epist. III, 7. Martial. XI, 108.

Credere semina sulcis, II, 6, 21. cf. *Cererem credere arvis*, Ovid. Art. I, 401. De *credere* v. Heins. ad Val. Fl. I, 69. alias *tradere*, *permittere*.

Cupidus, absolute, intell. 1) divitiarum, I, 1, 76. cl. Prop. I, 6, 29 sq. Liv. praef. sub fin. 2) amorum, hinc simpl. amans, I, 8. 56. 74. II, 5, 54. IV, 6, 11. adulter, I, 9, 58.

Cura, sollicitus amor, quo quis ardet, II, 3, 13. III, 6, 29. passim. 2) qui amore fovetur, pro ipsa re amata, I, 9, 34. III, 4, 43. IV, 10, 6. 12, 1. Graecorum *μέλημα*, cf. Aen. X, 132. 3) desiderium, III, 2, 29. IV, 1, 189.

D.

Dare, propr. de iis, qui sacra diis et munera offerunt, I, 7, 53. IV, 6, 2. *dare serta posti*, I, 2, 14. de amatoribus, qui coronabant fores amicarum, v. Sagittar. de Ianuis veterum, p. 281. — i. q. edere, emittere, *cantus*, III, 4, 40. — praedicere, destinare, I, 3, 13. IV, 5, 4. — concedere, permittere, sequente infinitivo, I, 8, 56. III, 4, 48. cl. Ovid. Fast. I, 368. Met. III, 338. Idem usus verbi *praebere*, Ov. Her. V, 132. Gr. *διδόναι*, Hom. Il. I, 18. — *dare malum* II, 5, 108. i. inferre damnum, nocere; — *dare colla sub iuga* = se submittere, tradere potestati, I, 4, 16. — *dare latus nudum*, I, 4, 52. e. patefacere ictui, opp. tectum. — *dare vota*, I, 5, 16. quod persolvere. — *dare liberos* = procreare, de parentibus, II, 5, 91. cl. Catull. 61, 212. — *d. oscula liminibus*, I, 2, 86. ex more oscula ianuis et postibus templorum impertiendi.

Decidere toto pectore = oblivioni tradi, prorsus negligi, ut alias effluere, excidere, III, 1, 20. cf. Sil. II, 628. Graeci: ἐκ θυμοῦ πίπτειν, Hom. Il. XXIII, 595.

Decurrere, 1) sensu transitivo, currendo exigere, transigere quid, IV, 1, 51. 161. cf. *decurrere vitam*, Prop. II, 15, 41. Phaedr. IV, 1, 2. 2) sensu intrans., extendi, in longum porrigi, *ordo*, IV, 1, 102.

Deducere, 1) lanam ex colu tractam in filum extendere, *stamina*, I, 3, 86. Gr. *ἐκτείνειν*, v. Küster. ad Suid. p. 555. 2) — sponsam domum, de marito, III, 4, 31. 3) — comitari honoris caussa, I, 4, 80. 4) — in re magica, I, 8, 21. cl. Ovid. Fast. III, 317. Graeci: *κατάγειν*.

Deficere, 1) non sufficere, deesse, II, 5, 86. I, 4, 82. IV, 1, 4. 186. 2) infinitivo verbi sequente, desinere, cessare, IV, 1, 192. cf. Prop. I, 8, 23. 3) absolut., destitui viribus, *deficiente manu*, I, 1, 60. *somnus deficit*, III, 4, 20. *Venus deficiet*, IV, 13, 14. int. animo, ut ab experimentis amorem excitandi absistat.

Defluere corpore dicitur somnus, qui hominem deserit, III, 4, 81; alias *excuti*.

Dens 1) clavis dentata [ein gekerbter Schlüssel oder Haken], quae inseritur serae, I, 2, 18. 2) pecten dentatus, I, 9, 68.

Desertus, neglectus ab hominibus, I, 1, 11. nim. propter vetustatem; hanc explicationem suadet versus 12; cf. *deserta vetustas*, Horat. Epist. II, 2, 118. *desertii dii*, Prop. II, 3, 27. Gr. ἐρημός.

Destituere, promissis non stare, fidem fallere, I, 1, 9. I, 5, 40. cf. Cic. Phil. II, 38.

Detinere dicitur 1) locus, quem inhabitamus, I, 7, 58. 2) homo, qui quem suspensum tenet, I, 8, 74. Nobis: hinhalten.

Devenerari, precibus aliquid amolire, avertere, I, 5, 14.

Devovere, est, observ. Hand. in Gronov. Diatr. t. I, p. 171, „ita vovere, ut aliquid neque ex se, neque ex eo, cuius antea erat, pendeat, sed ei, cui devotum, prorsus permittatur. Quare is, qui se devovet, se suaque omnia vel irae numinum vel voluntati alius hominis tradit." I, 5, 44. I, 8, 18. I, 9, 72. hinc *devotus*, qui non sui iuris ac potestatis est, I, 5, 41.

Dicere, de vatibus, praedicere, I, 6, 55. II, 5, 67. III, 4, 46; vid. Heins. ad Ovid. Her. V, 33.

Difficilis, de homine, durus, inexorabilis, I, 2, 7. I, 8, 27. I, 9, 20. cl. Hor. III, 7, 32. Oppos. *facilis*, II, 6, 27.

Dii et *Deae*, pro eorum aris, templis, I, 2, 64. II, 5, 22. vel effigie, signo, I, 6, 48. cl. Aen. XI, 200.

Disponere, 1) de crinibus in ordinem et formam elegantem ponendis, I, 9, 67. I, 8, 10. 2) de variandis figuris ac modis in rebus Venereis, I, 9, 64. 3) de subtemine intexendo, II, 3, 54. 4) dispescere, distribuere, IV, 1, 153.

Diversus, de hominibus, seditione facta, discordibus, et in partes diversas tractis, IV, 1, 45. cf. Sil. I, 264. Prop. I, 10, 15.

Dives 1) aurum, quod divites reddit, I, 10, 7. I, 9, 31. cf. *gemma dives*, Prop. III, 5, 4. 2) *Orcus* = ampla tenens regna, III, 3, 38.

Doctus 1) epith. poëtarum proprium, I, 4, 61. III, 6, 41. 2) exercitatus, aptus, I, 8, 12. II, 1, 70. IV, 1, 209. cl. Burm. ad Ov. Her. XX, 210.

Dominus et *domina*, Augusti aevo amantium erat appellatio, qua sibi blandiebantur, I, 2, 7. passim. cf. Prop. I, 3, 17. Gier. ad Plin. X. Ep. 2, 1. ad Ovid. Met. IX, 465.

Ducere, 1) violenter, ut servum in carcerem, ad supplicium trahere, II, 3, 53. Gr. ἄγειν, ἀπάγειν; *capillis*, I, 6, 71. 2) adducere, conciliare, *soporem*, I, 2, 80. cf. Hor. III, 1, 21. Ov.

Met. II, 735. 3) deducere, *stamina*, *fila*, III, 3, 36. I, 6, 78. *de coelo sidera*, I, 2, 45. 4) producere, de metallis cudendis, I, 3, 47. i. q. *extendere*, Iuvenal. XV, 168. Gr. *ἐλαύνειν*; idem fere in loquutione: *ducere notas*, I, 6, 20. 5) protrahere, de tempore, *convivia*, I, 9, 61.

Dux gregis, 1) pastor, I, 10, 10. cf. Ov. Fast. IV, 786. Culex 173. 2) hircus, II, 1, 57. cl. Ovid. Amor. III, 13, 17.

E.

Ebrius, de verbis, qualia esse solent ebriorum, levia, temeraria, III, 6, 36.

Ediscere, saepius audiendo aliquid cognitum habere, II, 2, 12. cl. Ovid. Met. II, 639; ex Pont. III, 7, 4.

Educare, proferre, cum notione fovendi et alendi, I, 1, 13. cf. Ov. Met. VIII, 830. XV, 97.

Effusus, 1) de velis nav., extentus, I, 3, 38. 2) de habenis, laxatus, permissus, IV, 1, 92. 3) de comis, sparsus, solutus, I, 3, 8. cl. Ov. Met. XIII, 688.

Emerere, sensu obscoeno, conficere, enervare, I, 9, 60. cf. *demerere*, Ovid. Her. VI, 138. ibi Heins. Eadem utuntur vi *peragere*, Ov. Am. III, 12.

Eripere cui verbis = suadendo et iurando efficere, ne quis credat; sive opinionem tamquam insitam ex animo evellere, I, 9, 35. cf. Hor. II. Sat. 2, 23.

Erumpere, transit. sensu, emittere cum notione celeritatis ac copiae, IV, 1, 86. cf. Virg. Georg. IV, 368. Itidem *ruere* pro sternere, v. exempla ap. Burm. ad Anthol. lat. t. I, p. 560. et Seyff. Gr. lat. t. V, p. 253. Similis verbi *ῥέω* et aliorum quorundam usus, v. Eurip. Hec. 528. Ruhnk. Epist. Crit. II, p. 264. Matth. Gr. graeca § 496. 2. Viger. p. 194.

Esse, 1) vivere, III, 5, 32. hinc *fuisse* per euphemismum: mori, ibid. cf. intpp. ad Viger. p. 366 sq. Simil. *vixisse* i. q. mortuum esse, Cic. pro Mil. 36. 2) cum participio praesentis verbi iunctum notionem habet moris et constantiae, v. ad III, 1, 2. cf. Aristoph. Plut 519. 1082. Evang. Matth. VII, 29.

Explere annos fatales, I, 3, 53. e. vitae tempus a fatis constitutum exigere; alias *implere annos*. Hom. Il. IV, 170. *μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο*.

Explorare, palpare manu, si quid obstet, quo offendatur, II, 1, 78. cf. Ovid. Met. X, 456.

Et, singulari quadam vi repetitur ab initio versus membrorum, II, 6, 10. Aen. XII, 50 sq.

Exscreare, ambulantium ante fores, qui vel screatu vel sibilo signum suae praesentiae dabant, I, 5, 74. v. Sagitt. de Ianuis vet. p. 275 sq.

Exsurgere, de tellure arata, IV, 1, 162.

F.

Fabulam fieri, esse, de iis, qui sinistris rumoribus circumferuntur, prov. dictum, I, 4, 83. II, 3, 33 sq. cl. Hor. Epod. XI, 10. Epist. I, 13, 9.

Facere, absol. et propr. in rebus sacris faciundis, *libo fit sacrum*, IV, 6, 14. cf. Liv. XXII, 10. Macrob. Sat. III, 11. VI, 9. Briss. de form. I, p. 28. Sic Graecorum ῥέζειν, ἔρδειν, δρᾶν.

Facilis, 1) de rebus, a) tractabilis, non arduus factu, I, 1, 40. cf. *facilis cera*, Ovid. Met. XV, 169. b) celer, agilis, *unda*, III, 5, 30. *manus*, I, 1, 8. cf. Prop. II, 1, 10. Ov. Art. I, 160. 2) de hominibus, diis, commodus, lenis, benevolus, I, 3, 57. II, 6, 27. cf. Ovid. Trist. IV, 1, 53. oppos. *difficilis*, durus et violentus.

Fastigia, summa voluminis ora exterior, cui titulus libri erat inscriptus minutioribus litteris, III, 1, 11.

Favere morbo, i. q. non sanum fieri velle, sed morbo indulgere eumque alere; id quod amori afflicto convenit, II, 5, 110. Comp. κακὸν ἀμφαγαπᾶν, Hesiod. Op. et D. 58.

Felix, 1) quod boni ominis est, II, 1, 25. III, 4, 40. cf. Ov. Met. IV, 760. VII, 620. 2) de agris, ferax, frugifer, I, 1, 19. oppos. *infelix* = sterilis, Virg. Georg. I, 154. hinc 3) dives, II, 2, 15.

Ferre, 1) de curru triumphali, in quo simulacra victarum urbium, fluviorum, deorum penatium cet. feruntur, II, 5, 116. 2) pro verbis ex illo compositis, a) afferre, i. q. significare, I, 8, 2. edere, I, 4, 79. b) auferre = accipere, reportare, I, 1, 20. cf. Hor. IV, 8, 5. Tacit. Hist. III, 19. Phaedr. IV, 5, 16. ibi Schwab. Graec. φέρεσθαι, ἄγεσθαι, Theocr. I, 3, 9. = abigere, depellere, I, 4, 22. III, 4, 96. III, 6, 50. cf. Ov. Am. II, 16, 46. Art. I, 634. c) efferre, tradere, I, 2, 83. II, 5, 73. IV, 7, 10. d) offerre, propr. in rebus sacris, I, 5, 28. v. Herald. ad Arnob. p. 268. e) perferre, tolerare, I, 1, 49. III, 2, 3. III, 4, 74. passim. f) proferre, utero edere, III, 4, 90.

Ferreus, de animo, durus, immitis, I, 2, 67. I, 10, 2. III, 2, 2. Gr. σιδήρεος.

Ferrum, quodvis instrumentum ferreum, *vomer*, I, 7, 30. IV, 1, 174. Ov. Met. VII, 119.

Filum, quod ex filis netur et conficitur, hinc *vitta*, I, 5, 15. cf. *stamen*, Sil. III, 25.

Findere arva, int. vomere = arare, III, 3, 12. cf. *confindere*, IV, 1, 174. Gr. χαλκῷ τέμνειν.

Fiscella, vas vimineum, sive calathus in usum lactis comprimendi sive cogendi, II, 3, 17. cf. Virg. Ecl. X, 71. alias simpl. *vimen*, *vimina*, Ov. Met. XII, 436. Fast. IV, 770.

Fixum esse in latere, de eo, qui quem assidue comitatur, officiosus est, I, 5, 62.

Flere, dolere cum poenitendi notione, I, 9, 79. v. Mitsch. ad Hor. I, 5, 6.

Fluere, 1) de omnibus rebus, quae placido motu deorsum mittuntur, a) vestes ad terram demissae, I, 6, 40. cl. Prop. III, 17, 32. vestes laxae, sinuosae, cf. Tac. Germ. 17. item *fusus*, I, 7, 46. cf. *defluere*, Virg. Aen. I, 404. b) crines soluti et promissi, III, 4, 27. ut Prop. II, 3, 13. c) *igneus* igiturque levis aether, IV, 1, 22. cl. Lucret. V, 508. Prop. IV, 6, 72. 2) de hominibus luxuriae et mollitiei deditis, II, 3, 73. cf. Terent. Heaut. V, 1, 72. Phaedr. V, 1, 12.

Foedatus, de omnibus, quae cruentis vulneribus vel partibus truncatis foedum adspectum praebent, IV, 1, 57. cl. Ovid. Met. III, 522 sq. XIV, 190.

Frangere, 1) aliquem, movere, mollire, qui durior est natura, I, 8, 67. cf. Prop. II, 28, 34. 2) *corda* = percellere, deturbare, III, 2, 6. 3) = infirmum reddere, IV, 1, 111.

Frater, ut *soror*, inter appellationes amatorum blandas erat seculo corruptiori, III, 1, 23. 26. cf. Martial. II, 4. X, 64.

Fraudare quem re, i. q. privare, III, 5, 19. sine fraudis ac doli notione, ut Ovid. Met. X, 196.

Fremere, a leonibus translatum ad eos, qui seditionibus disturbati verbis exprimunt indignationem, IV, 1, 45. cl. Ovid. Met. XV, 606.

Frontes, orae voluminis ita dictae, quia eminebant, *geminae*, i. e. exterior et interior, quae pumice poliebantur et aequabantur, ne hirsutae essent, III, 1, 13. Vid. Burm. ad Ovid. Trist. I, 1, 11.

Fuge, infinitivo verbi sequente notionem inhibendi et vetandi habet, i. q. *ne*, *noli*, I, 4, 9. i. q. cave, cf. Ovid. Her. IX, 75. ibi Heins. Lucretius: *fuge credere*. Graeca dictio.

Furta, amores clandestini exque iis percepta gaudia, I, 2, 36. IV, 5, 7. cl. Martial. I, 35, 2. *nec tua furta tegis*.

G.

Gaudere in sinu, proverb. dictio de iis, qui, gaudiis suis occultatis, ipsi tantum iis frui volunt, IV, 15, 8. cf. Prop. II, 25, 30. Cic. Tusc. III. Hom. Od. XXII, 411. ἐν θυμῷ χαίρειν. Vid. Erasm. Adag. p. 101.

Gerere, 1) maiora, = exsequi, perficere, IV, 1, 39. 2) = agere, exercere, *regna*, I, 9, 80. 3) = proferre, II, 4, 56. cf. Lucret. VI, 790. Ovid. Met. XI, 615. 4) = regere, dirigere, III, 3, 22.

Greges = armenta, sc. equârum, II, 4, 57. Broukh. in anecd. laud. Plin. VIII, 1. Flor. III, 20, 7. Serv. ad Aen. VI, 38. alios.

Gypsati pedes, II, 3, 82. Si qui servorum trans mare advecti erant, eorum pedes creta vel gypso denotari erant soliti, v. Plin. XXXV, 17 sq. Prop. IV, 5, 52. Hinc *albi pedes*, Iuven. I, 111.

H.

Hippomanes, humor ex equae, ubi Veneris stimulis incaluit, locis destillans, quo veneficae in veneficiis et philtris utebantur, II, 4, 58. Virg. Georg. III, 280. Prop. IV, 5, 18. De aliis huius vocis significatibus v. Heyn. ad Virg. l. l.

Honores, omnia, quae diis vel offeruntur munera, I, 7, 53. IV, 6, 1. cl. Ovid. Met. XIV, 128. Hor. I, od. 17, 15. Burm. ad Anthol. lat. t. I. lib. I, ep. 63, 8. Brisson. de form. I, p. 29. vel honoris caussa iis instituuntur, hinc sacrificia, II, 2, 5.

Horrere, solutum, turbatum esse, de coma, II, 3, 25. hinc *horridus*, I, 9, 14. cl. Ov. Met. X, 139. et omnino incultus, squalidus, II, 3, 50.

I.

Iacere, 1) languere, viribus destitui, I, 4, 31. 2) dormire, II, 1, 75. 3) interiisse, fato consumtum esse, I, 3, 55. cf. Graec. κεῖσθαι.

Ignotus, 1) de terris peregrinis, I, 3, 3. quo sepeliri veteres omnium rerum miserrimum putabant, v. Burm. ad Anth. t. II. p. 182 sq. Drack. ad Sil. IV, 77. Opp. *nota sedes*, vel *patria*. 2) ignobilis, obscurus, II, 6, 60. IV, 10, 6.

Illic, ad designanda infera loca propr. usurpatur, I, 3, 65. cf. Prop. I, 19, 13. Ov. Met. XIII, 25. Similis est usus v. ἐκεῖ, v. Eurip. Med. 1072. Aristoph. Ran. 82.

Impedire, colligare, vincire, de vitta, I, 6, 68. cl. Hor. I, 4, 9. Ov. Am. III, 6, 56.

Inania, aër a corporibus vacuus, IV, 1, 131. cf. *per inane*, Aen. XII, 354. Ov. Met. IV, 717. Pind. Ol. I, 10. *ἐρήμας δι' αἰθέρος*, ibi schol.

Increpare, ferire, pulsare, I, 1, 30. cf. Hor. IV, 15, 2.

Inducere, fallaciis quibusdam pellicere, ut decipias, I, 6, 1. Eadem vis verbi simpl. *ducere*. A re venandi translatum.

Inexpertus, passive, non tentatus, novus, I, 7, 31. II, 1, 56. ad sensum cf. Val. Fl. I, 69. *ignaras Cereris terras*. Item *expertus*, ipsis a me oculis visus, IV, 1, 107. Sic *detestata*, passiv., Hor. I, 1, 25.

Infelix, active, urgens, gravis, de lapide, I, 4, 60.

Inficere pocula succis, de eo, qui venena e succis parata miscet, III, 5, 9. cl. Virg. Georg. II, 128.

Ingerere maledicta cui, II, 5, 101. cf. *ingerere convicia*, Hor. Sat. I, 5, 11.

Insidiae, de re venatoria, indago, plagae, I, 4, 49.

Insistere rebus, magno labore persequi, continuare res, IV, 1, 136.

Intactus, de columba alba, I, 7, 17. quia nefas erat apud Babylonios occidere albas columbas, quae Syriae deae, etiam Veneri erant sacrae. Vid. Lucian. liber de dea Syria.

Interii, I, 9, 45; ut *morior*, II, 6, 51. de iis, qui ad mortem afflicti in eo sunt, ut intereant, pereant.

Intexere, ut *subtexere*, de pangendis carminibus, IV, 1, 5. 212. Omnis scribendi opera cum lanificio et textura comparatur indeque verba mutuantur, v. Burm. ad Ovid. Am. I, 14, 7.

Intorquere, *torquere* verbera, flagellis caedere, I, 6, 46. I, 9, 22. Broukh. in scriptis notis comparat Virg. Georg. III, 106. Aen. VII, 378. Sen. Hipp. 1076. Oed. 645.

Invenire, infinitivo sequente, locum, copiam alicui parare, docere, *Venus inveniet puero succumbere*, I, 8, 35. Gr. *εὑρεῖν*, *ἐξευρεῖν*.

Io, exclamatio 1) exsultantium, I, 1, 24; inprimis militum, qui triumphanti imperatori per urbem ad Capitolium curru vecto acclamare solebant, II, 5, 118. v. Varro de ling. lat. V. et Briss. de form. IV. p. 351. 2) lugentium, II, 4, 6. cf. Ov. Her. V, 118. Heins. ad Ov. Met. III, 713.

Ipse, 1) ultro, sponte, II, 6, 14. Gr. *αὐτός*, i. q. *αὐτόματος*, cf. Prop. II, 25, 20. sive nullo labore et negotio, I, 3, 45. cl. Virg. Ecl. IV, 21. Ov. Met. I, 101. 2) de duce, domino, I, 3, 2; itidem Gr. *αὐτός*, v. Casaub. ad Theophr. II, p. 34. 3) alio-

rum opera non utens, per se, I, 1, 7. I, 2, 73. 5, 11. II, 6, 8. cl. Prop. III, 17, 15.

Ire, 1) de victimis, II, 1, 15. illustrat Macrob. III, Sat. 5. his verbis: „Observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant" cet. 1) *ire sub imperium*, II, 4, 54. dicuntur res sive bona, quae publice vendenda imperio praetorum auctionibus publicis praesidentium, subdita sunt, cf. Sueton. Claud. IX. Ita statuo cum Wagnero in lectionum catalog. Marburg. 1815. 3) *ire sub titulum*, ibid., dicitur res, quae tabula publica declaratur venalis; nam *titulus*, i. q. *litterae* apud Plaut. Trin., est tabella aedibus affixa, quae transeuntes doceret, domum esse venalem. Ad rem cf. Ovid. Rem. 502.

L.

Labi, de aetate fluminis instar celeriter decurrente, I, 8, 48. cf. Ovid. Met. X, 519. ibi Gierig.

Labor, 1) aerumna militaris cum periculis coniuncta, I, 1, 3. cf. *pelagi labor*, Sil. XIV, 583. 2) studium poëseos, IV, 1, 182.

Lacus, 1) fons, III, 1, 16. 2) vas amplum, quo mustum ex uvis expressum recipitur, I, 1, 10. passim.

Laedere, 1) dicuntur capilli cani, qui nativum nigrorum colorem immutant, iisque detrahunt decus, III, 5, 15. 2) *laed. deos, numina*, int. fide violata, periurio, I, 3, 79. I, 9, 6. 3) i. q. vulnerare, secare, II, 3, 10. IV, 3, 8. 4) *laed. Manes* = turbare, offendere immodico nimirum luctu, I, 1, 67. v. Burm. ad Anth. t. II, p. 9 sq. Kirchm. de Fun. Rom. IV, 10.

Laetus, de rebus animum laetitia afficientibus, *ager*, II, 3, 3. *ignis*, IV, 1, 135. e. boni ominis. Opp. *tristis*.

Lapis, 1) signum dii agrestis lapideum in trivio poni solitum, I, 1, 12; hinc *sacer lapis*, Prop. I, 4, 24. 2) margarita, I, 8, 39. cf. *lapides clari*, Hor. IV, 13, 14. 3) metaph. de duris et immitibus hominibus, I, 10, 59.

Lascivus, qui liberius movetur, huc illuc agitatus, de sideribus micantibus, II, 1, 88. ut alias de saltantibus, v. Ov. Met. III, 685. D'Orville ad Char. p. 664. L.

Latus dare nudum, non clypeo protectum, de iis, qui facile vincendos se praebent, I, 4, 52.

Legere, propr. de cineribus in sinum vel urnam colligendis, I, 3, 6. III, 2, 18. cf. Prop. IV, 1, 127. 2) *smaragdos*, II, 4, 27. *conchas*, III, 3, 17.

Lentus, 1) tardus, III, 5, 30. 6, 57. 2) diuturnus eamque ob caussam molestus, difficilis, I, 4, 81. 5, 82. cf. *lentum duellum*, Hor. I, Ep. 2, 7. 3) qui cura non movetur, segnis, securus, I, 10, 58. II, 5, 67. 6, 36. IV, 11, 6. cl. Ovid. Am. III, 6, 60. Prop. I, 15, 4. Heins. ad Ov. Her. XV, 169.

Levis, 1) de Manibus, IV, 1, 68. ut Hor. I, 10, 18. Ov. Met. X, 14. 2) qui facile movetur, celer, IV, 1, 131. Phaedr. I, 12, 8. 3) hilaris, iocosus, de Venere et Amore, I, 1, 73. 7, 44. 4) vanus, perfidus, I, 9, 40. 5) mollis, non molestus, I, 6, 56.

Libens, propr. de iis, qui munera cuidam numini offerunt, IV, 5, 9. Vid. Brisson. de form. I, p. 33.

Linter nat tibi in liquida aqua, I, 5, 76. proverb. de eo, qui secunda utitur fortuna, et, in re amatoria, copiam fruendi amore habet, cf. Ovid. Fast. II, 864. 2) = alveus, sive vas ligneum concavum, quo portantur uvae in vindemia, I, 5, 23.

Linum, vestes lineae, quibus Isidis sacerdotes utebantur, I, 3, 30. cf. Sil. III, 24.

Littera = titulus, inscriptio, III, 2, 27., qua veteres mortis caussam indicare solebant, cf. Prop. I, 7, 24. Theocrit. XXIII, 47. γράμμα.

Longus = longinquus, I, 3, 36. I, 4, 22. passim; cf. Ov. Met. VII, 67. Val. Fl. II, 562. *longior aetas*, IV, 1, 11. i. remotior, serior posteritas.

Loquax, de nutu et oculis, qui ita formantur, ut sint pro voce, I, 2, 21. II, 6, 43. cf. *vultus loquax*, Ov. Am. I, 4, 17. Art. I, 574.

Ludere, 1) de iuvenilibus armorum ludis, I, 4, 51. cl. Ovid. Trist. IV, 1, 72. III, 12, 20. *Usus equi nunc est, levibus nunc luditur armis.* De his ludis v. Veget. I, 9. 2) illudere, fallere, I, 6, 9. maxime de somniis, III, 4, 7. 56. cl. Hor. III, 27, 40. Virg. Aen. X, 642. 3) deridere, ludibrio habere, I, 2, 91. I, 8, 71. cf. Ovid. Met. III, 403.

Lustrare, 1) expiare, a malis et noxiis purgare, I, 1, 21. 35. 5, 11. 2, 63. In ambarvalibus istae lustrationes quum circumeundo fierent, II, 1, 1. hinc lustrare 2) pro simpl. peragrare circumspiciendi caussa usurpari coeptum est. v. Ovid. Met. I, 213. Prop. II, 22, 3.

Lux, 1) dies, II, 1, 5. 29. passim. 2) vita, III, 3, 9. 3) amatus, in benigno alloquio, IV, 3, 15. 12, 1. Eandem vim habent, *mi vita*, *caput*, *ocule*. Graeci: φάος, ὄμμα, ζωὴ καὶ ψυχή, Hom. Od. XVI, 23. Martial. X, 68.

M.

Madere, 1) de hominibus, ebrium esse, II, 1, 29. sive large vino se invitare, hinc *madidus*, II, 5, 87. cl. Hor. IV, 5, 37. 2) repletum esse, III, 6, 5. II, 4, 12. Similis est usus v. μεθύειν, v. Toup. ad Hesych. t. I, p. 255.

Magna loqui, gloriari, II, 6, 11. cf. *magnifice loqui*, I, 5, 6. Ovid. Met. IX, 3. Theocrit. X, 20.

Male, nunc adiectivo, nunc infinitivo verbi praepositum vim varie negativam habet, *male sobrius*, I, 10, 51. e. parum sobrius; *male ferre*, II, 1, 30. e. vix ferre, cl. Ovid. Met. IV, 351. X, 738. Val. Fl. II, 556.

Malus, noxius, perniciosus, *herbae malae*, I, 2, 53. e. veneno infectae; *manus*, III, 5, 20. cl. Aen. III, 471. *verba*, iurgia, opprobria, I, 10, 57. *mens*, II, 5, 104. i. q. insana; cl. *dementes manus*, I, 10, 56. Formulis a *mala mente* ductis utebantur, qui excusabant iniurias et veniam petebant.

Memor, de rebus memoriam calamitatis renovantibus, *lacrimae*, III, 2, 26. *dolor*, IV, 1, 190. cf. *nostri memor querela*, Hor. III, 11. 51. 14, 18.

Merere, absol. in malam partem, culpae obnoxium esse, I, 2, 85. I, 10, 5. II, 4, 5. cl. Prop. I, 18, 9. III, 7, 34. Ov. Met. II, 279. V, 492.

Messes urere suas, proverb. dictio, pro: in se ipsum saevire eoque sibi nocere, I, 2, 100. Translatum videtur ab iis, qui nocte alienas messes sive fruges incendio delere conantur, sed aberrando suas ipsi corrumpunt.

Minae, quaevis pericula, tempestates, II, 3, 68. cl. Aen. X, 695. *minae coelique marisque*.

Miscere 1) herbas = potus ex herbis confectos, II, 4, 60. cl. Virg. Georg. III, 283. 2) proelia, i. q. excitare, de Amore, I, 3, 64. cl. Sil. II, 528.

Mittere, propr. dicimus merces peregrinas, II, 2, 4. Virg. Georg. I, 57. Prop. II, 18, 77. III, 11, 5. 2) = dimittere, I, 3, 9. sive emittere, I, 4, 32, equos, qui signo per praetorem certaminibus praesidentem dato emittebantur carcere; 3) *mitt. in arbitrium* = tradere in potestatem, imperium, III, 6, 14.

Modus, 1) numeri, rhythmus, in re musica, I, 4, 70. I, 7, 38. 2) sonus, modulatio, Melodie, III, 4, 42. cf. Prop. II, 22, 6. Gr. νόμος, v. Spanh. ad Callim. in Del. 304. 3) figurae Veneris et amplexus, I, 9, 64. II, 6, 52.

Moles, II, 3, 67. „substructiones et aggeres vel arte iacti, vel a natura fluctibus oppositi. Cicer. de Off. II, 4. „Illis moli-

bus eam maritimae aquae partem claudebant, quam in piscinam immiserunt." Hor. II, 15; Val. Max. IX, 1, 1. v. Hand. in Gronov. Diatr. t. I, p. 304.

Monere, 1) de diis, qui futura significant vatibus, oraculis, al., I, 6, 50. III, 4, 5 sq. v. Burm. ad Ov. Met. II, 639. ad Val. Fl. I, 29. 2) praecepta de rebus amatoriis tradere, I, 8, 69. III, 6, 43. cl. Prop. I, 1, 35.

Movere 1) membra, de saltantibus, I, 7, 38. cl. Hor. I, Sat. 9, 29, ut alias simpl. *moveri*, Hor. Art. 232. Ov. Met. X, 251. 2) ingenio proferre, moliri, *carmen*, IV, 1, 25. ibi not.

Multus, singulari pro plur. numero, I, 3, 28. I, 4, 76. II, 5, 72.

Murex, propr. piscis marinus, e cuius sanguine color efficitur purpureus; hinc pro purpura ipsa, II, 4, 28. III, 3, 18. cf. Virg. Aen. IV, 262.

N.

Natare de motu incerto, fluctuante, IV, 1, 44. *Sic oculi*, Ov. Met. V, 71. Sil. II, 122. *tenebrae*, Ovid. Met. XII, 136. natare dicuntur.

Negligere, contemnere, securum esse de periculis, II, 3, 46, ubi in loquutione *piscis negligit adesse minas hib.* e. non timet tempestates hibernas constructio *negligit adesse* non temere pro simpl. *negligit adesse* non temere pro simpl. *negligit* facta.

Niger, epitheton omnium ad mortem sive locos et Deos inferos spectantium rerum, *nigra hora*, III, 5, 5. cl. *niger dies*, Prop. II, 24, 34. *nigrae pecudes* ut Plutoni immolandae, III, 5, 33.

Nihil esse = nullius auctoritatis, I, 5, 30 Gr. *μηδὲν εἶναι*, Eurip. Iph. A. 946. T. 1057. Phoen. 607. *οὐδὲν εἶναι*, v. Locella ad Xenoph. Eph. p. 143. Oppos. *omnia esse*.

Nitere, de domo magnifica et opibus ornamentisque repleta, IV, 1, 184. cf. *nitida aula*, Ovid. Met. XI, 764.

Nitidus, 1) de coma pulchra unguentisque nitente, I, 7, 52. I, 8, 16. 2) universe de ornatu et decoro vestitu, II, 5, 7. II, 1, 21.

Niveus, ut *candidus*, a colore in rebus prosperis proprio translatum signif. faustus, felix, III, 3, 25. III, 6, 8.

Notae, 1) amantium signa I, 2, 22. cl. Ov. Fast. I, 418. ut videtur digitis dari solita; Cic. Orat. 18. *argutiae digitorum*; unde *manus loquax*, Petron. fragm. p. 669. v. Böttig. Sabina, p. 271 sq. ed. pr. 2) titulus, litterae, I, 3, 54.

Notare, vulneribus efficere cicatrices, iisque deformare corpus, IV, 3, 10. cf. Ov. Fast. III, 698. Hom. Il. IV, 139. ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός; hinc: deformare, IV, 4, 6.

Notus dicitur nobis, quo familiariter utimur, cui adsueti sumus, IV, 13, 22. cf. *servitium adsuetum*, Prop. I, 4, 4.

Novus, cum notione malae, horrorem incutientis rei, *somnia*, II, 6, 37. Sic νέος, νεώτερος, v. Eurip. Med. 37., ubi ex pari gloss. in quibusdam edtt. κακόν legitur pro νέον, ac nostro loco *mala* in vulgg. Vid. Valck. ad Herod. III, 62. 2) in bonam partem, magnus et mirandus, I, 7, 5. v. Serv. ad Virg. Ecl. III, 86. 3) renovatus, ad iuventutem rediens, I, 4, 35. cl. Ov. Met. IX, 266.

O.

Obstrepere, maiori strepitu vincere, übertönen, II, 1, 86. cf. Ov. Met. XI, 18.

Operari rei, 1) operam dare, II, 1, 65. cl. Virg. Aen. III, 136. Ov. Her. IX, 35. *operari votis*; 2) malo sensu, committere, patrare, II, 3, 58. 3) propr. in rebus sacris faciundis, II, 1, 9. II, 5, 95. cl. Hor. III, 14, 6. Nonius XII, 21. „Operari est religiose et cum summa veneratione sacrificiis litare vel convivari.“ cf. Briss. de form. I, p. 19.

Opus, 1) absol. de rustico labore, agricultura, I, 4, 48. I, 9, 8. II, 6, 26. omnibusque illuc spectantibus partibus, v. c. aratione, II, 1, 6. cf. Virg. Georg. III, 519. Ov. Met. VII, 539. Iustin. III, 3, 6. Graec. ἔργον, ἐργάζεσθαι, v. Klotz. ad Tyrt. p. 157. 2) de lanificio, I, 3, 88. II, 1, 64.

Ordo de cannis fistulae ordine iunctis, II, 5, 31. cf. *radiorum ordo* Ovid. Met. II, 108.

P.

Palla, vestis a capite ad pedes promissa, purpurei maxime coloris, propria erat vatum et citharoedorum, hinc attributa quoque Apollini, interdum aliis diis, III, 4, 35. IV, 6, 13. v. Broukh. et intpp. ad Ov. Met. XI, 166.

Parcere, dativo seu infinitivo sequente, vim negandi apud poëtas habet, *oculis*, = non uti, I, 2, 35. — *violare* = ne violate, I, 6, 51. cl. III, 5, 6. cl. Hor. III, 28, 7. Virg. Ecl. III, 94. Ov. Met. V, 248. Fast. IV, 102. Her. V, 43. Bauer. ad Sanct. t. I, p. 503. Graec. φείδεσθαι, v. c. φεῖδου διδάσκων e. abstine docere.

Patefacere tellurem in longas vias, I, 3, 36. de eo, qui primus iter facit per terram sive regionem tanquam praeclusam et intactam, cf. Caes. de B. G. III, 1. Nep. Hann. III, 4. Eutrop. III, 8. Ovid. Am. II, 16, 16. Burm. ad Lucan. I, 465. Graec. *ἀνοίγειν*.

Patientia, calamitatum constanti et aequo animo perpessio, III, 2, 5. cl. Drack. ad Sil. VI, 545. Sic *pati* absol. usurpatur, sich drein ergeben, Ovid. Met. X, 25.

Peccare = amare, plerumque tamen cum notione perfidiae, I, 6, 16. IV, 7, 9. 14, 1. cl. Hor. I, 33, 9. Graec. *ἁμαρτάνειν*, Aelian. Var. hist. IV, 1. Eur. Hipp. 507.

Pellere, 1) classica, I, 1, 4. ex more Graecorum, qui verba, ad instrumenta *κρουόμενα* proprie pertinentia, ad *ἐπιπνεόμενα* nonnunquam transferunt, illustrandum, v. Waardenb. in Opusculis p. 176 sq. Alias *inflare*, *canere* classica, v. Caes. de B. G. III, 82. 2) — aquam, undam, de natante, I, 4, 12. III, 5, 30. cf. *repellere aequor*, Stat. Ach. I.

Pes, 1) numerus, rhythmus, II, 1, 52. 2) de versibus, IV, 15, 3. IV, 1, 36. II, 5, 16. 112. *senis pedibus* e. hexametris.

Petere, ferire, lacerare, de fulmine, I, 2, 8. cf. Heins. ad Ovid. Am. III, 3, 37. *somnum*, I, 10, 9. se dare somno.

Piger, pigrum reddens constringendo nervos, de frigore, I, 2, 31. cf. *piger rigor*, Lucret. V, 745. *pigra hiems*, Ov. Am. III, 6, 94.

Pius, 1) epithet. omnium rerum, quae diis offeruntur et sacrantur tanquam pietatis testandae caussa, II, 2, 3. III, 4, 10. cl. Sil. IV, 794. Briss. de form. p. 31. 2) de eo, quod amorem in liberos testatur, II, 5, 119.

Plangere bovem, I, 7, 28. e. se sive pectus plangere propter bovem; cf. deplangere domum, Ov. Met. IV, 545. Prop. II, 24, 51. *me plangas*, ubi nuperrimi editoris coniectura: *in me* nihil infelicius. Mela I, 9. *mortuos plangunt*. Graec. *κόπτεσθαι*, *τύπτεσθαί τινα*, Matth. Gr. § 419. 5.

Ponere, propr. dicuntur 1) res, quae diis dedicantur, I, 1, 14. Prop. II, 14, 27. Ov. Met. III, 506. Graec. *ἀναθεῖναι*. 2) custodes, I, 1, 17. I, 2, 5. cl. Prop. II, 6, 37. Oudendorp. ad Suet. Tib. 22. 3) = deponere, II, 1, 81. IV, 4, 15. 4) *ponere pedem*, aut abeundi, I, 2, 20. aut accedendi caussa, III, 4, 24. Simil. *ponere vestigia* = se conferre quo quiescendi caussa, IV, 1, 13. cl. Ov. Met. VIII, 694.

Possum, infinit. sequente non redundat, sed innuit vel fortitudinem animi et audaciae, I, 2, 66. I, 7, 3. 10, 64. II, 4, 7.

cl. Prop. I, 1, 15. Gr. τλῆμι, vel copiae et facultatis, ut I, 6, 12. 10, 31. III, 3, 25. 32. III, 4, 66. 82.

Potiorem esse, in rebus amatoriis, e. potiori loco haberi, praeferri alicui, I, 5, 69. cf. Hor. III, 9, 2.

Praeda, quodvis lucrum cupide appetitum, II, 3, 57. cl. Phaedr. V, 6, 4. ibi Schwab. Hinc *praedator*, lucri cupidus, avarus, II, 3, 63.

Praeferre, = prae se ferre, I, 1, 54. int. in limine, foribus, ubi figebantur spolia hostibus detracta, v. Sagitt. de Ian. p. 205 sq. III, 4, 29. cl. Plin. I. Ep. 22, 6.

Praemium, quodvis lucrum, quod e rebus furto ablatis conficitur, I, 2, 28. cl. Ov. Fast. V, 204. Met. VI, 518. Drack. ad Liv. t. VI. p. 311. et Pomp. Fest. s. v. *praemiosus*.

Premere, 1) onerare mercibus *ratem*, I, 3, 40. 2) = exprimere, I, 5, 24. II, 1, 45. 3) = imprimere, de aratro sulcos infindente, IV, 1, 162. cl. Ovid. Met. III, 104. 4) = opprimere, III, 4, 22. 5) urgere, molestiam creare, I, 4, 33. I, 6, 10. nimio labore gravare, IV, 10, 3. cl. Prop. III, 15, 17.

Probare exta = explorare et proba declarare, III, 4, 6. v. Briss. I, p. 14.

Procedere, decenter et cum quadam gravitate ire, IV, 2, 11; cl. Prop. I, 2, 1. Sic *prodire*, I, 9, 70. Hor. III, 14, 6.

Procurare somnia, e. sacris faciundis avertere pericula et terrores, quos somnia portendunt, I, 5, 13. cf. Liv. I, 20. Alias *expiare somnos*, v. Martial. XI, 50, 8.

Producere tempus = cum molestia transigere, *frigora* I, 4, 5. e. frigidam anni partem. Comp. *producere noctes*, Prop. I, 3, 39. *ducere vitam*, ibid. I, 4, 4.

Pronus = alacer, velox, de manu, III, 6, 6. cl. Hor. IV, 6, 39. Ovid. Met. X, 537. Gierig.

Purpureus, nulla coloris ratione habita, 1) candidus, splendens, de vere, III, 5, 4. cl. *purpureus annus*, Pervig. Ven. 12. Lotich. I, 1, 18. *Commoda purpurei veris*. Item φοίνιξ pro ἀγλαός, v. Heinrich. ad Scut. Herc. 93. 2) pulcher, eximius, I, 4, 29.

Purus, 1) de omnibus, quae ad sacra eorumque auctores spectant, rebus, mundus, candidus, I, 10, 27. passim. cl. Virg. Aen. XII, 169. ibi Serv. Hom. Od. XVII, 48. 2) metaph. integer, castus, I, 3, 26. *manus*, quae nullo capitali scelere impollutae sunt, cl. Hor. III, 23. 17. Burm. ad Anth. t. I, p. 36. Briss. de form. I, p. 4. 3) = candidus, lucidus, de fulmine, I, 9, 36. de coelo, IV, 1, 10.

Putare propr. est vacantia et inutilia auferre, excidere, ut id

tantum relinquatur, quod sine vitio; hinc *putare tracta*, I, 6, 80. e. manipulos e lana auferre, i. q. carminare, sive *lanam mollire* Ovid. Fast. III, 817. Sic dicunt: vites, arbores putare, Virg. Georg. II, 406.

Q.

Quaerere, cupide quid amissum requirere, consequens pro anteced., desiderare, non agnoscere, II, 3, 28. cl. Prop. I, 9, 12. Ov. Met. II, 239. Burm. ad Val. Fl. III, 609. Eodem venit usu ζητεῖν, v. Graev. Lectt. Hesiod. p. 45.

Qualis quantusque, formula ad dignitatem deorum significandam solennis, III, 6, 23. cl. Ovid. Met. III, 284. Praeivit Hom. Il. V, 758. XXIV, 629.

Quum, vim quandam caussalem interdum habet et ad sensum v. *quod* accedit, II, 3, 9. cf. Cic. Brut. 22. *memoria teneo — quum diceret*. Vid. Cort. ad Cic. Ep. III, 7, 7. Eadem vis inest voci ὅτε, ubi pro ὅτι ponitur, v. Hom. Il. XV, 18. XX, 188. Wyttenb. ad Thucyd. II, 21. in Historiis Selectis p. 366.

R.

Radere campos, de fluviis, qui leviter sive per intervalla illos attingunt, IV, 1, 143. cl. Ov. Fast. I, 242. Similis inest h. verbo significatus in Ovid. Met. X, 654. Aen. III, 699. Val. Fl. V, 107. Sil. IV, 350. ibi Rup.

Rapidus, 1) de aestu, qui celeriter et cum vi corpora absumit, I, 9, 60. I, 2, 48. cl. Virg. Georg. IV, 425. Ovid. Met. II, 123. VII, 327. 2) de aquis, IV, 1, 142. 194. IV, 4, 8.

Rarus, 1) angustus, tenuis, II, 3, 18. cf. *retia rara*, Virg. Aen. IV, 131. 2) eximius, praestans, III, 4, 37. cl. Prop. I, 8, 42. Ov. Met. XIV, 337.

Reddere dicitur, qui sacrificia sive munera diis ex voto persolvit, IV, 4, 23. cf. Hor. II, 17, 30. Prop. II, 28, 60.

Referre, 1) recuperare, I, 8, 46. 2) reportare, auferre, I, 9, 52. 3) narrare, I, 3, 85. passim. 4) nuntiare, renuntiare, I, 3, 12. III, 4, 78. 5) celebrare, I, 4, 65.

Regere, partiri, definire, *arva*, I, 3, 44.

Reges, inde ab aevo August. absol. divites, beatos designat, I, 8, 34. III, 3, 24. cf. Hor. I. Ep. 10, 33. Ovid. Art. I, 408. Phaedrus: *regales opes*.

Relegare caussas alicui = tribuere, adscribere, IV, 6, 5. Alias *in aliquem*, Vellei. II, 64. Incerti auctoris de b. Gallico VIII, 22.

Remittere, 1) qui languore ex manu et digitis aliquid cadere sinit, *filum*, I, 3, 88. 2) — se, aperiri, resolvi, III, 5, 4. int. calore; cf. Hor. I, 4, 1. oppos. *gelu constringi*.

Renovare iugera = arare, III, 3, 5. cl. Ovid. Trist. IV, 6, 13.

S.

Sacer, 1) faustus, felix, de anno, II, 5, 82. cl. *sacra verba*, Ovid. Fast. II, 638. v. de hac signif. Rupert. ad Sil. VII, 9. 2) inviolatus, I, 2, 29.

Saevire, verberibus agitare quem, I, 3, 70. cf. Ovid. Met. II, 399.

Sanguis = progenies, de una filia, I, 6, 66. cl. Hor. II, 20, 6. v. Drack. ad Sil. X, 170. Gr. αἷμα, Soph. Ai. 1305. Theocr. XV, 72.

Secare, verberibus = verberando dilacerare, I, 9, 22. abscindere, exsecare, I, 4, 70. int. Gallos, sive Cybeles sacerdotes, qui in Attidis evirati honorem genitalia sibi exsecabant. v. Lampe de cymbalis II, 16.

Sectari 1) oves = pone oves ire, I, 10, 41. 2) aratrum, II, 3, 7. cl. Prop. III, 14, 19. Gr. ὁμαρτέω, Callimach. apud Stobaeum.

Sedere, 1) de supplicibus propr., *ad tumulum*, II, 6, 33. cl. Prop. III, 16, 24. Sic *assidere* Martial. II, 41, 19. 2) cunctari et expectare, IV, 4, 20; ut Graeci ἧσθαι, cf. Eurip. Iph. A. 88. 3) de rebus, quae onere suo deprimuntur, IV, 1, 42. et *desedere*, IV, 1, 19.

Sedes, 1) absol. loca, ubi dii coluntur, templa, I, 2, 83. Burm. ad Ovid. Met. X, 229. Graec. ἕδος. 2) — scelerata, e. sceleratorum, I, 3, 67. Ov. Met. IV, 455.

Seges, 1) terra consita, sata, IV, 1, 173. 2) ager non consitus, I, 3, 61. IV, 2, 18.

Sequi, 1) *somnos* = iis indulgere, deditum esse, I, 1, 48. cf. *desidiam sequi*, Ov. Rem. 149. *otium sequi*, Phaedr. V, 1, 7. 2) — *arma*, I, 2, 68. *castra*, II, 6, 1. i. q. in militiam abire, cl. Ovid. Am. III, 8, 26. *signa sequi*, Prop. III, 12, 2. 3) — *praedas*, I, 2, 68. concupiscere, conquirere. In omnibus his dictionibus v. *sequi* notionem studii et delectationis habet.

Servare, oculis notare, observare, I, 6, 16. cf. Virg. Aen. VI, 338. hinc *custodire*, ut Ovid. Her. XVIII, 167.

Severus, vino ludisque abstinens, sobrius, III, 6, 21. alias *siccus*, Hor. I, 18, 3.

Si = etiamsi, IV, 3, 15. cf. Sallust. Iug. 85. Vellei. II, 41.

Sic, coniunctivo verbi sequente, in obtestationibus proprium, ubi demulcendi et impellendi caussa eas res memorant, quas iis, quos obtestantur, gratissimas atque gravissimas esse norunt, I, 4, 1. II, 5, 121. passim. cl. Hor. I, 3, 1. Virg. Ecl. IX, 50. X, 4. Brisson. de form. I, p. 75. Graec. οὕτως.

Signa, 1) omina, I, 3, 20. passim. 2) — *lucida*, i. q. sidera, I, 4, 20. 3) — militaria, quae in vexillis fieri consueverant, ut equi, lupi, I, 1, 75. II, 6, 6. IV, 1, 99.

Sinus, 1) de veste, I, 3, 6. passim. 2) de velis, I, 3, 38. cl. Prop. III, 9, 30.

Solus = solitarius, desertus, I, 2, 74. IV, 13, 12. cl. Prop. I, 2, 11. Ovid. Met. VII, 819. Et pedestris orationis scriptoribus, v. Nep. Eum. VIII, 6.

Sonare, transitive, *carmen*, *nomen*, I, 3, 60. II, 1, 32.

Stare, 1) de rebus, quae firmae sunt ac durae, igitur non pro simpl. esse, I, 1, 64. I, 4, 14. I, 6, 86. II, 4, 9. ut Graec. ἑστάναι, παριστάναι, Heinr. ad Musaeum 305. Aesch. Ag. 14. nec magis abundat, ubi celsitudinis notio adest, v. c. Virg. Ecl. VII, 53. 2) cessare, cunctari, de tempore, I, 4, 28. cl. Hor. III, 28, 6. Prop. II, 9, 30.

Superare, 1) superesse, restare, III, 2, 17. cl. Virg. Aen. II, 643. Prop. IV, 2, 57. Ov. Met. III, 470. Liv. XXII, 49. 2) — alicui = abunde esse, IV, 1, 28; ut Virg. Georg. III, 63. explicandum esse censeo.

Sternere, 1) glaream, I, 7, 60. alias: *sternere vias glarea*, v. Liv. XLI, 27. 2) deiicere et spoliari, *duces*, I, 10, 30.

Stridor, murmur sagarum magicum, I, 2, 49. Banngemurmel.

Subducere lectum, de rivalibus, qui fraude, dolosis blanditiis amorem alii debitum sibi conciliant, IV, 13, 1. cl. Prop. I, 8, 45. cf. ὑποκλέπτεσθαι τὴν εὐνήν, Soph. Electr. 114.

Subigere arva = arare, II, 3, 8. cl. Ovid. Met. XI, 31.

Subiicere colla, in potestatem se tradere, submittere, IV, 1, 117. cf. *dare colla*, I, 4, 16. et Prop. II, 10, 15.

Suspirare alios amores = alii animum spopondisse, alius amore captum esse, I, 6, 35. IV, 5, 11. cl. Hor. III, 7, 10. Mitsch.

T.

Tabella, 1) quae in templis suspendi et eius numinis, cui aliquod beneficium debebatur, effigiem repraesentare solita erat. Huic inscribebant titulum, sive carmen, quod grati animi sen-

sus declarabat, I, 3, 28. 2) epistola amatoria, II, 6, 45. IV, 7, 7. cf. Martial. III, 63, 9.

Temerare, auctore Festo, violare sacra et contaminare, III, 5, 7. cf. Gierig. ad Ovid. Met. II, 592. Hinc *temerarius*, qui se impium exhibet in deos, ut Ovid. Met. IV, 2. Sil. I, 11.

Tempora, diversi status atque conditiones humanae vitae, III, 3, 22.

Tenere 1) possidere, I, 1, 2. [ut *arva tenere*, Ov. Her. VII, 16.] II, 3, 81. III, 5, 21. IV, 1, 146. regum ac divitum propr. v. Burm. ad Ov. l. l. 2) in amplexibus habere, I, 5, 39. II, 6, 52. passim. 3) servare, *fidem*, I, 10, 19. 4) detinere, cohibere, II, 3, 1. I, 3, 18. III, 5, 1. IV, 1, 125. 5) sustinere, defendere, a —, IV, 1, 104. 6) novisse, callere, I, 2, 53. IV, 1, 82. 7) complecti, ambire, IV, 1, 168.

Tentare, 1) locum, = primum adire cum quadam timiditate, I, 2, 17. 2) — foeminam = pudicitiam eius aggredi, I, 3, 73. cf. Hor. III, 4, 71. Graeci: πειρᾶν, v. Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. VI. t. I, p. 217.

Tollere, 1) de iis, qui sortes quibusdam litteris vel signis inscriptas ex urna ducunt, I, 3, 11. 2) *tolli* ex animo dicuntur res, de quibus exsequendis, aliquo dehortante et aliud suadente, non amplius cogitatur, IV, 9, 1.

Tonderi, metaph., fructus maturi, qui demetuntur, IV, 1, 173. ibi Broukh. Sic pro *decerpere* eodem verbo utitur Prop. III, 13, 29.

Torus, consuetudo amantium, coniux, III, 6, 60. IV, 10, 6. Graeci: λέκτρον, λέχος, εὐνή, v. Eurip. Iph. A. 1275. 1355. cf. Prop. III, 20, 26. et *lectus*, Tib. IV, 13, 1.

Traduci vitae, sive ad vitam, dicimur, si ab uno vitae genere vel conditione ad alteram transimus, I, 1, 5.

Trahere = producere, *convivia*, II, 3, 69. e. cum delectatione animi consumere magnum temporis spatium, cf. Val. Fl. I, 278.

Transilire flammas, II, 5, 90, ad morem spectat pastorum, qui, Palilibus peractis, ignem stipulis cum foeno congestis accendebant, flammasque transiliebant hoc modo se expiari credentes, ut Ov. Fast. IV, 727. V. intpp. ad Prop. IV, 1, 19. IV, 4, 73 sqq. Varro de Ling. lat. V, 3.

Transire, de tempore, I, 4, 27. ut *menses transeunt*, Phaedr. V, 7, 11.

Tristis, de omnibus, quae tristitiam ac molestiam aliis creant, sive rebus ad naturam spectantibus, *triste coelum*, I, 2, 51. sive animi conturbationibus, v. c. de crudelitate, *tristia fata*, I, 8, 28. III, 3, 35. de iracundia, IV, 4, 18.

U.

Urgere quid, dicitur, qui totis viribus in opus faciendum incumbit, *aratrum*, I, 9, 8. cf. *urgere vestem*, Virgil. Aen. IV, 489.

V.

Valere, 1) vim habere, I, 4, 23. 2) dicuntur res, ut *vivere*, vel homines, quos in malam crucem abire, aut quibuscum nihil negotii in posterum nobis esse volumus, II, 3, 41. II, 6, 9. cf. Catull. XI. Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 58. Gr. χαίρειν, v. Thom. Mag.

Velle, de conatu, tentamine, non prorsus abundat, I, 2, 94. III, 4, 4. IV, 2, 11. IV, 3, 8.

Venerandus, conspicuus quadam formae dignitate vel honoribus, I, 7, 56. IV, 2, 10.

Venire, 1) pro simpl. ire, prodire, IV, 2, 12. 2) venire dicitur, quod nullo fere labore invenitur, et facile acquiritur, II, 3, 72. Similis est usus v. ἥκειν, ἔρχεσθαι, v. Graev. ad Lucian. Dial. Mort. IV. 3) participiis passivi adiunctum, *vigilanda venit*, I, 2, 78. cf. Prop. I, 5, 32. 10, 25. suam quoque vim propriam atque elegantem habet, ut gr. ἔρχεσθαι pro εἶναι, v. Serv. ad Georg. I, 29. Alias pro tenui *esse* dictum volunt, v. Heyn. ad Virg. Aen. V, 344. Mitsch. ad Hor. I, 19, 16.

Verberare, pulsare, de grandine, I, 2, 7. cf. Hor. III, 1, 29. Alias *icere*, *percutere*, sim. Vid. Weich. Epist. crit. in Val. Fl. p. 41.

Verna, puer domi ex ancilla natus, I, 5, 26. II, 1, 23. Pueri istius generis garrulitate mirum saepe faciebant ad animos dominorum exhilarandos, illisque accepti erant, v. intpp. ad Hor. II. Sat. 6, 66. et inscriptt. apud Reinesium.

Versare solum, quod bidente fit, i. q. diffindere, umhacken, II, 3, 6. Plenius: *ligonibus versare glebas*, Hor. III, 6, 39. Alias quoque de aratione, Prop. IV, 1, 129. Itidem *vertere*, Prop. III, 7, 43. Sil. III, 551.

Vertere, 1) propr. cardinem ianuae, I, 2, 10. vel *fores*, I, 6, 12. Vid. Sagitt. de Ianuis p. 42. 2) mutare, I, 9, 12. I, 5, 39. passim. 3) *vertere ad mala quid* = quo abuti in perniciem, I, 10, 5.

Viae, 1) de itineribus mercandi vel militandi caussa susceptis, I, 1, 26. 52. I, 3, 36. passim. cf. Hor. II, 6, 7. 2) = subtemina vestibus intertexta, II, 3, 76.

Vigere dicuntur 1) homines, alacriter et laete occupati in

aliqua re, IV, 1, 88. 2) res, quae per se iucundae usu et exercitatione frequentantur, I, 5, 59.

Vincla, 1) catenae, quibus ianitorum pedes religati erant, I, 6, 38. II, 3, 53. vid. Sagittar. de Ianuis p. 100 sq. 2) soleae, I, 5, 66. 3) cortex, qua cadus adstrictus erat, II, 1, 28. 4) lora quibus colla boum alligantur, II, 1, 7. IV, 3, 14.

Vir, ut *maritus*, *coniux*, *gener*, poëtis dicuntur, qui tales fieri cupiunt, vel futuri sunt, III, 2, 14. cf. Virg. Aen. IV, 35. VII, 189.

Votum, res ipsa, quae deo vovetur, *fistula*, II, 5, 29. hinc *pendere* dicitur in *arbore* ex more votivas res suspendendi in templis; cf. Prop. IV, 3, 17. v. Briss. de form. I. p. 107.

Collatio quatuor Berolinensium Tibulli codicum mss., quos supra descripsimus, ad Heyn. edit. tertiam facta.

LIBER PRIMUS.
CARMEN I.

Vers. Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
2. magna	2. *sic*	2. *sic*	2. *sic.*
—	—	—	5. vita *a, m. s.*
6. mens	—	—	6. exiguo *a.m.s.*
—	12. florida	—	12. *sic.*
14. dēū	14. deum	14. *sic*	14. agricolam — deum.
17. ortis	—	17. *sic*	—
—	19. felices	—	—
22. parva	22. *sic*	22. *sic*	22. *sic.*
—	—	—	23 sq. cadat — clamat.
25. Iam modo nunc	—	—	25. Iā mō nō.
29. bidentes	29. *sic*	29. *sic*	29. *sic.*
—	31. pudeat	—	—
—	34. magno praeda	34. grege est	—
36. nocte	—	—	—
37. nec	37. e	37. nec v. de	37. e.
44. Scilicet	44. Si licet	44. Scilicet	44. *sic.*
46. continuisse	46. *sic*	46. *sic*	46. *sic.*
—	—	47. effuderit	—
48. igne levante	48. igne	48. *sic*	48. *sic.*
—	—	—	49. si dives.
51. pereat potiusque sm.	51. *sic*	51. *sic*	51. *sic.*
—	54. exiles praef.	—	54. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	55. retinet - cura	—	—
—	56. diras	—	—
—	57. cupio	—	—
59 sq. Et sp. — Et ten.	—	—	59 sq. *sic.*
63. Phoebo ferro	63. ferro praec. duro	—	—
—	—	64. iuncta	—
70. venerit	—	—	—
71. licebit	—	71. *sic*	—
—	72. capiti	72. *sic*	—
78. Dites desp., desp.	78. *sic*	78. *sic*	78. *sic.*

CARMEN II.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
3. percussum	3. *sic*	3. *sic*	3. *sic.*
6. firma	6. *sic*	6. *sic*	6. *sic.*
7. dominae	7. *sic*	7. *sic*	7. *sic a m. s.*
—	—	—	8—9. *desunt*
—	10. Nec	10. soles	—
14. florida	14. *sic*	14. *sic*	14. *sic.*
—	17. iuvenis seu quis	—	—
19. discedere	19. decedere	19. disced.	19. *sic.* deced. *a m. s.*
—	—	—	21. vultus *in marg.* nutus..
b 22. addere	22. addere	22. *sic*	22. *sic in marg* abdere.
23. Haec docet hoc	23. Nec decet	23. Hoc decet hoc omnis.	23. decet.

24. *Post hunc versum sequitur distichon, quod in vulg. recensione omissum est:*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe	*sic*	*sic*	*sic*
Praesidio noctis sentio adesse deam	Securus in tenebris me facit esse Venus	*ut in Cod.* 1.	Securum in tenebris me facit esse Venus.
—	26. ferat	—	—
28. nec timuisse	28. *in marg.* Al. iuvat	28. Nec	—
—	—	31. hinc-reserat	—
—	—	—	32. tacitura
—	33. fiat	—	33. *sic*
—	—	—	35. Ne
—	—	—	38. dies
40. sentiat	—	40. *sic*	40. *sic*
44. fulminis	44. sistit	44. fulminis	44. fulm. et
46. trepido	—	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	47. catenas *in marg.* aut catervas.	—	—
49 sq. lubet	49. licet	49 sq. lubet	—
—	52. echates	—	52. Hecates.
53. quis	53. *sic*	53. *sic*	—
—	56. si molli - ille	—	—
—	—	—	58. sentiret esse nihil.
59. si dixit	59. sibi d.	—	—
61. thedis	—	61. *sic*	—
—	—	63. totus ut	—
—	65. possit	—	65. *sic.*
—	—	—	66. maluerat.
—	—	68. rapto	—
—	—	70. Insidiat consp. equo cel.	—
71 sq. si — solito	71 sq. si-possem - insolito.	71 sq. sit — insolito	72. solito.
—	—	—	77. tunc.
78. posset	—	78. *sic*	78. *sic.*
—	—	—	80. num p.
—	81. sedem	—	81. ferro inc.
82. dirripuisse	82. diripuisse	82. *sic*	82. *sic.*
85. pedibus *in marg.* genibus	—	85. pedibus	—
—	86. tondere	—	—
—	88. vanus serviet	88. Mox tibi ne vanus saeviat	—
95. circumstetit arcta	95. circumvenit arcta	95. circumstitit	—
—	—	—	97. debita *in marg.* dedita.

CARMEN III.

4. mors violanda manus	4. mors modo nigra	4. *sic.*	4. *sic.*
—	—	—	7. honores.
9. usquam, quae — cum	9. cum	9. usquam, quae — cum	9. *in marg.* usquam est — cum
11. ille	11. substulit ille	11. substulit illi	—
12. rettulit	12. *sic*	12. omnia	—
13 sq. quicquam — Cum	13 sq. nusquam Cum	13 sq. *sic.*	13 sq. *sic.*
17. aves dant omina d.	17. aves: dant o. d.	17. *ut cod.* 1.	17. *ut cod.* 2.
18. Saturni sacram	18. *sic*	18. *sic*	18. *sic.*
19. quotiens	19. *sic*	19. *sic*	—
21. neu quis	21. *sic*	21. *sic*	21. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
23. ysis	23. hysis tibi	23. ysis	—
24. totiens	24. *sic*	24. *sic*	24. *sic.*
25. piae	—	—	—
—	26. succubuisse	—	—
29. Et	29. persolvere	29. Et — persolves	29. Et — persolvat *a. m. s.* Ut — persolvens.
—	30. sedeant	—	—
—	32. desinat	—	—
—	34. mascula	34. *sic*	—
—	—	—	36. in longas tellus
—	37. contexerat	— u	—
—	—	41. tardus	—
—	43. arvis	—	—
—	—	47. non ensem	—
49. et vulnera	49. *sic*	49. *sic*	49. *sic.*
—	50. N. maris et leti — reperte	50. repte	—
—	—	51. Parce precor	—
54. inscriptus - o. mea	54. in scriptis	54. inscriptis	54. inscriptus *a m. s.* inscriptis
55. amore	—	55. *sic*	—
58. in	—	58. *sic*	58. *sic.*
63. At — speties	63. Ac	63. At	63. Ac.
68. nocte *in marg.* nigra	—	68. nocte	—
—	—	—	69. *a. m. s.* ferox.
71. Tum	71. *sic*	71. *sic*	71. *sic.*
72. stridet	72. *sic*	72. *sic*	72. *sic.*
77. signa *in marg.* stagna	—	77 sq. *post sequens dist. Tunc desunt versus ad* 92 *usque.*	—
—	—	—	79. lumina.
81. est *superscript.* sit i	—	—	—
82. malitias	—	—	—
—	88. somnos	—	—
89. Tum	89. Nunc	—	89. quicquam.
—	93. rubentem	—	—

CARMEN IV.

4. nitet nec	—	4. *sic*	—
5. tempora *in marg.* frigora	—	5. tempora	—
7. tunc — respondit	—	7. *sic*	7. respondit.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
8. sit	8. *sic*	8. *sic*	8. *sic.*
—	11. compescat	—	—
12. muto *in marg.* niveo	—	—	12. *in marg.* Hic placet a niveo
15. ne te-negabit	15. *sic*	15. *sic*	15. *sic.*
27. transiet non	27. *sic*	27. *sic*	27. *sic.*
28. quam segnis — remeatque	28. remeatque	28. *sic*	28. *sic.*
30. alta	30. *sic*	—	—
33. Vidi iam	33. *sic*	33. *sic, et mox* senior *in marg.* segnior *aut* serior	—
—	—	—	36. ullam.
—	37. iuventa	37. *sic*	37. iuventus.
—	39. licebit	—	—
—	40. credas	—	40. *sic.*
43. picta	43. nigra	—	43. picta.
48. opere	48. opera - aterruisse	—	48. opera.
—	49. attingere *in marg.* si claudere	—	—
—	50. negent *in marg.* nega	—	—
—	—	51. destra	—
—	52. ipse	—	—
53. mihi	53. Tum tibi	53. mihi *in marg.* tibi	53. tunc cara.
55. post afferet ille volenti	55. post afferet ipse rog.	55. *ut in Cod.* 1.	55. *ut in Cod.* 2.
57. damnant *in marg.* tractant	—	57. damnant	—
59. Iam tu qui	59. *sic*	59. Iam tuâ qui	59. At tu *a. m. s.*
—	—	60. est	—
—	—	—	61 sq. Pierides.
63. purpurea ē	63 purpurea nisi	63. *sic*	—
—	—	—	66. ignis *in marg.* amnis.
—	69. impleat	—	—
—	70. frigios	70. *sic*	—
71. modum	—	71. *sic*	—
72. flentibus	72. *sic*	72. *sic*	72. *sic.*
—	73. tacito	73. tacio	—
—	74. tacitum	74. tacium	74. hoc.
—	—	75. pereat	—
78. multis	—	78. *sic*	—
79. canentem	—	79. *sic*	—
—	—	80. Se ducat	80. Diducat.
81. quam Marath. lento	81. *sic*	81. *sic*	81. *sic.*
—	84. ministeria	84. Quom me	—

CARMEN V.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. dissidium	1. *sic*	1. *sic*	1. *sic.*
—	—	3. ago	—
—	5. liceat	—	5. liceat *a m. s.*
—	6. posthaec	—	—
—	7. parce f.	7. Parce puer parce f.	7. P. t. parce *in marg.* per te.
—	—	9. quom	—
11. te circum	11. *sic*	11. Ipse te circum	11. te c.
—	12. pertimuisset *in marg.* praecinuisset	—	12. praececinisset *in marg.* praecinuisset. mola
—	—	—	14. manu.
—	—	16. Veneri	16. circū Veneri *a. m. s.*
—	23. plenas *a marg.* plenis	—	—
24. candida *in marg.* pinguia	—	—	—
28. segete [et] spicas	28 seg. et sp.	—	28 seg. et sp. *a m. s.* seg. sp.
30. Adiuvet	30. *sic*	30. *sic*	30. *sic.*
—	31. Nunc	31. quo	—
32. detrahat	32. se lectis retrahat	32. detrahat	—
—	33. Et tant. hunc v.	—	33. huc s. c.
34. illa	—	34. *sic*	—
38. verteret	—	—	—
—	—	39. quom	—
40. destituitque	40. Admovit	40. destituitque	—
41. disced. devotum	41. *sic*	41. *sic*	41. *sic.*
42. p. et — nephanda	42. *sic*	42. *sic*	42. *sic in marg.* et notum est.
43. haec — niveisque	43. haec	43. haec — niveisque	43. haec.
—	45. nereis quae	45. *sic*	—
47. abest	47. Nec	47. habest	—
—	—	51. facta	—
—	—	53. fama	—
—	—	55. Curat	55. per umbras.
—	—	56. et triv.	—
57. Eveniet — amantum	57. Eveniet	57. Et veniet	57. Eveniet.
60. amans	60. v. ipsa venus	—	—
65 sq. deducet — detrahet	65 sq. *sic*	65 sq. *sic*	65 sq. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
67. patescit	67. Neu canibus f. nec v. vincta patescit	67. patescit	67. *sic.*
69. furta	69. proprior *in marg.* potior furta	69. furta	69. *sic.*
70. sors	70. rota	—	—
—	71. Nam frustra	—	—
—	72. et refugit	—	72. ac ref. *in marg.* et.
74. excubat ipse f.	74. excreat ipse	74. *sic*	—
—	75. paret	—	—
76. nam tibi	—	76. *sic*	—

CARMEN VI.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
3. saevitiae m. est — m. est	3. saevitiae	3. *ut cod.* 1.	3. saevitiae m. — est.
—	—	4. hominum	—
—	—	—	5. Iam *a. m. pr.* Nam.
—	—	6. calida	—
—	—	7. sed cred. durum	—
—	—	—	9. laedere a m. s. ludere.
—	10. heu nunc premor ab	—	—
11. nunc-causas qua *in marg.* ut	11. didici — ut	11. nunc — qua	11. nunc — ut.
12. Tum	—	12. *sic*	12. Card. nunc.
13. quis	13. Tunc — quis	13. quis	13. Tunc.
16. nihil	16. *sic*	16. *sic*	16. *sic.*
17. Non *in marg.* e Neu celebrat	—	—	—
—	—	18. lassa	—
—	21. se visere	—	—
—	23. sequere *in marg.* sequar	—	23. aram.
25. signumque	25. *sic*	—	25. *sic.*
—	—	—	26. P. casum.
31. nunc dicere	—	31. nunc	—
—	—	32. quoi	—
34. Fr. servare *in marg.* serv. ah frustra	34. serv. frustra	34. *sic*	34. *sic.*
—	37. Ut mihi	—	—
39. Tum — colit	39. colit	39. Tum — colit	39. colit.
40. Et fluit	40. lassa	40. Et fluit — quoi t. lassa	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
41. posset	41. crimen possit	41. posset	—
45. H. tibi B. victa est a	45. mota est agitata	45. H. u. victa Bellonae est agit	—
46. non et amens	46. non et amens	46. *sic*	46. non et amans *in marg.* nec demens.
—	47. violata	—	47. violata *a. m. s.* violenta.
—	48. sanguine et - inepta deum *in marg.* inulta deam	—	—
50. movet	50. *sic*	50. *sic*	—
53. Attigerit	53. *sic*	53. *sic*	53. Attigerit — et v.
—	—	—	54. hoc *a m. s.* hic.
—	55. Et tibi *suprascr.* mihi	—	55. Et mihi *a m. s.* tibi.
—	56. sint p. illae leves	56. lenis	56. amittas *a m. s.* adm.
—	57. Haec ego te	—	—
58. monet	—	58. *sic*	—
—	59. Haec me deducit	—	—
—	61. mea fixa	—	—
64. Sit mihi	64. Si modo	64. Sit mihi	—
66. agit	66. *sic*	66. *sic*	66. *sic.*
—	67. nec vitta	67. victa	67. *sic.*
—	69. claudere	—	—
70. Possum	70. *sic*	70. *sic*	70. *sic*
71. putor ducar	71. putat ducor	71. putor ducorque	71. putat ducorque.
72. proprias	72. proprias proripiorque	72. *sic*	72. pas *in marg.* properans proripiorque.
—	73. ipse	—	—
—	—	75. si mente	—
78. ducat	—	78. ducat — certa manu	—
80. putet	—	—	—
—	—	82. senes	—
86. simus	86. *sic; videtur autem prius exstitisse* stemus	—	86. *sic.*

CARMEN VII.

3. forte	—	—	3. frangere.
4. Atax	4. *sic*	4. *sic*	4. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	—	5. Et venere	—
—	8. nitidis	8. Portabit	8. nitidis.
9. tua bella	9. *sic*	9. *sic*	9. *sic.*
—	11. Atax	11. *sic*	—
12. Carnoti	12. *sic*	12. *sic*	12. Carmoti.
13. At te cidne	13. At te cidne — tantis	13. At te — tacitus	13. At.
14. Ceruleus placidis	14. *sic*	14. *sic*	14. Ceruleus tacitis.
15. Q. ab *in marg.* et	15. Qu. et — contingis	15. Q. ab	—
—	17. Q. r. crebras v. 1.	—	17. per undas
—	—	—	20. credere d. T.
e 22. habundat	—	22. habundat	—
23. tibi dicere	23. possim te	—	23. quanam te poss. d. c.
—	26. pluvias	—	—
28. Memphitem	28. *sic*	28. *sic*	—
29. solerti	29. *sic*	29. *sic*	—
35. sopores	—	35. *sic*	—
—	—	39 sq. *post* 41 *sq. transpositi*	—
42. vincta sonent	42. cuspide pulsa sonant	42. *ut cod.* 1.	42. cuspide *in marg.* compede.
43. sint	—	43. *sic*	—
44. actus amor	—	44. actus amor	44. lenis.
45. variis	—	45. *sic*	—
49. ludos	49. *sic*	49. *sic*	49. *sic.*
—	—	50. concelebra multo	—
—	51. et nitido	51. *sic*	51. *sic*; in *marg.* e nit.
53. dem	53. *sic*	53. *sic*	53. *sic.*
54. messapio	54. lilia *in marg.* liba mesopia — mella	54. libia et Mesopia — mella	54. mesopio *in marg.* mopsopio dulcia mella— feram *a m. s.* favo.
	—	—	—
56. venerata	—	56. *sic*	—
—	57. Ne —	57. *sic*	—
61. canit agr. magna	61. *sic*	61. *sic*	61. *sic.*

CARMEN VIII.

1. celare possum — amoris	1. celare possum — amantis	1. *ut cod.* 1.	1. celare *a m. s.* celari possum.
—	2. mitti-somno	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
6. vulneribus	—	6. *sic*	—
—	9. prodest molles	—	9. *sic.*
11. fuco — comas ornare	11. *sic*	11. *sic*	11. *sic; in marg.* genas.
—	—	12. doctos	—
14. arte	14. alligat arcta	13 sq. nam — arte	14. arte.
15. Illa	15. *sic*	15. *sic*	15. *sic.*
—	16. compresit *in marg.* compserit	—	—
17. pallentibus	17. *sic*	17. *sic*	17. *sic.*
19. deducit	—	19. *sic*	—
—	21. curru deducere lumina t.	—	—
23. querar	—	23. *sic*	—
—	27. Heu	—	—
29. M. nec	—	29. nec	—
30. foveat	30. *sic*	30. *sic*	30. *sic.*
31. mollia	31. *sic*	31. *sic*	—
—	32. hispida	—	—
35. invenit	35 succumbere *in marg.* succurrere	35. invenit	35. invenit — concumbere.
36. timet	36. *sic*	36. *sic*	36. *sic.*
—	—	37. henelanti	—
39. iuvant	39. *sic*	39. *sic*	39. *sic.*
40. capienda	—	40. *sic*	—
41. iuventus	41. iuventa	41. iuventus	41. *sic.*
43. formae est — tunc	43. Tunc — est — tunc mutat ut annos	43. *ut cod.* 1.	43. f. est coma tunc.
—	45. T. non	—	—
—	—	—	47. primum.
—	48. parvo *in marg.* alii: tardo	—	—
49. torques — v. est	49 torques-*obliterato* s — est	49. Seu — torques — est	49. victo est.
51. sentica	51. scutica causa *omisso* est a	51. sentica c. est	—
52. luteo cor- a pore	52. lucteo corpora	52. luteo corpore	52. nimium luteo *in marg.* luto.
53. Ut m. a. miseras qui	—	53. *sic*	53. quam *a m. s.* cum.
—	54. coniicit *in marg.* concinit	—	54. concinit.
55. Qui — spernis	55. spernis	55. Quidve — spernis	55. spernis.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	56. deos	56. cupidas	—
57. levis	57. *sic*	57. *sic*	—
—	—	—	58. ut nec *a m. s.* non.
59. possum	59. *sic*	59. *sic*	—
61. possunt	—	61. *sic*	61. *sic.*
—	—	63. quom	—
64. malis	64. *sic*	64. *sic*	64. *sic.*
—	69. foloë	—	—
—	—	75. ulli	—
76. opposita	76. *sic*	76. *sic*	76. *sic.*

CARMEN IX.

—	3. Ha	—	—
—	—	9. Lucra petitur asper freta p. v.	9. petituros.
—	—	14. detrahet *in marg.* deteret	—
16. detrahet *in marg.* deteret	—	16. *sic*	—
17. quotiens	17. *sic*	17. *sic*	17. *sic.*
—	20. aspera est	—	20. illis *a m. s.* illi.
23. caelanti fas	23. *sic*	23. celanti fas	23. *sic.*
24. Sit — vetet	24. *sic*	24. *sic*	24. *sic.*
25. leua *in marg.* lene	25. leve	25. lene	25. *sic.*
—	—	—	26. Adderet ut.
28. immites *in marg.* invitos	—	—	—
—	—	29. nec me	—
31. Tu mihi — nullo tibi	31. Tunc — tibi d. a.	31. Tu — tibi	—
—	—	—	33. Camp. tota *a m. s.*
35. caeli	35. *sic*	—	35. eriperet.
36. fulminis *in marg.* fluminis	36. fluminis	—	36. *sic.*
39. Q. faciam	—	—	39. *sic; a m. s.* faceres.
40. Sed — lenis *suprascr.* u	—	40. Sed	—
41. quotiens	41. *sic*	41. *sic*	41. *sic.*
43. ubi *suprascr.* tibi	—	—	—
44. Sed — clausos	44. Sed — clausas	44. Sed	44. *sic.*
48. Et	48. *sic*	48. *sic*	48. *sic.*
—	49. rabida	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	—	53. At tu	—
55. laxaverit	—	55. *sic*	—
—	63. vocem	—	—
66. trahit *in marg.* movet	—	66. Quom — thait	—
—	68. nectere	—	—
73. Non f.	—	73. *sic*	73. haec v.
80. regno regna tuo — suo	80. regno bella s. t.	80. regno regna — suo	80. reguo regna
81. dum me — ipe venerique	81. dum	81. *sic*	81. *sic.*
—	—	—	82. palma *a m. s.* parma.
—	—	83. fallacis	—

CARMEN X.

—	—	1. Qui fuit	—
3. Tum — tum	—	3. *sic*	—
4. Tum	4. *sic*	4. *sic*	—
5. An	5. *sic*	—	—
—	6. illa	—	—
12. tremente	—	12. *sic*	12. *sic.*
13. et nunc	—	13. *sic*	—
15. idem	15. *sic*	15. *sic*	—
17. a st.	—	17. *sic*	—
18. veteres	18. *sic*	18. veteres veteres	18. veteres.
—	—	19. quom	—
21. libatus *in marg.* placatus	—	21. libatus	—
23. ipsa	23. compos voti — ipsa	23. ipsa	23. vota ipsa *a m. s.* liba ipse.
26. Hostia que e — aqua *in marg.* hara	26. Hostiaque e	26. Hostiaque e — ara	26. Hostiaque e — rustica *a m. s.* mystica.
—	32. immenso	—	—
—	33. accersere	33. accrescere	33. accersere.
34. dum *in marg.* clam	34. ipsa pede	—	—
36. puppis	36. *sic*	36. *sic*	36. *sic.*
37. percussisque — vasto	37. percussisque	37. *sic*	37. *sic.*
—	38. latus	—	—
—	41. ac f. a.	—	41. ut f. a.
—	—	43. sit	—
45. colit	—	—	—
—	46. panda b.	—	—
49. ac	—	49. *sic*	—
—	—	53. cadent	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	—	—	56. convaluisse.
—	—	58. letus	—
—	59. Ha lapis f.	—	59. Ha.
60. diripit	60. et caelo diripit	60. dirripit	60. et coelo dirip. ipse.
61. perscindere	61. *sic*	61. *sic*	61. teneram perscind.
64. Quo	64. *sic*	64. *sic*	64. *sic.*
68. Perfluat	68. *sic*	68. *sic*	68. *sic.*

LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

1. adest valeat	1. *sic*	1. *sic*	1. *sic.*
9. sunt	—	9. *sic*	—
11 sq. discedere *supraser.* at Çui	11 sq. discedat — Cui	—	11 sq. discedat — Cui.
—	—	12. Cui	—
15. aram	ignis 15. agnus—aras	—	—
—	—	—	16. Victaque.
—	18. liminibus	—	—
20. segnior	—	20. *sic*	—
—	—	—	21. confusus.
22. ingerat	—	22. *sic*	22. *sic.*
23. satiri r	23. satyri	23. satiri	23. satyri *in marg.* saturi.
24. ante	—	—	24. ante *a m. s.* arte.
25. herbis	25. Et ventura — vides ut *in marg.* viden' ut	25. herbis	—
—	—	31. ducat	—
33. aequitanae	33. equitanae	—	—
34. ades	34. *sic*	34. Et m. i. victor ades gloria	34. ades.
—	36. gloria	—	—
—	—	—	40. domum *in marg.* casam.
41. primi	41. *sic*	41. *sic* - ferentur	41. primi.
45. Antea *in marg.* aurea	—	—	—
46. securo ē	—	—	—
—	—	—	47. calidi qui s.
49. ingerat	—	49. *sic*	49. *sic.*
—	50. et	—	50. *sic.*
54. duceret	54. *sic*	54. *sic*	54. *sic.*
55. nimio	55. *sic*	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	—	—	57 sq. Huc d. — hauserat.
58. hauserat	58. auxerat	58. hauxerat	—
59. prior *in marg.* puer — de rure hinc	—	—	—
63. impensa	—	—	—
65. adsidue textrix — Minervam	65. *sic*	65. *sic*	65. *sic.*
66. appulso	66. *sic*	66. Cantat appulso	66. appulso.
67. Ipse quoque inter agros	67. I. quoque inter agros int' et a.	67. *ut cod.* 1.	67. *sic.*
—	—	—	68. aquas.
—	69. indomito	—	—
73. ^{e}opus	73. et d. i.	—	—
—	78. qui *in marg.* Cui	78. Quoi	—
—	79 sq. Ha-leviter	—	79. Ha.
—	—	80. qui pl.	—
82. h. precor	82. *sic*	82. *sic*	82. *sic.*
—	—	83. diem	—
87. nam	—	87. *sic*	—
88. thoro	88. Martis-toro	88. lascivio — thoro	88. thoro *in marg.* choro.
89. ^{u}tacitis fulvis	89. fulvis	89. tacitis fulvis	89. fulvis.

CARMEN II.

—	—	4. Q. t. et	—
5. adsit genius	—	5. *sic*	—
6. florea	—	6. Qui—florea	—
7. Illius ^{e}puro dist.	7. Ill. pura dist.	7. pura dist.	7. dist.
9. Cherinte *in marg.* Cornute	9. Cornute	9. *sic*	9. *sic; in marg.* Cherinte.
10. annuit	10. *sic*	10. *sic*	10. adnuit.
—	12. ipsum edocuisse deos *in marg.* hoc ipsos edidicisse	—	—
—	—	13. quocunque	—
15. felicibus undis	15. *sic*	15. *sic*	15. *sic.*
17. cadant utinam strepitantibus	17. cadunt utin. strep.	17. utin. strep.	17. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
19. quae et moneant	—	19. quae et maneant	19. quae et.
—	20. indurat *in marg.* inducat	—	—
21. Hic veniat — avis	21. *sic*	21. Hic veniet — avis	21. Hic veniat N. avis.
—	—	—	22. Laudat.

CARMEN III.

1. corinthe *in marg.* cornute	1. cornute	1. *sic*	1. *sic; in marg.* Cherinte.
2. heu heu	2. *sic*	2. *sic*	2. *sic.*
3. latos	3. *sic*	3. *sic*	3. *sic.*
4. araturis	4. aratoris — dixit	—	—
5. c. adsp. dom.	5. dum asp. dom. v	5. asp. dom.	5. *sic.*
—	6. calido — bibente	—	—
—	—	—	8. colenda *b.*
9. queritur *in marg.* quererer	—	—	9. q̄ sol.
10. et t.	10. et t. — puscula rapta	10. et t.	10. et t.
11. armenti *in marg.* admeti u	—	—	—
12. praefuerint	—	—	—

14. Post h. vers. sequuntur duo disticha in vulgari recensione omissa:

Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas	*sic*	*sic*	*sic.*
Crediturad mulctram constituisse prius	Et potum fessas ducere fluminibus *in marg.* Cred. ad *cet.*	*ut cod.* 1.	Creditur ad m. cōtiguisse pr. *in marg.* Et pot. pastas *cet.*
Et miscere novo docuisse coagula lacte	*sic*	*sic*	*sic.*
Lacteus et mixtus obriguisse liquor *in marg,*	*sic*	*sic*	*sic.*
Quo fertur mixtus o. l.	—	—	—
15. levis	15. levi obtesta	15. fistella	15. vimina.
17. quotiens	17. *sic*	17. *sic*	17. *sic.*
—	—	18. rubuisse	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
19. quotiens	19. quotiens — cum	19. quotiens	19. *sic.*
22. a templ.	22. *sic*	22. ad templis	22. a t.
27. phito	27. *sic*	27. *sic*	—.
28. patria *in marg.* parva	—	—	—
29. veneris	—	—	—
—	—	31. q sua	—
33. q. is es tristi cui f.	—	33. tristi q	—
34. imperat ut c	34. *sic*	34. *sic*	34. *sic.*
37. finxit crudelibus	—	37. c. crudelibus	—
38. furor—proprior	38. cruor *in marg.* furor - propriorque	38. propriorque	38. furor.
39. campo *in m.* ponto	—	—	—
40. manibus *in m.* ratibus	—	40. Dellica	—
u 41. coepit—obsistere	41. obsistere *in marg.* obsedere	41. coepit—obsistere	—
o 42. multa innu- e meras iugera — oves	42. Ut multa innumera iugera — ove	42. *sic*	42. Et multa *cet.*
43. aeternus — urbisque	43. urbisque	43. Qui—aeternus-urbisque	—
47. laete	47. At te	—	—
—	50. venient	—	—
52. conspiciunda venus meis	—	—	—
53. gerit	53. geret	53. gerit	53. *sic.*
—	—	—	55. terret.
—	57. se lectos	57. *sic*	57. cernent.
um 58. puniceos	—	58. puniceos	—
59. ipsa	—	—	59. regum-qua.
60. bissatos — carastra *in marg.* catasta	60. catastra	—	—
61. seges — qui	61. *sic*	61. *sic*	61. *sic.*
—	63. conditor	—	—
64. phoebe *in marg.* bacche latus	—	64. phoebe	—
—	—	—	66. Addere.
71. Tunc	—	71. Tunc — aspirat amor	71. Tunc.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	73. exclusiva [ur above]	—	—
74. *Post h. v. sequitur:* Ah pereant artes et mollia iura colendi	74. *Post h. v. sequitur:* Detur ut accedam dominae pro velle loquarque. *Suprascript:* Ah pereant *cet.*	74. *P. h. v. sequitur ut in cod.* 1.	74. *Post h. v. sequitur hexamet. ut in* 1. *et* 3. *In marg. sic:* Mox precor ille redi patienter rursus ut olim
—			
76. vilosa — tegat *in marg.* tegam	76. vilosa — tegam	76. villosa — tegat	—
77. mea si [x below]	—	—	—
78. lapsam—togam	78. laxam — togam	78. lapsam—togam	78. miseram laxam — togam
80. negem	—		—

CARMEN IV.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. Ic — dominamve	1. Ic *in marg.* S [i below]	1. Dic *a m. s.* Sic — dominamve	1. Sic *a m. s.* Hic.
4. remittet	4. remittet	4. *ut cod.* 1.	4. *ut cod.* 1.
9. cautex	—	—	—
—	10. canderet *in m.* tunderet	—	—
12. nam — tem[a]pore	12. nam	12. tempore	—
—	—	—	14. Ille.
15. non	15. non	15. *sic*	15. *sic.*
18. recurrit	18. *sic*	18. *sic*	18. *sic.*
—	21—24. *post vs.* 12. *sequuntur*	—	—
23. focis-sacris	23. sacris-phanis	23. *ut cod.* 1.	—
—	24. veneranda	—	—
29. causam — choa	29. stimulos et choa p.	29. causam	—
30. e rubro	30. *sic*	30. *sic*	30. *sic.*
—	34. canis et ipse	—	—
—	—	—	35. forma.
36. attulit ipse	36. *sic*	36. *sic*	36. *sic.*
40. Eripiant	40. Erripiant	40. *sic*	40. *ut cod.* 1.
—	41. tunc *superscr.* at nc	—	—
43. veniat—nec erit —	43. venerit — nec	43. veniat—nec	43. Sed veniat — nec.
—	—	48. dabat	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
49. valide *in m.* placide	49. dicat	49. valide *in m.* placide	49. quiescis.
51. quid prosunt mihi v.	51. quid mea vera	51. *ut cod.* 1.	51. verba.
—	—	—	57. ubi domitis
—	59. Sed modo	—	—

CARMEN V.

3. vitales	—	—	—
4. N. puer	—	—	—
—	—	—	6. serta v.
7. pulcherque	7. *sic.*	—	—
9. referunt	8. et bene	9. referunt	—
—	—	10. continuisse	—
d 11. debitus	11. deditus	11. debitus	—
—	12. Qui scit	—	—
—	13. persentit	—	13. Tu regis.
15. Sybilla *sine* est	15. *sic*	15. unquam — Sibilla,	15. Sibylla,
17. dicere cartas	—	—	—
18. quos c.	18. ipsa — quid c. ipse	18. quos c. ille	18. quos.
—	—	19. per entem	—
20. captos substinuisse	20. *sic*	20. *sic*	20. *sic.*
—	22. focos	—	22. domos.
—	27. illic pan suberat	—	—
29. Pendebantque	—	—	—
—	30. facta	—	30. *sic.*
—	—	31. q	—
—	—	—	32. Nec cal.
34. pulla	34. *sic; in marg.* pura	34. pulla	34. *sic.*
—	35. Illaque s. regis *suprascript.* gregis	—	—

39. *Inde ab hoc versu incipit novum idque sextum carmen.*

40. Troica — profugus	40. Troica — trabibus	40. Troica	40. *sic.*
46. dura superba	—	—	—
—	—	47. nitulis	—
—	49. nurus	—	—
—	—	—	53. victasque.
—	—	—	60. obluit.
t 61. nunc	61. nunc se miratur	61. tunc	—
62. longam — viam	62. *sic*	62. *sic*	62. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
o 63. canam	63. sacros	63. canam	—
—	64. Noscar	64. *sic*	—
—	66. fuscas *in m.* fussas	66. iactavitque fusas	—
67. marpesia	67. *sic*	67. marsepia	67. *ut cod.* 1.
68. Heriphile — grata quod admonuit	68. Erifile	68. *ut cod.* 1.	68. *ut cod.* 1.
69. Quodque albana	69. *sic*	69. Quosque	69. *ut cod.* 1.
—	70. perlueritque	—	70. Portavit — perlueritque.
71. Haec u	71. Haec — magna s.	71. Haec—duxerunt	71. Haec.
72. et — depuleritque	72. et—deplueritque	72. *sic*	72. et — depuleritque.
73. strepitantia	73. *sic*	73. *sic*	73. *sic.*
74. ptimuisse	74. pertimuisse	74. *sic*	74. A. atque lupos praecicinisse f.
75. defessum *in m.* defectum	—	75. defessum	—
76. nubibus — u annis	—	—	76. amnis.
79 fuerant	79. *sic*	79. fuerunt	79. fuerant.
83. L. ubi	83. *sic*	83. *sic*	83. *sic.*
84. distentet	—	84. *sic*	—
85. feruet	—	—	85. Oblutus.
87. Ac	87. *sic*	87. *sic*	87. *sic.*
—	88. Continet	—	—
89. solennis	89. *sic*	89. solemnis	89. *sic.*
92. compressis	92. compresis	92. *ut cod.* 1.	92. *sic.*
93. vigilare *in m.* ad	—	93. vigilare	—
96. antiqui — unda *in marg.* umbra	—	—	96. unda.
97. sua *in marg.* sacris	97. tendet	—	—
—	98. ipse calix	—	98. *sic.*
—	—	99. tibi — extruat	99. Aut s. — exstruat.
101. et pot.	—	101. *sic*	101. mala dicta
102. qui plo	—	—	—
103. iurabit	—	103. iurabit	—
105. pereant arcus	105. *sic*	105. pareant	105. *ut cod.* 1.
106. nec *suprascr.* modo	—	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
108. ista	108. *sic*	108. *sic*	108. *sic.*
109. taceo quom	109. taceo cum	109. *sic*	109. taceo.
110. cum iuv.	110. dum iuv.	110. cum	110. cum.
111. Usque	111. *sic*	111. *sic*	111. *sic.*
112. iussos a. repisse	—	112. reperisse	112. *sic.*
—	—	—	113. A tu
—	115. Et M.	—	—
116. vincta *in marg.* victa — forent *in marg.* geret	116. vincta	116. vincta ferent	116. ferent.
117. lauros	117. *sic*	117. *sic*	—
—	—	—	118. triumpha.
119. Tum	—	119. *sic*	—
121. A. s. sint int. tibi	—	121. *sic*	121. sit *in marg.* sic.
—	122. Sit tua	—	—

CARMEN VI.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
2. ferat	—	2. *sic*	—
—	3. terret	—	—
5. puer otia *in m.* ferus	—	5. puer otia	—
6. *in marg.* et verum	—	—	6. errorem.
8. portat	—	—	8. levi—portat.
11. loquenti	—	11. *sic*	—
13. quotiens	13. *sic*	13. *sic*	13. *sic.*
14. inde	—	14. Quom—ipse	—
16. Scilicet	16. Si licet	16. *ut cod.* 1.	16. *sic.*
17. dura in	17. *sic*	17. *sic*	—
19. fouissem	—	19. fovissem — crudela	—
—	—	—	21. aratris.
22. quae ut	—	22. q ut	—
—	—	24. Quom	—
35. tuum	—	35. tuum	35. foret—ferre.
37. Nec — nova semina	—	37. Nec mihi	37. Nec t.
—	39. elapsa	—	—
45. vetat—hirne	45. vetat—phirne	45. vetat—phirne — fabellas	45. Lerna vetat.
46. O. positas	—	—	—
47. diro	47. *sic*	47. *sic*	47. *sic.*
—	49. mihi languere	—	—
50. pertimuisse	50. *sic*	50. *sic*	—
—	51. mea p.	—	—
—	52 Quisne-quotque teneatque	—	—

LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
2. hic a	2. *sic*	2. *sic*	2. *sic.*
3. certe—pom- a pae	—	3. non certe — pompae	—
—	6. Scit	—	—
—	—	—	8. meis *suprascr.* tuis.
9. sol *in marg.* sed	9. Luctea	9. involvant	—
10. Pumicet et canas pumicet (*in marg.* tondeat) arte	10. Punicet et	10. pumicet et	10 *sic; (in marg.* Et pumex) ante *suprascr.* arte.
11. praetext at	—	—	—
12. tuum	12. et — tuum	12. tuum	12. *sic.*
—	15. Perque hos	15. eius *in m.* huius	—
19. nostri si	19. referet	19. referet — nostri si	19. referet.
20. An minor *in marg.* myrtum — corpore d.	—	—	—
21. S. p. meritum	meritam 21. nympham larga	21. premium	21. meritam larga.
—	22. ducite	22. At haec	22. hoc.
—	24. ut acceptes *suprascr.* accipias	—	—
27. spes	—	—	—

CARMEN II.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. Quis — carumve	1. carumve	1. *sic*	—
—	5. non hoc patiemur e nostro	2. Erripiunt	—
—	—	9. Quom	—
—	10. candida ossa	—	—
11. longas veniat	—	11. *sic*	—
—	maesta 12. casta	—	—
15. rogate	15. *sic*	15. *sic*	15. *sic.*
—	17. Parsque	17. Pars quoque	—
18. legent	18. *sic*	18. *sic*	18. *sic.*
19. spargent — lieo	19. spargent — perfusa *in m.* collecta—lieo	19. spargent — lieo	19. spargent.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
21. ventis	21. *sic*	—	21. *sic.*
23. Illic	23. Illic	23. *sic*	23. *sic.*
24. dives et A.	24. *sic*	24. *sic*	24. *sic.*
a 25. funduntur	25. funduntur	25. *sic*	—
—	—	—	27. demonstrat.
28. notent	—	28. notent	—
29. cā neera	29. est; huic è sua cā Neera *in marg.* dolor huic et cara Neera	29. cā Neera	Albius 29. Lygdamus— cā *in m.* cura.
—		—	

CARMEN III.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
5. renoventur *in m.* renovarent	—	—	—
—	—	—	6. dedit.
—	7. gaudia *in m.* tempora	—	—
a 9. tempore	9. permensae	9. quom praemenso — tempore	9. pmenso — tempore.
12. fundant	—	—	12. *sic.*
—	—	—	13. annixa.
14. Tronare	14. tarisse *in m.* tareste *et* chariste	14. cariste	—
17. erith^{r}eo	—	17. erithrieo	—
20. Invidia quae — ht	20. Invida quae	20. *sic*	20. *sic in m.* Invidia est.
22. gerit	22. *sic*	22. *sic*	22. *sic.*
—	—	24. regna *in m.* munera	24. At *a m. s.* Et.
—	—	26. ter quaterque	—
27. At mihi pro	—	27. At mihi pro	—
28. adversa	28. *sic*	28. *sic*	—
29. iuvant	29. iuvant	29. *sic*	29. *sic.*
—	30 sq. terrenas substinet — cupiunt	—	—
—	—	—	31. Nec al.
36. neunt	36. *sic*	36. *sic; a m. s.* canunt	36. neunt.
38. ignara	38. horchus	38. Divis ignaram	—

CARMEN IV.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. nec sint mihi somnia	1. Dii	1. Qui	1. Dii.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
2. hesterna	2. esterna	2. externa	2. *ut cod.* 1.
—	3. vani *in m.* vanum	—	—
4. in votis	4. *sic*	4 Desine in votis	4. *ut cod.* 1.
9. Et vanum ventura hominum genus	9. Et natum metuens h. g. o. noctes	9. Et natum metuens - omnia noctis	9. Et vanum ventura *in m.* in curas.
11. utrunque — moneri	11. *sic*	11. *sic*	11. moneri.
12. velint *in m.* volent	—	12. velint	—
—	—	13. Et sitiat	13. Afficiat.
14. pertimuisse	14. *sic*	14. *sic*	—
15. Si *a m. s.* Sic	15. *sic*	15. *sic*	—
17. aethereum — biiugis *in m.* nigris	17. aethereum — emersa	17. aethereum — biugis — quadrigis	17. ethereum — emersa
—	—	21. Quom	21. somnos *in m.* summo.
23. lauro	23. *sic*	23. *sic*	23. *sic.*
—	—	25. quisquam	—
—	—	—	26. valet.
28. tirio	28. Spirabat tyrio	28. tyrio	28. *sic.*
33. Et cum	33. Et c.—amarthis	33. Et quom — amamnthus	33. Et c.
34. L. et	34. *sic*	34. Liba et	34. L. et.
42. tristi dulcia	42. *sic*	42. *sic*	42. *sic.*
43. casto cū *in m.* nā	—	—	—
45. Semeles	45. *sic*	45. *sic*	—
—	47. cuiusque	—	—
—	—	49. nox	—
50. Quidque — ferat	50. feret	50. *ut cod.* 1.	50. *sic.*
—	—	55. quom	—
—	56. ludit *in m.* fallit	—	—
—	—	58. maluit	—
59. suas	59. *sic*	59. *sic*	59. *sic.*
—	61. Ha — Ha pereat	—	61 sq. Ha — Ha.
—	63. illi	—	—
64. t. fide	64. *sic*	64. *sic*	64. *sic; in marg.* prece.
65. S. a. d. dominae fera verba minantis	65. dominae fera verba minantis *in m.* Te victus placidumque tuae monstrato puellae	65. *ut cod.* 1.	65. Te victum placitumque tuae monstraro puellae.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
67. niveas — iuvencas	67. *sic*	67. *sic*	67. *sic.*
—	—	68. facta iocum	—
71. cantum	71. cantum	71. *sic*	—
—	73. recuses	—	—
—	—	79. Non tibi	—
80. ác alium	80. *sic*	80. *sic*	80. Felix at tu al. o
81. corpore	81. *sic*	81. *sic*	81. ignavus — corpore.
82. possem	82. Ha ego non possum	82. ne possum	82 Ha ego ne possim *a m. sec.* non possum.
—	83. Nec ego cr.	—	83. Condiderim
84. meo *in m.* tuo	—	—	84. pectori.
—	86. vomens	—	—
87. N. canis anguinea	87. Nec cons. — cathena *i. m.* canis anguinea — caterva	87 sq. canis ang. — Qui	87. canis anguinea.
89. Scillaque — comitata	89. Scyllaque	89. Sillaque — comitata	89. Syllaque — subnixa.
90. correptam *in m.* conceptam	—	—	—
—	91. Sytiae	—	91. horrendaque
96. impia	96. *sic*	96. *sic*	96. *sic.*

CARMEN V.

—	—	4. Quom — humus *in marg.* hiems	—
5. thissiphone	—	5. thesiphone *in m.* Persephone	—
—	—	—	6. parce noverca dea.
7. deorum o	7. *sic*	7. deorum *in m.* virorum	7. deorum.
8. decere	—	—	—
—	—	—	9. Non m.
10. certa o	10. *sic*	10. *sic in m.* torra	10. ceca *in marg.* tetra.
11. sacrilegis — aegros	11. amovimus aegros molitantis	11. sacrilegis — aegros *in m.* sacrilegos	11. sacrilegis — amovimus aegros *in marg.* ignes
13. meditantis — mentis	13. meditantis — mentis	13. meditantis — mentis *in m.* linguae	13. *ut cod.* 1.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
15. Et n. terra nigros	—	—	—
—	—	—	16. nigra senecta
17. N. primo nostrum	17. *sic*	17. Natalem primo nostri *in m.* nostrum	17. *ut cod.* 1.
20. nata manu	—	—	—
—	—	—	21. umbras.
22. fortia regna i	—	—	—
23. Elyseos	—	23. Eliseos	—
24. chimeriosque	24. *sic*	24. chimereosque	—
—	—	25. Quom	—
27. terreat	27. *sic*	—	27. *sic; in marg.* torrear.
—	28. mihi membra	—	—
29. At nobis — celebrentur num. nimphae	29. Atque nobis — numina nymphae *in marg.* limina limphae	29. Atque nobis triste celebrentur *in m.* At vobis Thuscae celebrantur	—
—	31. m. sed v.	—	—
32. S. e. sive nos - *in marg.* seu — velint	32. nolent	32. velint	32. *sic.*
—	33. pecudes nigras	—	—

CARMEN VI.

sic 1. nec	—	—	—
2. feras	2. *sic*	2. *sic*	2. *sic.*
3. meum semper meditando	3. Auferet — meditando	3. meditando	3. medicando.
4. arax *in m.* amor	—	—	—
6. Et n.	6. *sic*	6. *sic*	6. *sic.*
8. Fulserat *in m.* fulserit	8. Pulserit	8. *sic*	8. *sic.*
—	11. recuset	—	—
d 14. Contulit	—	14. Contulit	14. misit *in m.* mittit.
—	e 15. Armonias — fulvos — leones	—	—
17. volet	17. *sic*	17. *sie*	17. *sic.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
21. Non v. — severus	21. Non v. — nimium nimisque severus	21. *ut cod.* 1.	21. Nam venit.
23. hic p. deus hic quantumque	23. his p. deus hic quantumque	23. *sic*	23. deus hic quantumque.
—	26. Q^{id} valeat	—	26. sentiet.
—	27. ha demens	27. ha	27. *sic.*
28. Aëreae nubes	28. Aereae et	28. *ut cod.* 1.	—
30. facta	—	30. Sic f. — facta	—
32. multas	—	32. *sic*	32. *sic.*

33. *Inde ab hoc versu novum incipit carmen in his quatuor codd. mss.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
37. tristes	—	37. tristes	—
—	41. Minoa	41. minorque	—
—	—	—	44. disces *a m. s.* discis.
46. fide	46. *sic*	46. *sic*	46. *sic.*
47. iuravit	47. *sic*	47. *sic*	47. *sic.*
49. meritis *in m.* inerit	—	—	—
51. E. qui totiens	51. *sic*	51. *sic*	51. qui *a m. s.* quid totiens.
52. verba precor	52. *sic*	52. *sic*	52. *sic.*
53. v. tecum long.	53. *sic*	53. *sic*	53. vellem *in m.* mallem — tec. long.
55. nobis inimica m.	55. *sic*	55. *sic*	55. *sic; in m.* nec amica.
—	56. P. s. q. tu mihi c. t.	56. perfida tu mihi c. t.	—
—	59 Non te si nostrae f.	—	59. fugiet.
62. T. p. et	62. *sic*	62. *sic*	62. *sic; in marg.* huc.
63. tirio	63. tyrio	63. tyria	63. tyrio.

64. *Huic versui carmen libri quarti duodecimum annexum legitur.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. Nec tibi sit — tam	1. Nec tibi sit tū — tam	1. *ut cod.* 1.	1. Nec — tam.
2. Ut videor	—	—	—
4. fateor	4. *sic*	4. Quisus me fateor	—

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. mea	1. *sic*	1. *sic*	*In hoc cod. carmen ad Messalam non comparet.*
2. valeant	2. *sic*	2. *sic*	
3. a m. - carmine s	3. *sic*	3. a meritis — carmine	
5. quicquam	5. te praeter	5. quicquam	
9. Cres tulit *in m.* detulit	9. Res	—	
10. Icarus et *in m.* ut	—	10. Ic. et	
—	11. neget iam	11. canisque ne l. aetas	
—	—	12. Quin Alc.	
13. terris	13. *sic*	13. *sic*	
14. paccavit	14. coelestis pac.	14. peccavit	
—	—	17. aliosque aliosque	
18. dicat *a m. s.* dictat	—	—	
19. descenderit	19. *sic*	19. *sic*	
20. defluxerit	—	20. *sic*	
21. e terris	21. *sic*	21. vagus terris	
22. H. et	22 sq. Hinc et — supra	22. H. et	
24. Et	24. *sic*	24. *sic*	
25. sed quid — ultra	25. sed — *suprascr.* seu - quod — ultra	25. *ut cod.* 1.	
27. ne — carmine *in m.* pondere	27. carmine	27. ne t. — carmina	
30. quid qua iudex	30. *sic*	30. *sic*	
33. s. nomine	33. titulis — nomine	33. *ut cod.* 1.	
—	—	36. victo	
—	37. Quis potius	—	
39. Quis tibi nam m. g. cartisve f.	39. Quisque tibi maiora — cartisve ferrove *in marg.* forove	39. *ut cod.* 1.	
40. hic aut hic	40. *sic*	40. *sic*	
—	41. pati	—	
42. P. ne — surget	—	42. nec ac — surget	
—	43. utrumque	—	
47. Sic o	47. Sic — potuit	47. Sic	
49 urbis ulyssem	49. Ulyxem	49. Ulixem	

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
51. decurreret	51. *sic;* — oris	51. decurreret	
53. includitur	53. inducitur	53. includitur	
55. N. v. Cyclops	55. Non v. ciclops	55. Nec v. ciclops	
—	56. athenae ne- ru ptunus - ripis	56. etheneae neptunus	
59. Victa	57. Uncta *superscr.* Victa	—	
—	59. antiphatemque	59. *sic*	
60. atracie gelidos	60. artacre *in m.* et traciae — gelidos	60. atratiae gelidos	
—	63. Apta vel et	63. Apta vel	
64. Cimerion	64. Cimerion — arces *in marg.* artes	64. Cimerion	
—	65. Quis n.	65. *sic*	
—	66. Seu supra	66. *sic*	
67. V. et	67. et—plutoni	67. et	
68. undis	68. proles magnis — undis	68. undis	
70. Illum tergeminae	70. Ill. tergeminae — montis	70. Ill. tergeminae	
71. orbe	71. *sic*	71. Conteruit — orbe	
72. rapidas	72. rapidas	72. *sic*	
73. in ore caribdis	73. *sic*	73. *sic*	
—	—	75. Vel interrupto	
—	76. Nec violenta	—	
77. calipsos	77. athlantinos — calipsos	77. calipsos	
78. errores miseri	78. errorum miseri foeatia	78. miseri	
82. Nam	82. Nam — artem	82. Nam	
84. nervos	84. praefigere nervos	84. nervos	
—	85. Quem vel	—	
91. At — celeremve arcto	91. Et — celeremve arcto	91. *ut cod.* 1.	
—	93. passu	93. dirrepto	
94. melius contendere	94. liceat—contendere	94. *ut cod.* 1.	
96. illac grandis venit i. h. aut	96. *sic*	96. grandis venit	
97. seu—velit	—	97. seu — velit	
—	98. venient	—	

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
99. parent	99. *sic*	99. parent acres	
100. Tum	—	100. *sic*	
102. inaequatis concurr.	102. in aequatis decurrit fontibus	102. *ut cod.* 1.	
103. duplicem seu vinctum c. Martem	103. *sic*	103. *sic*	
104. Dextraque uti — sinistra	104. *sic*	104. Dextraque ut — sinister	
105. gemini — casus	105. *deest*	105. *ut cod.* 1.	
108. iadipiae *in m.* iapigiae	108. yapigae	—	
110. T. et hirpinis	110. T. et aprinis — arvis	110. *ut cod.* 1.	
—	112. *Post h. v. sequitur hic:* Namque senex longae peragit dum saecula famae	—	
113. foec. — renovaverat	113. Phoebus renovaverat	113. renovaverat	
—	115. validusque	—	
120. Quis	—	120. Quis	
121. sub tegmine	121. velamine vestem	121. subtegmine	
—	—	122. duci	
—	126. pleidis *in m.* placidis	—	
127. aereas	127. Ulla nec aereas	127 sq. aereas — quadrupedes	
129. multa	129. *sic*	129. *sic*	
—	131. Defuit *in m.* Affuit — linquit	131. Affluit	
—	132. suis	—	
133. a^{b}ditus	n 133. abnuit — abditus	133. aditus	
134. Purior — stratos	134. Lectior — structus	134. Purior — stratos sub	
—	135. Q. orante	—	
136. nunc idem — sunt	136. nunc idem	136. *ut cod.* 1.	
138. avidas — terras	—	138. *sic*	
139. tartareo tellus	139. tetereo	139. tartareo	
140. Diaspes	140. *sic*	140. *sic*	
141. ridnus	141 cirri dementia cidnus	141. cidnus	

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
142. Creteis ardēt aut unda caristia campis	142. Cretheis ardent *cet.*	142. Cretheis ardet *cet.*	
143. tamiris	143. *sic*	143. *sic*	
145. padaeus *in m.* pacheus	—	145. vicinis	
146. hebrus — Ω migras *in m.* maginos	146. Hebrus tantisque Getas rigat atque magïos	146. hebrus — magistras	
151. consistit	151. *sic*	151. *sic*	
—	—	155. Et multo in repto	
157. superegerit	157. *sic*	157. *sic*	
—	r 159. propior	159. proprior	
161. exurget	161. exurgit	161. *sic*	
—	—	162. segetem — neque	
165. rigentem	—	165. *sic*	
—	166. adnexa solo	—	
167. Q. similis utrinque tenens	167. *sic*	167. *sic*	
168. negat	168. *sic*	168. *sic*	
169. labitur annus	—	169. *sic*	
173 confunditur	173. *sic*	173. *sic*	
—	174. consurgunt	—	
175. praeclaros poscent	175. *sic*	175. *sic*	
—	—	178. Ipsa mihi — perscribat	
—	179. magnis attingere	—	
—	180. proprior	180. *sic*	
—	181. langor *in marg.* labor	—	
182. fatigat *in m.* fatiget	182. fatigat	182. illa me	
—	—	184. Qui fuerant	
185. foecundis indef. mensis	185. *sic*	185. *sic*	
186. ordine *in m.* agmine	186. Cui pecus	186. Quique pecus — ordine	
ũ 188 sq. Nec — dolor accitus semper memor	189. accitus	188 sq. Nec — Quom dolor accitus s. memor admonet a.	

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
190. relictus	190. *sic*	—	
—	—	191. defient	
— su	194. lieeat tument	194. liceat tumeant	
195. densis s. obsistere	195. densis s. obsistere	195. *sic*	
197. Seu — nostri si	197. n. si	197. Seu — si p. cura	
198. si sint modo non	198. si sit mihi non modo	198. *ut cod.* 1.	
199. galippi	199. gelippi	199. *ut cod.* 1.	
—	200. me letheas m. committere	—	
—	201. Q. t. sit	—	
202. inheret	202. si totus	202. *ut cod.* 1.	
203. N. m. finem statuunt facta	203. statuunt	203. *ut cod.* 1.	
204. tunc tumulus cum texerit	204. *sic*	204. *sic*	
205. fato	205. *sic*	205. S. natura — fato	
—	—	207. fingent	
209. volucris aea re pennis	209. volucris — pennis	209. *sic*	
210. In quodcunque hominum	210. In quemcunque—contexam	210. In quodcunque hominum	

CARMEN II.

—	5. tunc *in m.* cum	—	—
—	7. movet	—	—
10. Venus *in m.* comis	—	—	—
—	11. praecedere	—	—
—	14. M. hunc — habent	14. M. h̄c — habent	—
—	—	15. quoi	—
—	17. herbis	17. *sic*	—
—	—	18. odoratis	—
19. gemmas	19. *sic*	19. *sic*	—
20. aquis	20. *sic*	20. *sic*	20. *sic.*
—	—	—	21. cantate *in m.* celebrate
23. hoc sumet in annos	23. *sic*	23. fumet	23. *ut cod.* 1.
—	24. nostro—toro *in m.* choro	24. thoro	24. *ut cod.* 2.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
	CARMEN III.		
—	—	—	1. seu quid.
3. in pectore	3. *sic*	3. impectore	3. in pectora.
—	5. adducit	—	—
a 7. densos	—	—	—
8. Candentem: *in marg.* claudendo	—	8. candentem	—
10. rubris	—	10. Candidaque amatis — rubris	—
a 12. Ipse	—	12. Ipse	—
a 13. Ipse — cervi	13. cervi	13. *sic*	13. *sic.*
15. si lux	15. *sic*	15. *sic*	15. *sic.*
—	16. procubuisse	—	—
—	19. Tunc	19. Tunc	—
20. tange	20. *sic*	20. *sic*	20. *sic.*
—	21. Et quodcunque — subrepit	—	21. supbit amori
	CARMEN IV.		
—	1. depelle	1. espelle	—
—	4. apposuisse	—	—
—	—	5. matres *in m.* macies — occupat	—
6. pallida	6. *sic*	6. *sic*	6. *sic.*
8. evehat	8. *sic*	8. *sic*	8. *sic.*
9. sapores	9. *sic*	9. *sic*	9. *sic.*
—	13. interdumque languëat	13. movet *in m.* vovet — int. langueat illa	—
—	14. puella tibi	—	—

17 sq. *post vs.* 22. *collocati sunt in his codicibus.*

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
	CARMEN V.		
1. Est qui te oherinthe	1. Est qui te	1. Est qui te *in marg. a m. seriori* Qui mihi	1. Est qui.
—	—	—	2. fastos.
3. puellae	—	3. puellae *in m.* puellis	—
4. dederant	4. *sic*	4. *sic in marg.* dederunt	—
—	5. uxor	—	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	6. Si tibi — amor *in marg.* ignis	—	6. ignis adest *in marg.* adsit amor.
— veni	7. te per d. f.	—	7. *sic.*
9. Mane geni	9. Mane — c. tura	9. Mane *a m. ser.* Magne — donisque *in m.* votisque.	9. Mane—thura libens.
10. illa valet	10. valet	10. ille valet *a m. ser.* calet	e 10. cogitat—valet *a m. s.* valet.
—	—	—	11. suspiret *a m. s.* suspirat.
12. Tunc	12. *sic*	12. *sic*	—
—	—	—	13. Nec tu sis iniusta *a m. s.* nec sis nunc ini.
—	16. nos s. d.	16. *sic*	16. posthac nos.
17. tutius	17. *sic*	17. *sic*	17. *sic.*
20. A. q. referat	—	—	—
	CARMEN VI.		
—	1. vivis *in m.* turis-acervos	1. honores *a m. ser.* acervos	1. acervos.
t 4. suos	—	—	—
n 5. orandi	5. orandi	5. *sic; a m. ser.* ornandi	5. orandi.
—	—	6. qui p. v.	—
nos 7. ne veid div.	7. ne nos	7. ne veid *a m. s.* ne quis	7. ne nos *a m. s.* ne quis.
9. ullae	9. *sic*	9. *sic; a m. s.* ulli	9. ullae.
10. cuidam	10. cuidam — v. est	10. quidam *a m. ser.* cuiquam	—
—	—	—	12. minister.
—	13. purpurea veni	—	—
—	14. liba	—	14. sic libo
15. P. et — optat	15. *sic*	15. et — q optat *a m. s.* quod	15. et *a m. s.* en — optet *a m. s.* optat.
16. iam sua *suprascr.* sibi	16. iam sua	16. *sic*	16. iam sibi.
—	17. celebres *in m.* celeres	—	—
19. grata	19. *sic*	19. Si *a m. s.* Sic — grata	19. Sic — grata et veniet *a m. s.* Si i. grata es
—	20. esset amor	—	—

CARMEN VII.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
1. pudori	—	—	—
2. Et — magis	2. magis	2. Et *a m. ser.* quam—magis	2. magis *a m. s.* minor.
—	—	—	3. camenis *in m.* querelis.
—	—	—	u 6. suam.
8. Me legat id nemo venio	8. Me legat advenio q.	8. Me legat id venio	8. Nec me legat advenio quam *in marg.* Nec legat ut nemo.
—	10. digna puella f.	—	—

CARMEN VIII.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
ae 3. puellis	—	3. puellis	—
4. aretino — amnis	4. *sic*	4. *sic; a m. ser.* eretino — annus	4. *sic; in marg.* eretino
—	6. Neu t.	—	—
8. Arbitrio quamvis-meo	8. *sic*	8. *sic*	8. *sic.*

CARMEN IX.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
2. non sinet e. tuo.	2. non — tuo	2. non sinit e. tuo	2. non s. e. tuo *in marg.* nos sinere.
4. nunc tibi f. venit velit	4. nunc tibi	4. nunc t. — favet *a m. s.* venit	4. nunc t. sorte v. *a m. s.* candidus usque venit.

CARMEN X.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
rus 1. securum — mihi	1. q. i. mihi crede	1. iam mihi *a m. ser.* tibi	u 1. securis — quod iam mihi d. m.
2. Permittis	2. *sic*	2. *sic*	2. Permittas.
3. Sit t. c. togae p.	3. *sic*	3. *sic*	3. *sic.*
6. Ne credam - c͂a *suprascr.* thoro	6. Nec credam — causa t.	6. Ne credam - c͂a *a m. ser.* causa	6. Nec credam — causa *in m.* ingrato.

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.

CARMEN XI.

e 1. placitura	1. placitura	1. placitura *a m. ser.* placiture	1. Est ne tibi *a m. s.* E. hic te — placitura
2. Quod *suprascr.* Qui	2. Quod	2. Quod *a m. s.* Qui	2. Qui.
—	3. Ha	—	3. *sic.*
4. *sic*	4. sic quoque	4. sic *a m. ser.* si	4. quam te sic *a m. s.* site sic.
5. Ah mihi — quid tu	5. Ha mihi — qd tu	5. Ah — quod tu	5. Ah *in marg.* Nam — quod tu *a m. s.* si tu.

CARMEN XII.

Annexum hoc est superiori carmini.

Ne 1. Nec tibi sit — tam	1. Nec — tam	1. Nec *a m. ser.* ne - sit - tam	1. sit *in marg.* sim — iam *a m. s.* tam.
2. Ac videas *suprascr.* Ut video	—	2. Ac videas *a m. s.* ut videor	2. At videas *a m. s.* videor.
—	3. stulte	—	—
—	4. Quovis — fateor	4. Quius *a m. ser.* Cuius fateor	—
—	—	—	5. qui n.

CARMEN XIII.

iunc 2. vincta est	—	2. vincta *a m. s.* iuncta	—
3. T. modo	—	3. T. modo — te iam *a m. s.* iam te	3. T. modo.
5 sq. posses — t tuus	—	5. posses	5. posses *a m. s.* possis.
—	8. ipse	—	8. *sic.*
bene 9. possum me	9. possum	9. *sic*	9. *sic.*
raro 15. Hoc — iuro	15. H. t. per s.	15. Hoc tibi s. t. *a m. ser.* Haec per sancta	—
16. est tibi digna	—	16. tibi digna *a m. ser.* mihi magna	—

Cod. 1.	Cod. 2.	Cod. 3.	Cod. 4.
—	17. credo	—	17. *sic.*
18. prodeat ille	18. prodeat	18. prodeat ille	18. prodeat *in m.* prodidit.
—	—	—	19. nunc me tu aud. u.

CARMEN XIV.

—	1. nostram crebro	—	—
3. facta dolore	3. facta	3. facta *a m. ser.* ficta	3. Carmina facta.

CARMEN XV.

1. Tibullo	—	—	—
3. elego teneros	—	—	—

INDEX SCRIPTORUM,

QUI IN NOTIS AD TIBULLUM VINDICANTUR, CORRIGUNTUR, TENTANTUR.

Catullus pag. 61. 67. 69. 107. 122. 189. 255. 289.

Horatius p. 3. 65. 84. 199. 226 sq. 228. 289.

Lucanus . p. 189.

Nepos, Corn. p. 86. 157.

Ovidius p. 16. 25. 55. 69. 107. 126. 158. 227.

Propertius p. 178. 195.

Quintilianus p. 157.

Virgilius . p. 227.

Corrigenda.

Pag. 7.	*lin.*	11.	*scribe:* receperunt:
— 18.	*vers.*	26.	asteriscis * insigniendus.
— 19.	*lin.*	6.	*scrib.* afferunt
— 27.	—	7.	post iungunt *inser.* ii
— 31.	—	8.	*scrib.* debuit ponere:
— 33.	—	11.	— quas
— 35.	—	13.	*distingu. et leg.* Ovidius, alii, — denominatis,
— 38.	—	14.	*ore*
— 45.	—	4.	*leg.* probatae
— 47.	—	18.	— priori
— 48.	—	2.	*Distingu.* Ceteri: *picta,*
— 50.	—	ult.	*Post* videtur *inser. referent.*
— 51.	—	6.	*scrib.* est, *et del.* id
— 61.	—	14.	*leg.* quod *triv.* tunc
— 66.	—	21.	*scrib. Ne,*
— 71.	—	*penult.*	*Del. punctum post* vel
— 84.	—	2.	*Verba:* viis — — absolutis: *cursivis litt.* exaranda.
— 106.	—	9.	*leg. Ha,*
— 136.	*vers.*	35.	*interp.* urbe,
— 147.	*lin.*	20.	*leg.* post
— 151.	—	8.	— rem
— 156.	—	26.	— cultu
— 174.	—	3.	— sua vi
— 176.	—	23.	— agat,
— 191.	—	14.	— poterat:
— 241.	—	27.	*delend.* earum
— 249.	—	5.	*distingu.* sub-
— 253.	*vers.*	204.	*leg.* statuent
— 285.	*lin.*	12.	— Nostra.

C. Suetonii Tranquilli Opera et Fragmenta, textu recognito, cum J. A. Ernestii animadversionibus nova cura auctis emendatisque et Casauboni Commentario edidit Fr. Aug. Wolfius. IV Tomi. Lipsiae 1802. 8 maj. 3 Thlr. 8 gr.

Iis, qui antiquitatis Romanae monumenta cognoscere in primisque Suetonii scripta legere amant, gratum facturi, egregiam Suetonii editionem, quam post J. A. Ernestium Fr. Aug. Wolfius ante hos sedecim annos curavit, olim sex Thaleris venalem, nunc pretio ad 3 Thaleros et 8 Grossos deminuto offerimus. Hoc proposito speramus, fore, ut scriptoris optimi editio optima in complurium manus veniat et maior inde redundet utilitas in rempublicam literariam. Continentur in ea omnia, quae supersunt, Suetonii scripta: Vitae XII imperatorum, opuscula minora de grammaticis et rhetoribus et fragmenta, Ernestii animadversionibus et excursibus maximi aestimandis illustrata, quibus nova cura auctis emendatisque editor celeberrimus addidit Monumentum Ancyranum, Fastos Praenestinos, in Germania nondum typis exscriptos et Isaaci Casauboni Commentarium, reconditae doctrinae thesaurum, nec non Indices et historicum et latinitatis selectae, ita ut, id quod placuit harum rerum arbitris apud Germanos et Anglos intelligentissimis, nihil desideretur, quo homines, antiquitatis studiis operam navantes, in legendo hoc historico adiuventur.

Libraria Hahnia.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Tibullus, Albius,

Carmina

Lipsia 1819

A.lat.a. 2061
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10242996-7